Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

Bibliothèque nationale de France

LVCIANI SAMOSATENSIS

Saturnalia,
Cronosolon, id est, Saturnalium legum lator,
Epistolæ Saturnalitiæ,
De luctu,
Abdicatus,
Icaromenippus seu Hypernephelus,
Toxaris siue Amicitia,
Alexãder seu Pseudomãtis,
Gallus seu Somnium,
Timon seu Misanthropus,
Pro tyrãnicida declamatio,
ERASMI declamatio, Lucianicæ respondens,
De ijs qui mercede conducti degunt,
Dialogi XVIII.
Hercules Gallicus,
Eunuchus seu Pamphilus,
De Sacrificijs,
Conuiuium seu Lapithæ,
De Astrologia,

DES. ERASMO ROTERODO. INTERPRETE.

Aliquot item ex eodẽ commentarij, Thoma Moro interprete, quos in calce huius libri numeratos reperies.

Quibus si græce scripta, quæ propediem, dijs propicijs adijcientur, conferat studiosus lector, facile cognoscet, arbitror, cuiusmodi res sit peregrinam linguam, ut in aliam quamuis, ita in Latinam bene ac fideliter uertere.

BASILEAE APVD IO. FROB. AN. M.D. XXI.

BIBL. GUILLAUME BUDÉ

Apelles huiusmodi pictura calumniam ultus est.

ERASMVS ROTE-

RODAMVS REVERENDISSIMO IN
Christo patri, D. Gulielmo archi-
episcopo Cantuariensi, to-
tius Angliæ pri
mati, S.D.

Itto ad te Dialogos aliquot Luciani, partim nuper à me traductos, partim recognitos. Nugas, inquis, mittis. Nugas sanè, sed literatas, nimirũ ut rideas, si tamẽ unquam ridere potes, homo tot curis districtus, tot negociorũ fluctibus obrutus. Sed cui potius mittam, quicquid fuerit illud, seu ludicrum, seu serium, quod meæ Camœnæ produxerint, quàm tibi unico meo Mecœnati? qui solus & addis animum Erasmo, & alis ingenium, & ocium suppeditas, & ornas studia. Bene uale. Londini, tertio Calendas Maias. Anno M. D. XII.

Phaleuciũ carmen

Quid queris puer? Attrenis salinum?
Hor. Parvo dabit tibi Lucianus.
Quid, fundi Latios petis Leporeis?
Hos parvo dabit tibi Lucianus.

Iambica dimetra.

Heus optimi hymenæi
Vultis iocis immundis,
Et lusibus scatentes?
Hunc Lucianum assumpsite.
Ipse et mures, ipse et trochos
Ipse et merot hirsut habet.

SATVRNALIA LV

CIANI, DES. ERASMO ROTEROD. INTERPRETE.

Personæ, SACERDOS ET SATVRNVS.

SACERDOS.

IC MIHI Saturne, quãdo tu quidẽ hoc tempore regnare uideris, tibiq; & sacrificatum, & litatum est à nobis, quid potissimum abste pro immolatis hostijs postulare debeam, quod postulatum ferãs? SATVR. Istud quidem teipsum perpendere oportuit, quid tibi foret optandum, nisi qui princeps sit, eundem & uatẽ esse uis, ut norit, quid maxime collubitum sit animo tuo petere. Cæterum ego, quanta n facultas feret, non abnuam uotis tuis. SACER. Quin istuc iam c im mihi perpensum est, desidero enim uulgaria ista, ac passim obuia, uidelicet opes, multam auri uim, utq; uiris imperem, utq; multa possideã mancipia, uestes splendidas ac delicatas, tum argentum & ebur, breuiter, si quid est præterea rerum precios arum. Hæc igitur mihi da optime Saturne, ut & ipse nonnihil emolumenti ex tuo sentiam imperio, néue solus per omnem uitam earum rerum sim expers. SATVR. Illud uide. Iam postulas, quod non est meæ potestatis, neq; enim mearum partium est ista distribuere. Quare ne grauiter feras, si quæ petis, nõ assequeris. Quin magis ista à Ioue postulato, quum ad eum imperij uices redierint, id quod breui futurum est. Nam ipse præscriptis conditionibus, rerum administrationẽ ab illo suscipio. Est autem uniuersum imperium meum, septem duntaxat dierum, quorum si ius excesserit, illico priuatus reddor, ac uelut unusquilibet de plebeia multitudine. Nec tamen in his ipsis septem diebus serium quippiam, aut publicum tractare mihi permissum est. Verum potare, inebriari, uoci

ferari,ludere,certare tesseris , creare reges,famulos in cõuiuium adhibere,canere nudum,lasciuo corporis motu saltitare, nonnunq; & in gelidam aquam dare præcipitem , facie fuligine oblita. Hæc uti faciam permissum est. Cæterum magna illa,puta diuitias & aurum, Iuppiter ipse dilargitur , quibus illi uisum fuerit. SACER. Imò ne ille quidem Saturne admodum facile,ac lubẽs id facit,adeo ut me iam uox defecerit ,magno clamore hæc ab illo flagitantem. At is nihil prorsus audit , uerum ægidem obuibrans,ac fulmen intentans,toruumq; obtuens,pauefacit instantes . Quod si quando etiam annuerit alicui,diuitem q; reddiderit,mirum quàm id nullo delectu facit , & aliquoties præteritis probis, ac sapientibus uiris, sceleratis ac stultis hominibus opes offundat,uerberonibus atq; effœminatis , cuiusmodi sunt isti pleriq;. Quanq; equidem cupio cognoscere , quænam sint ista tuæ potestati permissa. SATVR. Haud quaq; parua,neq; omnino contemnenda , siquis uniuersi imperij uim expendat , nisi forte tibi paruum esse uidetur,ut in tesserarum ludo uincas,cumq; cæteris alea in unionem uoluatur,tibi senionem semper in summo latere ostendat . Nam hinc sibi plæriq; uictum parant,uel ad saturitatem usq;,quibus propitia ac secũda aspirarit tessera. Rursum alij nudi enatarunt , naue elisa , fracta ad tam minutum scopulum ,puta aleam . Adde his , potando q; maxime hilarescere , ac modulatius alio uideri canere in conuiuio . Præterea reliquis ministris in aquam præcipitatis (nam ea pæna est parum dextre ministranti) te & uictorem pronunciari , atq; ei quem uiceris , præmia præripere. Vides nimirum q; ingens sit bonum . Quemadmodum & illud,quũ talo uictor solus omnibus rex præficeris, ut nõ solum ipse non feras ulla ridicula imperata ,uerũetiã ipse possis alijs imperare,huic ut turpe q dã de seipso uociferet,illi ut saltet nudus,utq; sublata in humeros tibicina,ter domũ obambulet. An nõ hæc quoq; munificẽtiæ meæ nõ exiguæ sunt argumẽta? Q d si causaberis regnũ hoc nec uerũ esse,nec stabile,inscite feceris ,quũ uideas meipsum,qui ista dilargior,exigui tẽporis imperiũ tenere. Ex his igitur quæ meæ facultatis est præstare,Nẽpe de taxillis,de regnando,de canendo , deq; reliquis,quæ modo recẽsui, audacter quæ uoles petito , nihil ueritus , ne te ægide aut fulmine territem . SACER. Atqui istis nihil mihi est opus Titanum optime. Tu tamen illud mihi respondeas uelim , quod maxime cupiebam cognoscere. Quod si mihi dixeris , satis magnam gratiam pro sacro persolueris, quin & in reliquum tempus quæ debueris , condono . SATVR . Roga modo ,equidem respondebo , si forte quod rogaris sciero. SACER. Illud in primis . Num uera sunt ista , quæ de te audimus? Quemadmodum deuoraris liberos tibi ex Rhea natos , utq; dam illa ,subducto Ioue,saxum

ue,saxum infantis loco suppositum, tibi deuorandum tradiderit. Deinde puer adultus, te regno expulerit, bello superatum, mox arreptũ in tartarum præcipitarit, uinculis iniectis, tum tibi, tum omnibus copijs auxiliaribus, quæ tecum in acie steterant. SATVR. Quid dixti? Nisi festum celebraremus, essetq; licitum inebriari, atq; in dominos impune conuitia iacere, intelligeres profecto mihi permissum esse irasci, qui quidem istiusmodi roges, nihil reueritus adeo canũ ac senem deũ. SACER. At ego hæc Saturne, non ex meipso dico, Quin & Hesiodus & Homerus, nolo enim dicere, reliqui propè mortales omnes eadem de te credunt. SATVR. An tu putas uel pastorem illum, uel hunc ampullosum, uere quippiam de me scisse? Rem ad hunc considera modum. Est ne quisq; homo, non dicam deus, adeo durus, ut possit ipse uolens suos deuorare liberos? nisi siquis esset Thyestes, qui ab impio circũuentus fratre comederet. Sed finge esse qui possit, qui fiat, ut ignoret sese saxũ edere uice pueri? Nisi forte dentibus sit huiusmodi, ut dolere non queant. Imò neq; bello confliximus, neq; Iupiter per uim imperium occupauit, sed ego illi uolens & ultro rerum administrationẽ tradidi, cessiq;. Porrò neq; uinctum esse me, neq; in tartaro esse, uel ipse uides opinor, nisi prorsus oculis captus es, quemadmodum Homerus. SACER. Sed quid tibi accidit Saturne, ut imperium deponeres? SATVR. Ego tibi dicam. In summa, senex iam & podagrosus quũ essem ob ætatem (unde etiam factũ est, ut plerique mihi compedes esse finxerint) impar eram uiribus ad tam multa huius ætatis facinora punienda, nam erat assidue mihi sursum ac deorsum cursitandum obarmato fulmine, quo sacrilegos, periuros, ac raptores exureret. Eratq; negocium plenum laboris, quodq; iuuenem desideraret. Itaq; mihi consulens, Ioui locũ dedi. Quamq; & alioqui recte facturus mihi uidebar, si partitus filijs (nam erant) imperiũ, ipse pleramq; uitã conuiuijs per ocium traducerem, nihil necesse habens, neq; uota facientibus operã dare, nec ab ijs qui contraria petunt, molestia affici, neq; tonare, neq; fulminare, neq; grandinem aliquoties immittere. Sed senilem hanc, ac iucundissimã dego uitam, meracius bibens nectar, atq; interim cũ Iapeto, reliquisq; æqualibus dijs confabulans. At regnat quidẽ ille mille districtus negocijs, nisi qd hos pauculos quos dixi, dies mihi uisum est excipere, in quibus recipio principatum, ut mortalibus in memoriam reducam, cuiusmodi fuerit me regnante uita, quum citra seminem, citraq; arationem cuncta illis prouenirent. Haud tum quidem aristæ, sed panis paratus, cannes apparatæ, ac uinũ fluminum instar fluebat, tum fontes mellis, lactisq;, propterea quod mortales omnes probi essent, & aurei. Hæc, inquã, mihi causa fuit, cur exigui temporis imperiũ

geram, atq; ob id undiq; plausus, cantiones, lusus, æqualitas omnibus seruis, æque ac liberis, neq; em̃ me regnãte quisq; erat seruus. SACER. At ego Saturne coniecturam istam ad seruos, & eos qui boias terunt, referebam, quasi ob eam causam tibi fabula tribueret erga hos humanitatem, quod memor teipsum aliquando seruitutẽ seruisse, ac gestasse compedes, eos magnifaceres, qui simili essent fortuna. SATVR. Num tu desines istiusmodi nugari nugas? SACER. Bene mones, itaq; desino. Quin illud etiam mihi responde, talis ludere, in usu fuit tui quoq; seculi mortalibus? SATVR. Erat sanè. At non depositis talentis, ac decem nummûm milibus, quemadmodum uos facitis, uerum ut plurimo nucibus, ne uidelicet discruciaretur qui uictus esset, neue semper ploraret sese unum omnium non habere quod ederet. SACER. Et recte quidem illi. Nam quo tandem præmio certassent ipsi talis, quum ipsi toti essent aurei? Itaq; te loquente, tale quiddã mihi uenit in mentem, siqs unum aliquem ex aureis illis uiris, in hãc nostram ætatem adductum uulgo ostenderet, quid illi tandem eueniret? Nempe miserum (sat scio) discerperẽt, haud aliter incursantes, q̃ in Pentheum Mænades, aut in Orphẽum fœminæ Thraciæ, aut in Actæonem canes, interq; sese de certarent, quantam quisq; maximam posset portionem auferre, ut q ne in festo celebrando, à lucri studio temperent, quin ipso etiam festo ad lucri abutuntur incrementum. Itaq; alij quidem tibi primitias immolant, amicos in conuiuio deprædantes. Alij uero tibi conuitiantur, cum nihil ad rem pertineat, tum ipsas comminuunt tesseras, perinde quasi illis sit imputandum, quod illi suapte sponte faciunt. Sed die mihi & illud, quid tãdem causæ fuit, ut deus usqadeo imbecillis, ac senex, tempus inamœnissimum delegeris, cum iam nix omnia occupat, plurimus sæuit Boreas, cumq; nihil non gelu concretum est, arent arbores nudæ decussis frondibus, squalent, horrentq; uacua floribus prata, cũ incurui, contractiq; mortales, perinde quasi extremo confecti senio, ad focum fermè desident, interea tu festum diem agis? neque enim accommodum seni tẽpus, neq; satis idoneum genio indulgẽtibus. SATVR. Sed heus tu permulta quidem à me scisciteris, cum potare iam oporteat. Itaq; non exiguam temporis portionem tuis rogationibus mihi de festo perdidisti, dum ista mecum philosopharis, non admodum ad rẽ pertinentia, quare nunc istis tandem omissis, conuiuiũ agitemus, plaudamus, ac liberã agamus uitã. Deinde prisco more depositis nucibus, ludamus tesseris, ac reges suffragijs creemus, ipsiq; ultro pareamus. Siquidem ad eum modum effecerimus, ut uerum uideatur prouerbiũ, quod dicunt, senes repuerascere. SACER. Imò cui ista quæ dicis, nõ probantur Saturne, precor ut ei nec tum bibere liceat, cum sitit. Itaq; bibamus,

Suspicor scribendũ πεδο/ηξίβαξ, p παι/δοηξίβας. Eãq; lectionẽ nos secuti sumus.

mus,quandoquidem ut primo tollo[illegible]atis à te responsum est. Proinde uideor mihi recte facturus,si nostram hanc confabulationem,& quæ ipse interrogarim,& quæ tu propitius responderis,literis prodita, tradam amicis legenda,siqui sunt digni,qui tua dicta accipiant.

CRONOSOLON, id est, SATVRNALIVM LEGVM LATOR, ERASMO INTERPRETE.

AEC ait Cronosolon sacrificus, & idem uates Saturni,earumq; legum conditor,quæ quidem ad festum pertinẽt. Quid pauperes facere oporteat,id alio misso libro illis ipsis perscripsi. Neq; dubito quin eas leges seruent,alioqui obnoxij futuri pœnis, quæ grauissimæ decretæ sunt in eos,q minus paruerint. Vos autem diuites,uidete ne hæc mandata prætergrediamini,neq; negligatis. Nam siquis secus fecerit, is sciat se non me neglecturum legis latorẽ,sed ipsum potius Saturnum,qui me condendis festi sui legibus delegit. Haud ille quidem in somnis uisus, sed nuper cum uigilante palàm congressus. Erat autẽ neq; compedibus uinctus,neq; situ obsitus,qualem eum pictores fingunt,exemplar à delitis poëtis mutuati,uerum falcem quidem tenebat peracutam. Cætera uero & hilaris erat,& ualidus, regioq; apparatu. Atq; hac quidem specie mihi uisus est. Cæterũ quæ locutus est,planè diuina sunt, & in his hæc digna,quæ uobis prius exponam. Nam ubi me uidit animo mœstum inambulantem,mox intellexit,quippe deus,quænã esset molestiæ causa, uidelicet grauiter me ferre paupertatem,ut qui non pro temporis ratione unicã uestem haberem,cum iam esset gelu, multusq; flaret Boreas,glacies ac nix, adeo uersus quæ ego minime communitus eram. Multo magis autẽ, quod cum festum instaret iam proxime,reliquos uiderem apparantes, quæ ad uictimas, quæq; ad conuiuia requirebantur, mihi uero ipsi res nõ admodum ad festum instructas esse. Iam à tergo accedens,auréq; prehensa,ac uellicata, Nam hac specie sese mihi consueuit ostendere, Quid istud sibi uult(inquit) Cronosolon? uidere mihi sollicitus. An nõ æquũ inquam here? Cum impios ac scelestos homines opibus superfluere, & solos delitijs frui uideam, ipse uero, mecumq; complures alij docti, cum inopia, summáq; rerumpenuria uitam degimus? Ne tu quidem here,curas his rebus finem imponere, & ad æqualitatem reuocare. Tũ ille,Cætera quidẽ,inquit,haud facile fuerit innouare,quæ uobis à Clotone,reliquisq; Parcis accidunt. Porrò paupertatis malum uobis corrigam,quatenus ad festum attinet. Sit autem hæc corrigendi ratio. Abi

Cronosolon, ac mihi leges aliquot conscribito, ostẽdens quid obseruandũ sit in festo, uti ne diuites inter sese festum celebrẽt, sed uobis sua bona impertiant. At non noui, inquam, leges conscribere. Quin ego, inquit, docebo te. Moxq; ingressus, ordine me docuit. Deinde cum cuncta perdidicissem, Et illud, inquit, illis dicito, nisi seruarint hæc, tum ego profecto sine causa falcẽ hanc acutam circũfero. Alioqui ridiculus sim, si cum patrem Cœlum execuerim, non item castraro diuites istos, quicunq; leges meas uiolauerint, ut iam euirati, Cybeli matri sese adiungant cum tibijs ac cymbalis. Hæc ille minabatur. Quare recte facietis, si leges non prætergrediamini. Lex prima. Ne quis quid intra festi tempus agito, neq; publicum, neq; priuatum, nisi quæ ad lusum, ad uoluptatem, animiq; oblectationem pertinebunt. Opsoniorum & bellariorũ artifices soli in opere sunto. Aequalitas omnibus esto, seruis, liberis, pauperibus, diuitibus. Irasci, indignari, minariue ne cui liceat. Rationem exigere ab ijs, qui res curant Saturnalitias, ne id quidem fas esto. Ne quis argentum, uestemue expendito, neue inscribito solennitatis tempore, ne quis exerceatur, neue literis operam dato, aut recitato, nisi si quæ sint urbana, lepidáque, quæ dicacitatem respiant, ac iocum.

Lex secunda. Multo ante festum diuites, singulorum amicorũ nomina in tabella scribũto. Porrò pecuniã paratam habento, ad decimã partẽ annuorum fructuum. Præterea quicquid illis supersit uestiũ, & quicquid est cultus pinguioris, cq; ut ipsis cõueniat. Ad hæc argenteorũ uim non modicam. Atq; hæc quidem in promptu sunto. Cæterum ante solennitatem porcellis circũagitor, atq; ex ædibus ejiciuntor sordes, auaritia & quæstus, & si quæ id genus alia sunt plærisq; diuitum domestica. Deinde ubi domum perpurgarint, tum rem diuinam faciunto Ioui diuitiarum largitori, ac Mercurio munifico, atq; Apollini magna donanti. Deinde circa uesperam tabulam illam, amicorum nomina tenentem relegunto. Distributis autem pro cuiusq; dignitate muneribus, ante solis occasum amicis mittunto. Porrò qui deferant, ne plures tribus, quatuórue sunto, atq; hi certissima ex famulis fide, iamq; natu grandes. Ascribatur autem in literis, & quid mittatur, & quantum, ut ne utriq; suspectos habere possint eos, qui perferunt. Atq; ipsi ministri unico quisq; calice epoto, domum recurrunto, neq; præterea quicq; ab eis postulanto. Doctis omnia dupla mittuntor, Nam hos æquum est geminam accipere portionem. De muneribus cq; modestissime simul, & cq; paucissima uerba fiunto, neq; graue quicq; in literis quisq; ascribito, nec odiose laudato quæ mittuntur. Diuiti dives ne quid mittito. Neq; locuples Saturnalibus æquali forte quempiam conuiuio accipito. Ne quid eorum quæ in hoc deprompta fuerint, ut mittantur, seruanto.

Olim publice lustrabantur domus porcello circumacto.

uanto. Néue cui muneris pœnitentia ſubito. Quod ſi quis anno ſuperiore peregre fuit, eáq; cauſa munerũ expers fuit, & illa accipito. Quin etiam pro tenuibus amicis æs alienum diuites ſoluunto, atq; etiam cõductarum ædium precium, ſi qui forte & hoc debent, neq; ſunt ſoluendo. In ſumma uero, multo ante illud illis eſto curæ, ut cognoſcant, quare maxime ſit opus. Rurſum qui accipiunt, ne demiſſis donis ut exiguis queruntor, & quicquid mittetur, qualecunq; fuerit, id magnũ ducunto. Vini cãdus, aut lepus, aut pinguis auis, inter munera Saturnalitia ne habẽtor. Néue Saturnalia dona in riſum uertunto. Remittito uiciſſim diuiti pauper. Si doctus eſt, libellum aliquem ueterem, aut ſi quid ipſe conſcripſit, quod fauſti ſit ominis, & conuiuĳs accomodum, quale cunq; potuerit. Atq; id diues læto admodum, hilariq; uultu accipito. Acceptum protinus perlegito. Quod ſi recuſarit, reieceritúe, ſciat ſeſe ĳs quæ de falce minatus ſum, obnoxium eſſe, etiã ſi miſerit, quicquid alioq; mittendum erat. Porrò reliqui, coronas alĳ, alĳ turis fruſtula mittunto. Quod ſi pauper, aut ueſtem, aut argentum, aut aurum, ſupra facultatem diuiti miſerit, id quidem, quod miſſum fuerit, publicum eſto, cõflatumq; in Saturni theſaurũ infertor. Ipſe uero pauper poſtridie plagas à diuite, manibus ferulæ ſuppoſitis accipito, non pauciores quinquaginta ſupra ducẽtas. Leges cõuiuiales. Lauandũ eſt, ubi linea ſex erit pedum. Ante lauandũ, nucibus ac talis luſitãdum. Vbicunq; caſus cuiq; locum dederit, ibi accũbito. Dignitas, aut genus, aut diuitiæ, parum momenti habento, ut prius alicui miniſtretur. Eodem de uino omnes bibunto. Neq; proſit diuiti, ſi cauſetur uel ſtomachi, uel capitis dolorem, ut ideo bibat de meliore. Carniũ omnibus æqua portio. Miniſtri ne cui quid fauore danto, neq; contrantor, neq; prætermittunto, donec ipſis uiſum fuerit, quæ tollẽda erunt. Neq; huic quidẽ magna, illi uero perexigua apponunto. Néue huic coxa ſuis, illi maxilla apponitor, ſed in omnibus æqualitas eſto. Pocillator, acutis oculis unũquẽque obſeruato, minus tamẽ herum. Acutius etiam exaudito. Calices omnis generis ſunto. Ad potandum inuitare ſiquis uoluerit, ius eſto. Omnes omnibus præbibũto, ſi libeat, ubi præbiberit diues. Neq; quiſq; bibere compellitor, qui non ualeat ad compotationem. Ne liceat ipſis, neq; ſaltatorem, neq; citharœdum inducere, qui nuper diſcere cœperit. Q d' ſi cui libeat dicteriĳs uti, liceat, ſed hactenus adhibeatur modus, aut ne ſint moleſta. Super omnia, pro nucibus ludunto talis. Si quis depoſita pecunia talis luſerit, in poſterum uſq; diem ieiunato. Et maneto quiſq;, & abito cum uoluerit. Porrò cum diues famulos ſuos conuiuio accipiet, tum amici quoque unà cum ipſo miniſtranto. Leges haſce ſinguli diuites, æreæ columnæ inſcriptas, in aulæ meditullio

Forte legendũ ὠροπιόμτος *ut uertit Eraſmus. Alioq; ſi legas* ὠροπιόντες *ſenſus erit pri uſq; bibat diues.*

ditullio habento, ac legunto. Atque id quidem sciendum est, quoad ea columna manebit, neq; fames, neq; pestilentia, neq; incendium, neq; quicquàm alioqui molestum, in illorũ domum subibit. Quod si quãdo (id quod dij prohibeant) tollatur, abominanda sunt, quæ illis tum euentura.

EPISTOLAE SATVRNALES.

Ego Saturno salutem.

QVIDEM ET antea tibi scripsi, significans quonã in statu essem, & quemadmodum ob inopiam mihi periculum esset, ne solus omnium, expers relinquerer solennitatis, quã indixisti. Addidi & illud (nã memini) iniquissimum esse, si nostrum alij opibus ac delitijs superfluerent, nihil ex suis facultatibus impertientes pauperioribus, alij rursum fame contabescerent, atq; id quidẽ instantibus Saturnalibus. Verum quoniam tum ad meas literas nihil respondisti, operæprecium existimaui, te denuo ijsdem de rebus commonefacere. Tuũ erat optime Saturne, sublata hac rerum inæqualitate, bonisq; in medio depositis, postea celebrandum festum edicere. Nam uti nunc res habent, formica camelus, quemadmodũ aiunt prouerbio. Quin magis tragœdiæ histrionem animo concipe, qui altero pede prælatis cothurnis sublimis insistat, cuiusmodi sunt Tragica calceamenta, altero uero sit incalceatus. Is si ad hunc modum instructus ingrediatur, uides necessario futurum, ut nunc excelsus sit, nunc humilis prout hunc, aut illum pedem uicissim promouerit. Nec minor est in uita nostra inæqualitas, dum illi cothurnis fulti, adornante fortuna, Tragœdias in nos agunt. Contra magna pars pedibus, atq; humi ingredimur, quum & ipsi, scias uelim, nihilo deterius illis fabulam agere possimus, atq; ingredi, siquis nos quoq; ad eundẽ istum modũ adornarit. Atqui ex poëtis audio, nihil harum rerum inter homines fuisse olim, quum tu solus adhuc imperium teneres. Verum tellus illis citra serendi, arandiq; laborẽ bona progignebat, cœnã unicuiq; paratam, uel ad satietatem usq;. Porrò flumina partim uinum, partim lac, erant autem & quæ mel manabant. Quodq; est omnium maximum, aiũt illos ipsos homines aureos fuisse, Cæterum paupertatem omnino procul ab illis abfuisse. Nos contra non satis idonei sumus, qui uel plumbum uideri possimus, aut si quid etiam plumbo uilius, ut quorum plærisq; uictus labore quæritur, ac passim paupertas, egestas, ac desperatio, &

illud,

Hei mihi,& unde inueniam,& ó fortunam, atq; id genus alia permulta,apud nos nempe pauperes abundant: quanq; his de rebus leuius diſcruciaremur,niſi diuites cōſpiceremus tanta fruentes felicitate. Qui quidem quū tantum auri,tantum argenti conditum habeant,tantum ueſtium poſſideant,tot mancipia,tot currus,familias,agros, atq; harū rerum omniū magnam uim teneant,tamen adeo nobis nihil unq; de his impertiunt,ut plebeios homines ne aſpectu quidē dignentur. Hæc inquam,ſunt Saturne,quæ nos enecāt maxime,planéq; rem intoleram dam arbitramur,hunc in purpura accumbentem,tantis opum delicijs affluere,ructantem interim,& applaudentibus amicis, perpetuo feſtū diem agere,me uero,meiq; ſimiles,ſomniorū coniecturas ſibi quisq; arſicunde forte quatuor oboli cōtingant, quo uidelicet panchrestō ſatúe expleti dormire queamus, naſturtium, aut porrum cepaśue alliumue opſonij uice arrodentes. Aut hæc igitur Saturne ad æquabilitatē uitæ mutes corrigaśq; neceſſe eſt,aut quod eſt poſtremū, illis ipſis interdicas diuitibus,ne ſoli bonis fruantur, uerum è modijs auri tam multis uel heminam in omneis nos diſpergāt. Porrò ex ueſtibus,ſi quas iam à tineis exeſas,citra ſuum incōmodum dare poſſint,malintq; hæc prorſus uetuſtate ſitúq; peritura,nobis dare qui induamur, quàm ſinere ut in cubilibus ac ſcrinijs multa carie computreſcant. Præterea ut cœnent ſinguli,nunc quaternis,nūc quinis pauperibus ad conuiuiū adhibitis. Haud iſto quidem pacto, quo his temporibus conuiuia peraguntur, uerū popularius,ut æqua ſit omniū portio, neq; ut hic obſonijs ingurgitet ſeſe,famulo interim adſtante atq; operiente,donec herus uorando præfocetur. Cæterum ubi ad nos uenerit, quū uix etiam apparauerimus admouere manū,protinus ad alios transferatur,patina tantum oſtenſa,uel ſi quid de placenta reliquū eſt. Neq; illatum aprū ita partiatur,ut domino totum dimidium apponat,unà cum capite, reliquis autē oſſa tecta apponat. Vtq; præmoneantur pincernæ,ne contentur donec unuſquiſq; noſtrum ſepties poſcat bibere,ſed ſemel iuſſi protinus infundant, & ingentem calicem impletum tradant æque atq; ipſi domino,utq; unum & idem uinum conuiuis ſit omnibus. Alioqui ubi nam iſta lex ſcripta fuit,aut receptus mos,ut hic uino odorato generoſóq; temulentus ſit,mihi contra muſto diſrumpatur aluus? Hæc ſi correxeris nouariſq; Saturne,tum demum effeceris,ut uita uere uita ſit,feſtum uere feſtum: ſin minus,illi quidem epulentur,nos autem interim ſedentes precabimur,ut ſimul atq; loti uenerint, puer ſubuerſam amphoram rumpat,utq; coquus ius adurat, ac per obliuionē muriam piſcium in lentem infundat,utq; canis in domum irruens opſoniorum artificibus alibi intentis,exta deuoret uniuerſa,præterea placentæ dimidium,

dium,utq; sus ac ceruus, neq; nō suculæ inter assandum idem faciant, quod Homerus de solis bobus cōmemorat,imò uti non serpant solī, uerūetiam unà cum ipsis uerubus in montē abripiant sese fugiantq;, utq; ipsæ etiam aues pingues, iam ademptis plumis,& ad coquēdum apparatæ,uolatu aufugiant, ne soli illis fruantur:quodq; futurum est illis grauissimū,ut formicæ tales,quales feruntur Indicæ,aurum è thesauris effossum,noctu in publicum efferant, utq; uestis curatorū indiligentia ita ab optimis muribus perforetur, ut cribrum uideri possit, nihilq; differat à casse uenatorio,utq; formosi illorum comaticq; puelli (quos Hyacinthos, aut Achilles,aut Narcissos appellare solent) dum ipsis poculum porrigunt,subito defluente coma calui fiant, & acutam ædant barbam,cuiusmodi in Comœdijs induci solent Sphenopogones,quibus à cuneata barba nomen inuentum est:utq; uertex illis asperis ac pungentibus pilis sit hirta, reliqui capitis parte nuda. Hæc atq; his etiam plura illis imprecabimur,nisi desināt usqadeo suis priuatim studere commodis,uelintq; in cōmune diuites esse,nobis quoq; quantum æquum est impartientes.

SATVRNVS MIHI CHARISSIMO SALVTEM.

Vid tu,obsecro, nugas istas ad me,ac de rebus huiusmodi scribis, iubesq; ut de integro bonorū faciā particionem? quod quidē alterius munus fuerit,penes quem nūc est imperium. Etenim demiror te,si solus omniū ignoras,quemadmodum iampridem regnare destiterim, ac priuatus esse cœperim, liberis partitus imperium:quanq; Iupiter præcipue rerum istiusmodi curam agit. Porrò mea potestas nō nisi ad taxillos usq;, saltationes, cātiones, & ebrietatē ualet,idq; septem nō amplius diebus. Itaq; grauioribus in causis,de quibus scribis,uidelicet de tollenda rerum inæqualitate,utq; ex æquo omnes aut opibus abundent aut egeant, Iupiter uobis operam dabit. Quod si quid in ijs quæ ad festū pertinent,uel fraude detractum est alicui,uel additum,id erit mearū partium iudicare. Iamq; simbo diuitibus de cœnis,deq; auri hemina,neq; nō de uestibus, ut uobis quoq; ad celebrandū festū nōnihil mittant. Quandoquidē æqua sunt ista,decetq; illos facere quemadmodū prædicatis, nisi forte habēt isti, quod probabiliter ad hæc respondeant. In summa tamen illud scitote pauperes,uos longe falli,neque recte iudicare de diuitibus. Siquidem illos felices arbitramini,solosq; suauem uitam uiuere, propterea quod illis liceat opipare cœnare, uino suaui inebriari, formosis frui mulieribus,uestibus uti delicatis, uerū istam felicitatem cuiusmodi sit ignoratis:siquidem hæ res nō mediocribus curis eos distorquent, sed singulis

inuigilare

inuigilare coguntur, ne quid rerum domesticarum dispensator fraudet, aut clanculum suffuretur, ne uinum acescat, ne frumentum uermibus corrumpatur, ne latro tollat pocula, ne populus credat calumniatoribus, si illum dixerint affectare regnum. Atqui hæc quidem quota pars est eorum, quæ istos discruciant? Quod si nosse tis metus & curas, quibus obnoxij sunt, planè fugiendas uobis esse diuitias existimaretis. Alioqui creditis uel meipsum usq; adeo insanum, ut si præclara res esset opulẽtia, aut regnũ, depositurus hæc, alijsq; ea cessurus fuerim, patererq; ut nunc priuatus alieno parerem imperio? Quinpotius quũ non essem ignarus huiusmodi malorum, quæ plurima diuitibus ac regibus adsint necesse est, imperiũ deposui, idq; sapienter. Nam quod tu nũc apud me deos obtestans deplorabas, illos apris ac placentis expleri, uos contra, nasturtium, porrumue, aut cepe per festi tempus, obsonij loco arrodere, cuiusmodi sit cõsidera. Etenim in præsens quidẽ utrũq; dulce est illis, minimeq; molestum. At postea res inuertitur. Quandoquidem uobis deinde non accidit, ut postridie surgatis, capitis dolore grauati ob temulentiam, quemadmodum illi, neq; ob immodicam ingurgitationem graue olentem, & acrem spiritum ructatis. At illi hoc quoq; fructus ferunt, ut quoniam magnam noctis partem ratio coitu pro libidinis arbitrio trãsigunt, facile sibi, uel tabem, uel tussim, uel morbum intercutẽ, ex intemperato uoluptatũ usu colligant. Alioqui quotumquẽq; potes ostendere, qui non planè palleat, ac faciem cadauero sam præ se ferat? Quotumquẽq; autem, qui quum ad senectutem peruenerit, suis ipsius pedibus ingrediatur, ac non potius à quatuor baiulis gestetur? foris quidem totus aureus, intus putris, ac pannosus, cuiusmodi sunt Tragica indumenta, ex pannis admodum uilibus consarcinata. Vos autem quum molestum est, quod de piscibus gustare non liceat, quod inedia laboratis, non illud item cogitatis, eosdem & podagræ, & tussis expertes esse, aut si quid aliud aliam ob causam illis incommodi contingit. Quãq; nec illis ipsis æque dulce est, quotidie, supráque satietatem istis uesci. Quin potius uideas eos nõnunq; ita holus ac lupinum appetere, ut tu nõ æque leporem appetas, aut aprum. Vt de reliquis interim sileam, quæ illos discruciant, puta si filius sit luxuriosus, si uxor uel amans, uel amata à famulo, coacta magis eq; ex animo cum illo dormiat. In summa multa alia sunt, quæ uos ignorantes, tantũ aurum illorum ac purpuram uidetis. Tum siquando uideritis eos albo prouehi curru, inhiatis & adoratis? Quod si illos contemneretis, negligeretisq;, neq; ad argenteum currum oculos haberetis intẽtos, neq; inter colloquendum, smaragdum annulo inclusum respectaretis, neq; uestes obiter contrectantes, molliciem admiraremini, sed sineretis eos

ipsos sibi diuites esse, haud dubie futurum sit, ut ipsi uos ultro adirent, ad cœnam rogarent, nimirum ut uobis ostendere possint lectos, mensas, ac pocula. Quarum rerum nulla sit utilitas, si sine teste possideantur. Certe reperietis plærasq; hæc illos uestra causa parare, nó quo utantur ipsi, sed uti uos admiremini. Hæc ad consolandos uos scribo, utranque uitam cognitam habẽs. Conuenitq; ita festum agere, ut cogitetis omnibus breui decedẽdum è uita, & illis, depositis opibus, & uobis, relicta paupertate. Quanq; & illis scribam, sicuti sum pollicitus, certũq; scio eos non neglecturos literas meas.

SATVRNVS DIVITIBVS SALVTEM.

AVPERES nuper ad me datis literis incusarũt uos, qui nihil ipsis ex facultatibus quas possidetis, impertimini, atq; omnino postularũt, ut omnia bona facerẽ omnibus communia, ut ad singulos illorum sua pars rediret. Aequũ em esse, ut rerum æqualitas cõstituatur, neq; decere, ut huic supersit, ille nullo modo sit particeps uoluptatum: Ego uero respondi, hisce de rebus rectius Iouem cõsideraturum. Cæterum de præsenti negocio, déque iniurijs, quibus sese per festos dies affici putant, uidebam mei officij esse sententiam ferre, sumq; pollicitus me uobis scripturum. Sunt autem quæ postulãt hæc, ut mihi quidem uidetur, æqua. Nam quo pacto, inquiunt, tanto frigore horrentes, tantæq; obnoxij esurioni, postea diem etiam festum celebrare possimus? Quare si uellem & illos festi participes esse, postularunt ut cogerẽ ubs, ut & de uestibus illis impertiamini, si quæ supersunt pinguiores, & quæ uobis conueniant, utq; de auro nonnullas guttulas in illos distilletis. Quod si ista feceritis, inquiũt, non erit amplius disceptatio inter uos de bonis apud Iouem. Sin minus, minitantur sese ad nouã rerum partitionem prouocaturos, ut primum Iupiter pro tribunali sedere cœperit. Atq; hæc quidem facere uobis nequaq; graue fuerit, imperiti nónihil de tantis opibus, quas possidetis, & recte possideris. Quin de cœnis quoq; ut uobiscum cœnarent, & hoc literis addendum putarunt, quemadmodum uos in præsentia foribus occlusis, soli delitijs frueremini. Quod si quando uobis uisum fuerit, & illorum quempiam post longum tempus conuiuio adhibere, plus esse molestiæ in cœna, & uoluptatis, multáq; illic in pauperum contumeliam fieri, uelut illud, Cum nó eodem de uino bibãt, dij boni, & illiberale, planè dignum, in quo & illi debeant accusari, qui non surgant potius, abeantq;, toto conuiuio uobis solis relicto. Quãq; negant sese etiam ad satietatem ex illo qualicunq; uino bibere. Propterea quod uestri pincernæ, aures habeant cæra obturatas, quemadmodum

dum

dum olim Vlyssis socij. Porrò reliqua usqadeo sunt turpia ut pigeat commemorare, quæ de carnium partitione criminãtur, decq; ministris, qui cum uobis assistãt, donec plusq; ad plenum expleamini, ipsos præ tercurrunt, aliaq; huius generis permulta sordida, minimeq; digna uiris ingenuis. Proinde æqualitas, res est omnium iucundissima, maximeq; conuiuijs congruens. Atq; hac de causa, uobis æquus ille partitor in conuiuijs præficitur, ut æquam omnes habeant portionem. Videte igitur ne posthac uos iterum accusare possint. Quin potius honorabũt uos, & amabunt, si paucula ista à uobis acceperint, quorum impendium à uobis nec sentietur quidem, penes illos muneris in tempore dati memoria semper mãsura est. Præterea nec rempublicam administrare possitis, ni pauperes unà uobiscum in ea uersentur, milleq; modis felicitatem uestram adiuuent. Neq; enim habituri estis, qui diuitias uestras suspiciant, si soli atq; apud uosipsos in tenebris eas possideatis. Videat igitur uulgus, miretur q; uestrum argentum, mensas, & quemadmodum præbibentes ad potandum inuitetis. Dein illi inter bibendum poculum undiq; contemplentur, ac pondus expendant, manu librantes. Tum argumenti absolutam cælaturam, Tum auri uim, uicissim artem condecorantis: Nam in istum modum, non solum illi uos probos uiros & humanos prædicabunt, uerumetiam inuidiam illorũ effugietis. Quis enim inuideat impertienti, dantiq; quod æquum est? Quis non potius optet, ut q; diutissime uiuens, bonis suis fruatur? Verum ut nunc res uobis habent, & felicitas uestra teste caret, & diuitiæ inuidiosæ, & insuauis uita. Neq; enim perinde iuuat, opinor, si quis solus expleatur, quemadmodum aiunt leones facere, & ex luporum genere, quos solitarios uocant, q; si cum lepidis hominibus, ac per omnia gratificari paratis, cõuiuatis. Qui primum non sinent cõuiuium surdũ aut mutum esse, uerum consuetudine sua fabulas conuiuijs aptas, dicteriaq; minime molesta, uariasq; uoluptates adferent. Quibus rebus tempus iucundissime transigitur. Idq; gratum est Baccho, gratum Veneri, gratum etiam Gratijs. Deinde postero die, dum comitatem uestram referunt, beneuolentiam uobis conciliant. Hæc etiã magno fuerant emenda. Nam illud à uobis scisciтabor, si pauperes abeant taciti, sic enim fingamus, nónne uos ea res moueret, cum non haberetis, quibus ostẽtaretis purpureas uestes, comitum multitudinem, annulorum magnitudinem? Neq; iam libet referre necessario futurum, ut pauperum insidiæ, atq; odia in uos oriantur, si soli delitijs frui uelitis. Nam quæ minãtur uobis imprecaturos sese, prorsus abominãda sunt. Ac dij prohibeant, ne unq; ad eiusmodi imprecationes uenire cogãtur. Quando quidem si id fiat, neq; intestina posthac gustabitis, neq; placentam, ni/

si siquid canis reliquum fecerit. Præterea lenticula saperdæ liquamẽ uobis habebit. Porrò sus aut ceruus interim dum assantur, è ueru in montes aufugere parabunt. Tum aues quoq; pingues absq; alis fugam molientes, ad pauperes auolabunt, Deniq; quod est omniũ grauissimũ; pocillatores formosissimi repente uobis calui fient, idq; etiã fracta amphora. Super his rebus consulite, quæ & festo sint digna, & uobis q̃ maxime tuta, atq; illis paupertatis onus subleuate, exiguo uectigali illos amicos habituri, neutiq; malos.

DIVITES SATVRNO S.

VM PVTAS Saturne, de rebus istis ad te solum scripsisse pauperes? Quin potius Iouis ipsius aures iam obsurduerunt illorum querelis, dum hæc eadem uociferantur, ac nouam rerum partitionem flagitant, ac simul & fatum incusant, quod non æqualiter distribuerit, & nos, quod nihil ipsis uelimus impertiri. Verum nouit ille, quippe cum sit Iupiter, penes quos sit culpa, eóq; illos plerũq; obaudit. Nihilominus tamen purgabimus nos tibi, quandoquidem hoc certe tempore princeps noster es. Nos enim omnia ista quæ scribis, ob oculos habentes q̃ sit honestum de magna rerum copia opitulari ijs, qui indigent, quantóq; sit iucundius, simul cũ pauperibus uersari, & conuiuium agitare, ad eum modum assidue facimus, adeóq; in ratione uitæ nos æquamus, ut nihil possit incusare is, quem ad conuictum admittimus. Verum illi primum aiunt sibi paucis opus esse. Dende ubi semel illis fores aperuerimus, nunq; desinũt alia super alia postulare. Quod nisi protinus omnia, simulq; cum dicto acceperint, mox paratum odium, in promptu conuitia, etiã si quid de nobis sit mentiendum. Porrò qui audiunt, fidem illis habent, rati uidelicet illos probe scire quæ dicunt, propterea quod nobiscum consuetudinem habuerint. Ita fit, ut in alterutrum incidamus, ut aut si nihil demus, illos prorsus habeamus hostes, aut profusis omnibus, ipsi protinus egeamus, iamq; in pauperum gregem ueniamus. At cætera quidem utcunq; ferenda sunt, uerum inter cœnas ipsas non satis habẽt ingurgitari cibis, atq; aluum explere, sed ijdem ubi plus satis adbiberint, tum aut puellæ formosæ cyathum porrigentis manum uellunt, aut concubinam, uxoremue sollicitant. Postremo conuomito conuiuio, postero die nobis obtrectãt, narrantes quẽadmodum sitierint, esurierintq; Quod si hæc aduersus illos mentiri uidemur, uester ille parasitus Ixion in memoriam redeat, qui ad communis mensæ honorẽ admissus, ac uobis dignitate æquiparatus, iam ebrius uir ille egregius, Iunonem adortus

adortus est. Hæc atq; huiusmodi sunt, propter quæ in posterum statuimus, quo res nostræ sint in tuto, ne posthac illis in domum aditum præbeamus. Quod si te autore, pacto recipiant, sese moderate petituros, quemadmodum nunc aiunt, neq; quicq̃ flagitiose in cõpotationibus admissuros, age, cõuiuant nobiscum, simulq; cœnẽt bonis auibus. Ac de tunicis, sicuti iubes, mittemus, & de auro, quantum facultas patiet, ac sumptus augebimus. in summa, nihil omittemus officij nostri, modo uicissim desinant ipsi arte nobiscum uiuere, sintq; pro parasitis & adulatoribus amici. Ita nihil erit, quod in nobis desyderes, si ipsi quoq; suo fungi uolent officio.

LVCIANI SATVRNALIVM FINIS.

LVCIANVS DE LVCTV, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

PERAEPRECIVM sanè fuerit obseruare ea, quæ in luctu uulgo tum dicantur, tum fiant, item quæ dicantur ab ijs, qui eos consolantur scilicet, quãq; nõ ferenda putent, lugentes ea quæ sibi acciderunt, & sibi ipsis, & ijs quos flẽt. Cum haud quaq̃ pernouerint mala ne sint ista, ac dolenda, an contra iucũdiora melioraq; ijs quibus accidunt. Sed ex more & consuetudine dolorem accersunt. Itaq; cũ mortuus fuerit aliqs, faciũt ad hunc modũ. Quin prius uolo tibi narrare, quas habeant de morte ipsa opiniones. Sicẽ palàm fiet, qua gratia superuacanea ista moliantur. Vulgi quidem hominum multitudo, quos sapientes isti uocant idiotas, Homero, Hesiodo, reliquisq; fabularum autoribus, super his fidem habentes, & illorum poësim pro lege ducentes, locum quendam subter terram profundum esse putant, quem tartarum uocant. Eum existimant magnum & spacioſum esse, caliginosum atq; opacum, qui tamen istis haud scio quo pacto illustrari uidetur, quo singula quæ illic sunt, introspiciant. Tum regnare in hoc specu Iouis fratrem, cui nomen Plutoni, ut mihi retulit quidam harum rerum mire peritus, ob id eo uocabulo honestatũ, quod mortuorum copia dines esset. Porrò Plutonem hunc inferorum rempublicam, & manium uitam constituisse in hanc formam. Nam sorte obtigisse huic, ut uita defunctis imperaret. Quos ubi demissos receperit, arreptos uinculis ineffugibilibus coërcet, nulli prorsus permittens, ut ad superos redeat, præterq̃ admodum paucis ex uniuerso æuo, idq; grauissimis de causis. Interluitur aũt regio illius, fluuijs & ma

gnis & horrendis,uel ſolo nomine. Siquidem Cocyti, Phlegetontes, atq; huiuſmodi uocabulis appellantur. Quodq; eſt grauiſſimum, præiacet Acherontica palus, quæ prima excipit obuios, quam non poſſis neq; tranſmittere, neq; tranſire ſine uectore. Nam & profundior eſt, q̃ ut pedibus tranſiri poſſit, & ſpaciоſior, q̃ ut tranari queat. In ſumma huiuſmodi eſt, ut nec auiũ manes poſſint eam tranſuolare. In ipſo uero deſcenſu, portáq; que quidẽ eſt adamantina, Aeacus eſt, regis patruelis, cui mandata eſt cuſtodia, iuxtáq; hunc canis triceps, fæuus admodum. Is aduenientes ſatis amice, pacateq; intuetur. Cæterum ſi quis conetur aufugere, latrat, territoſq; in ſpecũ redigit. Iam qui tranſmiſſa palude ingreſſi ſunt, eos excipit pratum ingens, Aſphodelo conſitum, ac fluuius memoriæ hoſtis, eóque Lethe nomen eſt inditum. Nam hæc uidelicet priſcis illis mortalibus narrarũt, qui illinc redierant. Nempe Alceſtis & Proteſilaus, Theſſalus uterq;, neq; non Theſeus Aegeo prognatus, & Homericus Vlyſſes, teſtes admodum graues, digniq; quibus habeatur fides, qui mihi non uidentur è fonte illo bibiſſe, alioqui non meminiſſent horum. Itaq; Pluto & Proſerpina, ut aiebant illi, rempublicam adminiſtrant, rerumque omnium dominatum obtinent. Sed inſeruiunt his, & in adminiſtrando principatu adiuuant ingens turba, Furiæ, Pœnæ, Terrores, ac Mercurius, quanquã is ſanè non adeſt perpetuo. Præfecti autem & ſatrapæ & iudices ſedent duo, Minos & Rhadamanthus, uterq; Cretenſis, uterq; Iouis filius. Atq; hi quidem bonos ac iuſtos uiros, qui cum uirtute uitam peregiſſent, ubi iam multi collecti fuerint, uelut in coloniam quandã emittunt in campum Elyſium, uitã optimam inibi uicturos. Quod ſi malos aliquos ceperint, hos Furijs traditos, in impiorum locum eijciunt, pro ratione malefactorum puniendos. Quo quidem in loco, quid tandẽ mali non patiuntur? torti, exuſti, à uulturibus arroſi, rota circumacti, ſaxa ſurſum uoluentes. Nam Tantalus ipſe ad paludem ſtat in periculum adductus, ne ſiti moriatur infelix. Rurſum alij mediocris uitæ, ſunt autem hi complures, uagantur in prato ſine corporibus iam umbræ facti, & ad tactum ceu fumus euaneſcentes. Aluntur autem uidelicet noſtris libationibus inferijſq;, quæ ſepulchris inferuntur. Adeo ut ſi cui nullus ſit in terra reliquus amicus aut cognatus, hic mortuus, ieiunus ac famelicus inter illos uerſatur. Hæcuſq; adeo ualide uulgi animos peruaſerunt, ut ſimulatq; familiaris quiſpiam mortuus fuerit, primum obulum illi in os imponant, traiectionis mercedem, quam uectori daturus ſit, nec illud prius expendunt, cuiuſmodi nomiſma legitimũ ſit, ambuletq; apud inferos, & apud illos ualeat, Atticus, an Macedonicus, an Aeginẽſis obolus. At ne id quidem cogitãt, multo ſatius eſſe

non

nõ posse naulũ reddere. Sic enim fiet, ut non recipiente portitore, post liminio redeant in uitam. Post hæc lotos eos, perinde quasi tartarea palus non satis sit idonea lauandis his, qui illic degunt, & unguentis optimis uncto corpore, iamq; uicta graueolentia, tum coronatos pulcherrimis floribus proponunt splendide uestitos, ne uidelicet algeant per uiam, néue nudi conspiciantur à Cerbero. Accedunt ad hæc mulierum eiulatus, omnium certe lachrymæ, pectorum planctus, comæ dilaniatio, genarum cruẽtatio. Alijs autem & uestis discerpitur, & puluis capiti inspergitur, adeo ut uiuentes miserabiliores sint mortuo. Nã illi humi uolutantur sæpenumero, capita solo allidunt. Hic uero decorus ac formosus, ac diligentissime coronatus, sublimis propositus est, & excelsus, uelut ad pompam adornatus. Deinde mater, atq; adeo pater quoq; ex medijs cognatis progressus, ac mortuo circumfusus, (Nã finge iuuenem aliquem, ac formosum propositum esse, quo magis in hunc cõpetat actio fabulæ) absurdas ac stultas uoces emittit. Ad quas mortuus ipse responsurus sit, si contingat uocem recipere. Ait enim pater, flebili quadam uoce uerbum unumquodq; producens in longum: Fili iucundissime, peristi mihi, mortuus es, ante diem præreptus es, me super hæc misero solo relicto. Non duxisti uxorem, non parasti liberos, non militasti, non coluisti agros, non ad senectam peruenisti, non comessaberis posthac, non amabis fili, neq; cum æqualibus in cõpotatione inebriaberis. Porrò hæc atq; id genus alia dicet, quasi putet filiũ adhuc rebus his egere post obitum, ac desiderare quidem, uerum potiri non posse. Sed quid hæc loquor? Quot enim sunt qui equos ac concubinas, rursum alij, qui pincernas etiam in funere mactarunt, qui uestem, reliquumq; mundum pariter in rogum iniectum exusserunt, aut una cum cadauere sepelierunt, perinde quasi illic sit usurus, & apud inferos fruiturus? At senex iste luctum agens, hæc omnia atq; his etiã plura quæ dicit, neq; filij causa iactare uidetur, ut quem sciat non auditurum, etiam si Stentorem clamore uincat, neq; rursum sua ipsius gratia. Satis enim erat illi cogitare, & cognoscere, uel sine uoce. Nihil enim opus est, ut quis apud sese clamet. Superest igitur, ut ad hunc modum delyret, ob eos qui adsunt, cũ nesciat neq; quid acciderit ipsi filio, neq; quo concesserit. Imò cum ne suam quidem ipsius uitam, cuiusmodi sit perpenderit, Neque enim alioqui ceu rem acerbam grauiter ferret, illum ex hac demigrasse. Filius igitur huic ita responderit, exorato Aeaco atque Orco, quo liceat tantisper è specu proferre caput, dum patrem insanientem compescat: Homo infelix quid clamas? Quid mihi molestus es? Desine uellicare comam, ac uultus etiam tutem lacerare. Cur mihi conuitium facis, ac miserum appellas, & infortunatum

fortunatum, qui iam sim te multo tum melior, tum felicior? Aut quid acerbi mihi putas accidisse? An quia non sim factus senex talis, qualis es tu, capite caluo, facie rugosa, incuruus genibus, segnis, in summa, totus ætate putris, multis expletis Triacadibus & Olimpiadibus, deniq; ad istum modum delyrans apud testes tam multos? O demens, quid tibi uidetur in uita boni, quo posthac non simus potituri? Nimirum compotationes dicis, ac cœnas, uestemq; & concubitus, eóq; metuis, ne rerum harum inopia peream. Non cogitas autem, longe bellius esse, nó sitire, q̃ bibere, non esurire, q̃ edere, non algere, q̃ uestibus abundare. Age igitur, quãdoquidẽ ignarus uideris, docebo te lugere uerius. Iamq; denuo incepto luctu, clama. Fili miser, nõ amplius sities, nõ amplius esuries, nõ amplius algebis. Peristi mihi infelix, q morbos effugetis, qui febrẽ iã non timeas, non hostẽ, non tyrannũ, nõ amor discruciabit te, non auocabit coitus, neq; huius rei causa bis aut ter quotidie perdes impensam. Heu calamitatẽ. Neq; contẽneris factus senex, neq; molestus eris iuuenibus, siquãdo cõspiciaris. Hæc si dixeris pater, an nó putas te multo ueriora, magisq; ridicula dicturum, q̃ ista quæ modo? At uide ne illud te male habeat, dũ noctẽ, quæ apud nos est, magnamq; cogitas caliginẽ, proinde metuis, ne tibi præfocer, cõclusus in monumẽto. Verũ in his illud oportet perpendere, oculis putrefactis, atq; adeo exustis (siquidem paulopost exurere me decreuistis) nihil opus erit, nec ad tenebras, nec ad lumen inspiciendum. Atq; ista fortassis utcũq; ferẽda. Verum eiulatus iste uester quid mihi confert? aut quid ista pectorũ ad tibiæ modos percussio? aut quid mulierum immodica lamẽtatio? Quid autẽ saxum, quod sepulchro imponitur, coronis ornatũ? Aut quid ualet, quod merum infunditis? Num putatis illud ad nos de stillaturum, & ad Orcũ usq; permeaturum? Nam de parentalibus ipsi quoq;, ni fallor, uidetis, quod ex apparatu potissimũ ad nos redire deberat, id fumo correptum, sursum in cælum abire, neq; quicq̃ iuuare nos, qui inferne agimus. Porrò quod superest, puluis est inutilis, nisi creditis nos cinere uesci. Non est usq; adeo sterile, neq; infrugiferũ Plutonis regnum, neq; nos destituit Asphodelus, ut à uobis cibos hucdeportemus. Iraq; iuro per Tisiphonem, iampridem mihi libebat uehementer exclamare, super his, quæ & faciebatis, & dicebatis, seduetabat linteum ac lanæ, quibus mihi fauces obligastis.

Atq; ita profato, mors ultima lumina clausit.

Sed dicito per Iouem, si conuersus ad eos mortuus ille loquatur hæc, cubito innitens, an non uidebitur rectissime dicturus? Attamen uecordes isti uocsferantur, & accersito quopiam lamentorum artifice, qui multas antiquas calamitates in unum congerat, certaminis adiutore, &

re,& amentiæ chorago abuntuntur, ubicũq; cœperit ille, ipsi ad melos eiulatu respondentes. Verum quãtum ad lamentationes attinet,omnibus eadem est ineptiendi consuetudo. At deinceps sepulturæ ratione in uarios diuidunt modos. Nam Græcus exurit, Persa defodit, Indus adipe suillo oblinit,Scytha deuorat,muria condit Aegyptius. Atq; hic quidem(rem à me ullam narro)desiccatum cadauer, conuiuam & compotorem adhibet. fit autem frequenter,ut Aegyptium aliquem indigentem pecuniæ, leuet egestate pignus frater aut pater in tempore factus. Nam libationes,pyramides,columnæ,tituli,ad breue tempus duratura,an non superuacanea,& ludicris simillima? Sunt uero qui ludos quoq; constituant ad sepulchrum,ac funebres orationes habeãt,perinde quasi patrocinentur, ac testimonium perhibeãt defuncto apud inferos iudices. Post hæc omnia,supersest exequialis cœna. Iãq; adsunt necessarij,ut defuncti parentes consolẽtur, suadentq; uti cibum capiãt, quãq; illi per Iouem non illibentes ad id compelluntur,quippe perpetuum iam triduũ enecti fame. Et quousq; quæso flebimus? Sine quiescant Plutonis manes. Quod si tibi deliberatum est omnino flere, uel ob hoc ipsum cibus est capiendus, quo tanto luctui par esse possis. Tũ denicq, tum ex omnibus contexuntur duo uersus Homerici.

Nam cœpit meminisse cibi Niobe auricapilla.

Tum illud.

Vita defunctos flere haud finit aluus Achiuos.

At capiunt quidem illi,sed initio pudibundi,uerentesq; ne post charissimorum obitum uideantur adhuc affectibus humanis commoueri. Hæc atq; his longe magis ridicula reperiet,quisquis obseruarit ea,quæ fiunt in luctu, propterea quod uulgo existiment mortem summum esse malum.

LVCIANI DE LVCTV FINIS, DES. ERAS ROT. INTERPRETE.

ABDICATVS LVCIANI, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

Quidam abdicatus artem medicinæ didicit. Patrem insania laborantem, reliquis medicis desperantibus,dato pharmaco cum sanasset, denuo receptus est in familiam. Post hæc nouercam insania correptam sanare iussus,abdicatur.

Haud

AVD QVAQVAM noua ſunt hæc Iudices, neq; mi
randa, quæ in præſentia facit pater, neq; nunc pri-
mum ad hunc iraſcitur modum, uerum hæc lex illi fa
cilis eſt, & aſuetus ad hanc cauſam accedit. Verum
illud mihi nouo calamitatis genere accidit, quod cũ
nullum proprium ſit crimen, quod mihi poſſit impo
ni, tamen in periculum uocor, ne pœnas dem artis nomine, niſi huic iu
benti per omnia parere poſſit. Qua quidem re quid fieri poſſit abſur-
dius? uti curem ex præſcripto, non iam quatenus ars ualeat, ſed pa-
tris arbitratu. Quare optarim equidem ut medicorum ars, eiuſmodi
quoq; remedium aliquod haberet, quod non modo laborantes in-
ſania, uerumetiam præter æquum iraſcentes liberare poſſit, nimirum
quo liceat & patris iracundiæ mederi. Nunc autem ipſa quidem inſa-
nia leuatus eſt, cæterum iracundia magis etiam exaſperatur. Quodq;
eſt omnium grauiſſimum, erga cæteros omneis ſanus eſt, in me unũ
inſanit, à quo morbo fuit liberatus. Videtis igitur cuiuſmodi merce-
dem curationis feram, cum rurſum ab illo abdicor, iterum alienor à
familia, ceu ob idipſum ad breue tempus receptus, ut maiore infamia
ſæpius eiſcerer domo. At ego quidem in his quæ præſtare queam, ne
expecto quidẽ patris iuſſum, ut qui pridem non accerſitus ad opitu-
landum acceſſerim. Verum ubi res eſt eiuſmodi, ut nulla omnino ſpes
ſit, tum nec aggredi uelim. Porrò in hac muliere multo etiam minus
auſim, neq; id temere. Siquidem reputo quæ in me facturus ſit pater,
ſi res non ſucceſſerit, cum iam abdicet nondum aggreſſum curationẽ.
Quare doleo Iudices, nouercæ uicem, grauiter laborantis. Erat enim
proba. Deinde patris nomine, quem huius morbus excruciat. Ma-
xime tamen mea ipſius cauſa, qui uidear immorigerus patri, cum non
poſſim quæ iubeor præſtare, partim ob morbi magnitudinem, par-
tim ob artis imbecillitatẽ. At ſanè non arbitror æquum eſſe ut abdi-
cer, ſi quod efficere non queam, id ne recipiam quidem. Itaq; quibus
de cauſis prius abdicarit me, facile fuerit ex hoc negocio cõiicere. Quã-
quam ad illas, opinor, ſatis reſpondi, ipſa poſt acta uita. Ad hæc au-
tem quæ nunc obiicit, pro uirili ſum reſponſurus, ſi prius de ſtatu meo
pauca uobis expoſuero. Ego intractabilis ille, & immorigerus, pa-
trem dedecorans, & indigna genere meo patrans, id quidem tempo
ris multa id genus uociferanti, ac ſine fine oclamanti, paucis contra-
dicendum eſſe duxi. Verum domo cedens, exiſtimaui mihi grauiſ-
ſimi iudicij inſtar fore, uerumque calculum, ita actam deinde ui-
tam,

tam, ut appareret me à paternis illis criminibus quàm longissime abesse, sed potius honestissimis studijs dedisse operam, cum optimis uiris habuisse consuetudinem. Iam uero & eiusmodi quid & prospiciebam, ac suspicabar fore, ut aliquando pater, qui non ad horum animo constaret, mihi sine causa succenseret, falsáq; in filium crimina strueret. Neq; deerant qui ista morbi initium interpretarentur, minasq; ac tela paulo post irruituri mali. Nempe odium absq; causa, mores asperos, conuitia parata, censuram seueram, clamorem, iracũdiam, in summa, omnia plena bilis, unde usu uenturum credebam, ut mihi aliquando arte medicinæ foret opus. Proinde foras profectus, ac probatissimorum, quos in peregrinis regionibus nancisci potui, medicorum usus doctrina, plurimo labore, uehemẽtiq; animi studio artẽ perdidici. Porrò domum reuersus, offendo patrem manifesta iam insania laborantem, & ab huius loci medicis desperantibus destitutũ, qui non altius introspiciunt, nec admodum exacte morbos dijudicant. At ego sanè sicuti par erat facere frugi filium, neq; superioris abdicationis iniuriam recordabar, neq; ut accerserer operiebar. Neq; enim erat quicquam, quod illi proprie imputare possem. Verum peccata illa omnia fuerant aliena. Nempe quemadmodum modo dicebam, ipsius morbi. Ergo cum inuocatus accessissem, non sum equidem protinus medicatus, neq; enim hic nobis mos est, neq; id præcipit ars, uerum illud omnium primum iubemur obseruare, sanabilis ne sit morbus, an insanabilis, atq; artis terminos prætergressus. Ac tũ si eiusmodi fuerit malum, ut commode possimus aggredi, aggredimur, totóq; adnitimur studio, ut ægrotum seruemus. Quod si uiderimus iam inualuisse, superasseque, nec manum admolimur omnino, idq; uetustam quandam legem eorum, qui primi medicinæ prodiderunt artem, secuti. Qui negant tentandos esse morbos, qui iam inualuerunt. Itaque cum patrem adhuc intra spem esse perspicerem, neque malum supra artis uires esse, diu obseruatis ac pensitatis singulis, ita demum aggrediebar, ac pharmacum fidenti animo porrexi. Multi sanè eorum qui tũ aderant, suspectam habebant administrationem pharmaci, calumniantes curationem meam, Iamque parabant in ius uocare me. Aderat autem & nouerca pauida atque diffidens, non id quidem odio mei, sed quod metueret, utpote probe sciens illum grauiter laborare. Nam sola nouerat omnia, quippe familiaris & assidue conuiuens ægrotanti. Attamen ego nihil his rebus deterritus, sciebam enim futurum ut mihi signa non mentirentur, neque falleret ars, adhibui curam, obseruato tempore idoneo. Quanquam erant amici nonnulli, qui mihi consilium darent, ne fiderem, ne forte si res male

ſucceſſiſſet, maiorem aliquã calumniam mihi accerſerem, quaſi patrẽ ulteno ultus eſſem, memor iniuriarũ, quibus me affecerat. In ſumma, ille protinus cõualuit, priſtinæ redditus ſanitati, cognouitq; omnia. Familiares admirabantur, deniq; laudabat & nouerca, ac palàm omnibus utriuſq; nomine gaudebat, tum mihi laudem aſſecuto, tum illi ad ſanam mẽtem reuerſo. Atq; hic quidem, nam illud de eo teſtari poſſum, neq; contatus, neq; quopiam his de rebus in conſiliũ adhibito, ſimulatq; rem omnem è familiaribus cognouit, irritam fecit abdicationem, ac denuo me filium fecit, ſeruatorem ac beneficum appellans, confitens ſeſe certum experimentum mei cepiſſe, deq; illis ante factis ſemet excuſans, Id factum compluribus attulit uoluptatem, nimirũ quotquot aderant probi. Cæterum urebat eos, quibus abdicatio filij iucundior fuerat reuocatione. Proinde uidebã tum non eodem modo ea re gaudentes omnes, ſed erat cuius & colorem illico uerti ſenſi, & oculos turbari. & uultum iracundum, quemadmodum ex inuidia, odióq; ſolet accidere. Nos igitur ut eſt conſentaneum, in complexibus & animi gaudijs uerſabamur, utpote utroq; alteri reddito. Cæterum nouerca paulopoſt ægrotare protinus cœpit, morbo, iudices, graui, & impotẽti. Nam ſtatim obſeruabam, ut naſcebatur malũ. Neq; enim ſimplex erat, aut leuis inſaniæ ſpecies, quin potius uetus quidam morbus, qui iam pridem delituerat in animi domicilio, erupit, uictorq; in apertum prodijt. Sunt autem nobis cum alia multa ſigna, inſanabili laborantis inſania, tum illud commune in hac obſeruaui muliere. In cæteros placatior eſt, ac mitis, atq; illis præſentibus conquieſcit morbus. Quod ſi quem conſpexerit medicum, imò ſi uel audierit tantum de medico, in hunc ſupra modum incenditur. Quod [illegible] mento eſt, illã graui & inſanabili teneri malo. Hæc [illegible] dem acerbe ferebam, miſerebatq; mulieris, ut [illegible] tanto laborantis infortunio. Pater uero ob [illegible] uit, uel originem mali, quo tenetur, uel cauſa[illegible]dem, ſuſſit uti medicarer, ac ſimile pharmacum [illegible] eſſe inſaniæ genus, eundem morbum, ea[illegible] que ſimilem curandi rationem admitteret. V[illegible] mum dico, fieri nullo pacto poſſe, ut mu[illegible] bo imparem eſſe, indignatur, ac ſuccenſe[illegible] ac mulierem deſtituere, mihi crimini uerte[illegible] huic quidem accidit, quod ſolet ijs qui dole[illegible] ijs, qui libere uerum loquũtur. Tamen ego [illegible] debo, tum meo ipſius nomine, tum artis. Ac primum quidẽ à lege ſumam initium, per quam hic me parat abdicare, ut intelligat ſibi non

eſſe

esse posthac eandem abdicandi facultatem, quæ prius fuit. Neq; enim legislator omnibus, ô pater, istam potestatem permittit, neq; uti quoslibet filios, neq; quoties libuerit, abdicet, neq; quibuslibet de causis: uerum quemadmodum patribus concessit, certis de causis irasci, ita prospexit & liberis, ne id immerentibus accidat. Eaq; gratia iussit, ne libera esset, ac citra iudicium uindicta, sed ad iudices uocat, æstimatores cõstituit, qui neq; per iracundiam, neq; per calumniam, quod iustum sit iudicent. Nouerat enim frequenter accidere multis, ut ob causas iniquas ad iram cõmouerentur, hic quidem alicui falsæ calumniæ credens, ille famulo fidem habens, aut uxori cuipiam inimicæ. Quare noluit rem iniudicatam agi, neque indefensa causa liberos statim capi, uinciq;, uerum & aquam infundit, & ratio redditur, & nihil inexcussum relinquitur. Quãdoquidem solum hoc autoritatis datur patri, ut ad iudices uocet, uerum iudicandi autoritas, an merito accuset, id penes uos qui iudicio præsidetis, ac nondum spectate crimen, quod mihi impo[illegible], cuiusq; gratia nunc indignatur, uerum illud prius expendite, num [illegible] posthac illi ius sit abdicandi, qui semel abdicauerit, iamq; sit usus facultate, quam lex cõcedit, atq; hanc paternam potestatem expleuerit, deinde rursum in familiam receperit, ac superiorem abdicationẽ irritam fecerit. Nam ego certe iniquissimum istud esse dico, ut liberorum quoq; sint infinitæ pœnæ, ut multæ condemnationes, ac metus perpetuus, utq; lex nũc irato [illegible] mox deinde faciat irritum, quod actum est, rursum ut eodem [illegible] aleat, in summa, ut ius sursum ac deorsum torqueatur, utcũq; p[illegible] pro tempore uisum fuerit. Verũ initio quidem æquũ erat uti co[illegible]t, cumq; indignante pariter indignaretur, ac puniendi ius faceret [illegible] genuisset. Porrò ubi semel potestatem absumpserit, ac lege sit abusus, iracundiam expleuerit, post hæc rursum in familiam receperit, & in hanc opinionem discesserit, ut frugi putet, in his perseueret necessum est, neq; postea resiliendum, aut retractanda sententia, neq; rescindendum iudicium. Neque enim scire poterat, opinor, [illegible] natus fuerat, frugi ne, an contra esset euasurus. Atq; hanc ob causam permissum est, ut genere indignos abdicent, quos cũ educabant, cuiusmodi essent futuri nesciebant. Cæterum ubi non coactus, sed suapte sponte atq; autoritate ex sese comprobatum recipit, qua deinde ratione possit mutare factum, aut quis legis usus supereſt? Etenim ipse legislator hunc ad modũ tecum egerit. Hic si improbus erat, dignusq; quẽ abdicares, quid accidit uti reuocares? Cur denuo in familiã reduxisti? Cur legem irritam fecisti? Nam liber eras, tibiq; in manu erat ista non facere. Neq; enim tibi concedendum est, ut legibus tuo arbitratu abutaris, utq; iudicia utcũque mutatus sit animus tuus, eò trahantur. Neq;

uti nunc irritentur leges, nunc rursum ualeant, iudices interim testes sedeant, uel ut rectius dicam, ministri tuæ uoluntatis, modo punientes, modo absoluentes, quandocunq; tibi uisum fuerit. Semel genuisti, semel educasti, pro his semel item abdicare potes, atq; ita potes, si istud merito facere uidearis: uerum ut hoc fiat sine fine, ut perpetuo, ut frequẽter, ut facile, id uero supra patris ius est. Quare per Iouem iudices, ne permittatis huic, ut qui sua sponte receperit, superioris iudicij sententiam irritarit, iram damnarit, rursum ad eandem prouocet pœnam, & ad patriam recurrat potestatem, cuius tempus iam excessit, euanuitq; priuilegiũ, nec huic uni quicquàm ualens, quippe antehac consumpta. Etenim illud considerate, quemadmodum in reliquis iudicijs, ubi iudices sortibus ferunt sententiam, si quis perperam pronunciatum existimat, permittit alios adire iudices. Porrò si qui ipsi suapte sponte iudices constituerint, delectisq; arbitris causam cõmiserint, posthac non idem licet. Etenim si quis, quorum sententijs initio stare nõ cogebatur, hos sponte delegerit, iam æquum est boni consulere quæ statuerint. Itidem sanè tu quoq;, quem antea liberum erat non recipere, nisi dignus maioribus uideretur, hunc si probum arbitratus esse, denuo recepisti, iam deinde non erit abdicandi ius. Siquidem indignum esse in quem ista denuo fiant, ipse testatus es, iam de integro frugi filium esse confessus. Itaq; non conuenit pœnitere receptionis, sed firma reconciliatio sit oportet, nimirum post toties pronunciatam sententiam, ac rem bis iudicatam, primum cum abdicares, alterum, cum ipse mutasti consiliũ, meq; in familiam reuocasti, rescissis decretis superioribus, cõfirmas illa quæ postea sunt placita. Proinde perseuera in his quæ proxime statuisti, tuumq; ipsius iudicium serua. Pater sis oportet, quandoquidem id abs te decretum, id probasti, id ratum fecisti. Ego quidem si natura nõ essem filius, sed adoptatum abdicare uelles, ne tum quidem existimarim tibi licere. Quod enim initio liberum erat nõ facere, id semel factũ, iniquum est rescindere. Porrò eum qui primum natura sit filius, postea iudico, sententiaq; accersitus, quæso num par est rursum expellere, & eadem familiaritate priuare sæpius? Age quid si forte seruus essem, ac tu quidem primum improbum esse ratus, in uincula coniecisses, deinde ubi cognitum est me nihil peccasse, manumisisses, num tibi liceret, ut cunq; contigerit irasci, rursus in eandem reuocare seruitutem? Minime liceret. Istiusmodi igitur acta, leges firma uolunt esse, ac perpetuo ualere. Ergo cũ pluribus etiam argumentis docere possim, non esse ius huic abdicare denuo, quem semel abdicatum, sponte sua receperit, tamen finem faciam. Nunc spectate cuiusmodi filium parat abdicare. Atque illud nondum dicam, me tum imperitum abdicatum fuisse, nunc abdi-

dicari medi

dicari medicũ (nihil enim mihi in hac causa suffragetur ars) tum iuuenem, nunc ætate prouectum, ut ætas etiam ipsa fidem faciat, me nihil peccasse. Nam leue fortassis hoc quoq; uerum tum quidẽ, etiam si nullo commisso peccato, ut ego quidem dixerim, sed nec benemeritus, alienabar à familia. Nunc porrò cum nuper salutem dederim, ac beneficus extiterim, exigor, Quare quid fieri potest ingratius? ut mea seruatus opera, tantóque elapsus à discrimine, protinus sanationẽ illam huiusmodi factis penset, nulla meritorum habita ratione, sed usqadeo facile mandarit obliuioni, atq; in solitudinem abigat eum, qui iure sit obsecutus, cum præter ius eiiceretur, neque solum non meminerit iniuriæ, uerũ etiam & salutem attulerit, & sanæ mẽti restituerit? Neque enim exiguo iudices, neque uulgari in hunc collato beneficio, tamen huiusmodi malis nunc uideor dignus. Porrò quanquàm hic ignorat, quo in statu tũc fuerit, uos tamen omnes nostis, quid facientem hunc, simul & patientẽ, & quibus affectum modis, ego curandum susceperim, ac medicis reliquis desperantibus, fugientibus familiaribus, nec propius accedere audentibus, talem reddidi, ut etiam accusare possit, ut de legibus differere. Quin magis si exemplum quæris pater, cum propemodum talis esses, qualis nunc est uxor, ad pristinam sanitatem reuocaui. Quare non est æquum, ut pro his officijs, huiusmodi mihi gratia reponatur, utq; in me unum tantũmodo sanus sis. Etenim te nõ mediocribus à me beneficijs affectũ esse, uel ex his ipsis liquet, quibus me criminaris. Nam quem ob hoc odio persequeris, quod uxorem extremo laborantẽ periculo, grauissimẽq; affectam non sanem, qui fit, ut eundem non multo potius charissimum habeas, quũ simili morbo liberarim? non gratias agas, tam acerbis ereptus malis? At tu, quod quidẽ est ingratissimum, simulatq; ad te redisti, protinus in ius trahis, salute donatus, punis, & ad uetus recurris odium, eandẽ recitas legem. Egregiam igitur mercedẽ persoluis arti, dignamq; pro remedijs refers gratiam, qui quidẽ aduersus medicum tantum sanus es. Vos autem iudices, huic concedetis, ut de benemerito pœnas sumat, ut salutis autorem expellat, ut eum qui sanitati restituerit, oderit, ut per quẽ reuixit, ulciscatur: Haud profecto concedetis, siquidem quod æquum est, facietis. Etenim si maximum aliquod flagitiũ in præsentia cõmisissem, tamẽ superioris beneficij nomine non mediocriter mihi debebat: cuius respectu, memoriáque conueniebat hũc præsentẽ iniuriã negligere, & ob illa priora facile ignoscere: maxime si tam ingens sit beneficiũ, ut omnia superet, quæ postea possint accidere. Quod equidẽ mihi in hunc competere puto, quem seruaui, qui mihi totius uitæ debitor est: cui præstiti ut sit, ut sapiat, ut intelligat: præsertim cum cæteri omnes iam desperarent, séq; morbo im-

pares esse faterentur. Nam & illud, opinor, ad meriti mei cumulum accedit, quod cum id temporis filius non essem, cum nihil esset causæ, quæ me cogeret curationem suscipere, uerum cum liber essem, atq; alienus, à naturali causa solutus, tamen haud dissimulaui, sed ultroneus, inuocatus, iniussus adij, succurri, adnisus sum, sanaui, restitui, meũ ipsius patrem seruaui, de abdicatione me purgaui, iram beneuolentia sedaui, legem pietate sustuli, magnóq; beneficio reditum in familiam emi, atq; in tempore adeo periculoso fidem erga patrem demonstraui, méque ipsum artis auxilio insinuaui, ac tristibus in rebus legitimus filius apparui. Quàm multa enim me fuisse passum arbitramini, quantum & exhausisse laborũ? dum adsideo, dũ obseruio, dũ opportunitates capto, nunc cedens patris uehementiæ, nunc artem admouens ad breue tempus concedente morbo. Est autem hoc omnium quæ sunt in arte medicorum periculosissimum, huiusmodi medicari, ac propius accedere ad hos, qui ad eum sunt affecti modum. Fit enim non raro, ut exæstuante malo, rabiem in proximos exerceant. Me tamen nihil horum piguit, neq; grauatus sum, uerum aderam, modis omnibus cũ morbo luctans postremo superaui pharmaco. Ne uero quisquàm hoc audito, protinus apud se cogitet, Quis aut quãtus labor miscere pharmacũ. Etenim multa prius sunt facienda, præstruenda uia dando pharmaco, præparandum corpus, quo facilius recipiat medicationem, deq; omni corporis habitu sollicitus sit medicus oportet, inaniens, extenuans, cibis idoneis alens, mouens ad omne quod conducit, Somnos accersendi rationes excogitans, solitudines arte reperiens. Quibus in rebus ægroti cæteri facile pareant. At qui laborant insania, ob animi libertatem intractabiles sunt, ac gubernatu difficiles, ipsíq; medico periculosi, neq; qui facile cura expugnentur. Proinde sæpenumero cũ effecerimus, ut iam speremus proxime adesse morbi finẽ, leue aliquod erratũ incidens, renouato malo, cuncta illa superiora facile subuertit, curationẽ impedit, artem fallit. Eũ igit' qui hæc oia sustinuerit, q cũ morbo tã graui sit luctatus qui malũ malorũ omniũ expugnatu difficillimũ uicerit, huic ut iterum abdicet permittetis, utq; leges in beneméritũ interpretet' suo arbitratu concedetis, atq; eum cum ipsa natura bellum gerere sinetis? Ego naturæ parens iudices, patrem mihi ipsi seruo, custodióq;, etiam si hic quidem iniuria me afficiat. Quod si filium benemeritum, leges, ut ait, secutus, perdit, & à familia alienat, hic nimirum liberorũ osor erit, ego pius in patrem. Ego naturam amplector, Iste naturam contemnit, fasq; & ius uiolat. O patrem iniuste prosequentem odio. O filium iniustius amantem. Nam mihi ipsi uitio uerto, patre compellẽte, quod odio habitus, cum præter causam amo, & magis amo quàm oporteat. Atqui

natura

natura comparatum est,ut patres liberos ament magis,quàm liberi parentes. Verum hic studio tum leges contemnit,quæ filios nihil commeritos familiæ seruant,tum naturam, quæ parentes ad uehemens natorum desiderium incitat. Non solum enim cum plures habeat in me beneuolentiæ causas,maiorem,uti debebat,beneuolentiam non adiungit atque addit,aut quod est minus,me saltem imitatur,meũq; æmulatur amorem. Sed ô calamitatem,quin insuper odit amantem, charitate prosequentem expellit,benemerentem lædit,complectentem abdicat,legesq; liberis fauentes,ceu liberis infensas,in me torquere conatur. O bellum,quod contra naturam legibus moues pater. Non sunt ista, non sunt inquam, quemadmodum tu uis,leges bene conditas, male interpretaris pater. Non pugnat natura cum lege,in his quæ ad beneuolentiam pertinent. Hic inter sese consentiunt,& altera utriq; auxilio est ad delendas iniurias. Contumelia afficis benemeritum, Offendis naturam. Cur legibus quoque simul cum natura facis iniuriam? Quæ cum honestæ,iustæ,liberorum amantes esse cupiant, non pateris esse, quippe quas aduersus unum filium,tanquàm aduersus multos sæpius tentes. Nec finis in supplicijs quietem inuenire,quæ uelint in beneuolẽtia liberorum erga parentes conquiescere. Quanquàm alioqui ne postas quidem aduersus eos,qui nihil peccarint. At sanè leges ingratitudinis actionem concedunt in eos,qui benemeritis non retulerint gratiã. At qui non solum non refert gratiam,uerumetiam punire conatur ob ea ipsa,quibus adiutus est beneficio,considerate num quicquàm facere possit iniquius? Itaq; non posse hunc iam abdicare denuo, qui paternam potestatem semel expleuerit, ac lege fit usus, præterea non esse æquum,eum qui tanta præstiterit beneficia,expellere,familiaque exigere,satis opinor demonstratum. Nũc autem ad ipsam abdicationis causam ueniamus,& crimen cuiusmodi sit expendamus. At rursum ad mẽtem eius qui legem condidit,recurramus necesse est. Etenim ut istud tibi donemus ad breue tempus licere,quotiens cunq; uelis abdicare, utq; præterea potestatem istam tibi largiamur, etiam aduersus benemeritum,haud tamen simpliciter,opinor,neque quibuslibet de causis abdicabis. Neq; hoc dicit legis conditor. Quicquid utcunq; criminatus fuerit pater abdicato,ut satis sit tantũ uoluisse queri. Nam si id esset, quid opus erat iudicio? Verum uos istud expendere iubet iudices, num gra uibus ac iustis de causis iratscatur pater,nec ne. Hoc igitur in præsentia considerate. Exordiar autem ab ijs,quæ protinus huius insaniam sunt consecuta. Iam primum omnium quod fecit sanæ menti redditus, illud erat. Rescidit abdicationem. Ego seruator, beneficus, breuiter omnia

eram. In his nisi fallor, nihil adhuc esse poterat, quod cum crimine uideretur esse coniunctum. Deinde quid est omnium quod accusat? Quod obsequium, quam curam filio dignã prætermisi? Quando foris cubui? quas intempestiuas potatiões, quas comessatiões obijcis? Qui luxus? Quis leno pulsatus est? Quis accusauit? Nemo profecto. Atqui hæc sunt, ob quæ præcipue lex permittit abdicare. Cæterum cœpit ægrotare nouerca. Quid istud mihi uertis crimini? morbiq; pœnam à me reposcis? Non reposco, inquit. Sed quid? Quod eam curare iussus recusas, ob hoc dignus fueris qui abdiceris, quippe immorigerus patri. Ast ego quidem cuiusmodi sint ista quæ iubet, in quibus quia non possim obsequi, uideor immorigerus, paulisper differemus. Sed illud prius in totum dico. Neq; lex huic concedit, ut quiduis imperet, neq; mihi necesse est in omnibus omnino parere. Quædã enim mandata sunt huiusmodi, ut si non parueris, non sis obnoxius pœnæ. quædam id genus, ut nisi obtemperaris, ira, supplicióq; sis dignus, ueluti si ægrotes ipse, & ego non curem. Si quid rerum domesticarum curandum sit, & ego negligam. Si quid rem rusticam curandã mandes, atq; ego recusem. Hæc omnia atq; id genus alia, probabiles adferunt causas paternæ querelæ. Porrò cætera nostri sunt arbitrij, nempe quæ ad artes, & artium usũ pertinent: Maxime si nulla in re fiat iniuria patri. Iam si cui pictori præcipiat pater: Hæc pinge fili, illa nequaq;: Rursum musico, hãc pulsa harmoniam, illam ne pulsa: Tum fabro ærario, Ista cude, illa ne cude: num quisquam hunc patietur abdicare filium propterea, quod nõ ex ipsius arbitrio artem exerceat? Nemo opinor. Atqui medendi ars, quanto est honoratior, uitæq; conducibilior, tanto conuenit esse liberiores qui hac utuntur. ac iustum est, ut ars aliquo gaudeat priuilegio in exercendi facultate, ut neque cogatur usquam, neq; ferat imperium, res sacra, deorum doctrina, uirorum eruditorum cura. Neque in seruitutẽ trahatur legis. Neq; timori, pœnisq; tribunalium, neque calculis, ac patris minis, & indocti hominis iræ sit obnoxia. Proinde si tibi palam ac simpliciter ad hunc modum respondissem: Nolo curare cum possim, sed artẽ soli mihi didici, ac patri, cæteris omnibus imperitus esse uolo. Quis est tyrannus usqpadeo ferox, ut cogat etiam nolentem uti arte? Siquidem istiusmodi officia blanditijs, precibusq;, ni fallor, non legibus, ira, iudicijs, conuenit elicere: persuadere medico oportet, non iubere, ut uelit, non ut metuat, neque ad sanandum adigendus est, sed ultro ac lubens accedat oportet, Immunis à cõpulsione patris. Immunis est ars ipsa, quandoquidem ciuitates quoq; publicitus honores, præminẽtias, immunitates, priuilegia medicis tribuunt. Hæc igitur in genere poteram

teram artis nomine respondere, etiam si tu me illam docuisses. Si multum studij, multum pecuniarum insumpsisses, ut discerem, & unam hãc curationẽ, etiam si eiusmodi esset, ut præstare possem, recusassem. Nũc illud cogita, quàm rem modis omnibus ingratam & iniquã facias, qui nõ sinas me, à meipso mihi partis libere uti. Hanc ego artem tum cum non essem filius tuus, perdidici, neq; tuis subiectus legibus. Atque hãc tamen tibi didici. Huius fructum primus sensisti, cum nihil adiumenti, contuleris ad eius cognitionem. Quem præceptorem mercede conduxisti? Quem pharmacorum apparatum cõparasti? Nullum omnino, uerum inops, ac rerum necessariarũ indigens, à præceptoribus mei misertis sum edoctus. Nam abs te patre huiusmodi mihi dabatur ad discendum uiaticum, molestia, solitudo, egestas, familiarium odiũ, cognatorum auersatio. Pro istis itaq; factis postulas uti arte mea, uisq; earũ rerum esse dominus, quas mihi paraui tum cum mihi non esses dominus. Boni consule, siquid antehac ultro, nullo prouocatus officio, bene de te sum meritus, cũ nullo noie ullã abs te gratiam possem reposcere. Cæterũ nõ cõuenit sanè, ut meũ beneficiũ mihi in reliquũ tẽpus pariat, necessitatẽ ut quod uolens beneficio iuui, uertatur in occasionẽ, ut postea nolenti præcipias, iãq; in cõsuetudinẽ trahatur, ut qui semel sanauerit aliquẽ, semper deinde curet omnes quoscũq; uoluerit is, qui sanatus est. Etenim ad istũ modũ fieret, ut quos curaremus, eos dominos nobis creauerim⁹, noscq; metipsos illis tradiderimus, mercedis loco seruitutẽ accepturi, & ad omnia quæ iusserint obtẽperaturi. Qua re quid esse potest iniquius? Quoniã te grauiter adeo laborantẽ restitui, ob id, existimas tibi ius esse arte utendi mea? Atq; hæc quidẽ dicere poterã: si mihi hic imperasset ea, quæ meæ sint facultatis, atq; ego non omnino modis omnibus, uel inuitus obtemperassem. At nunc tandẽ perpendi te, cuiusmodi sint huius imperata. Quandoquidem, inquit, me laborantem insania, sanasti: insanit autem & uxor, eodemque tenetur morbo: (sic enim opinatur) & à cæteris medicis ad eundem modum destituta est: tuq; potes omnia, id quod re demonstrasti: sanato hanc quoque ac morbo leuato. Id si quis simpliciter ad hunc audiat modum, uehementer æquum uideatur, præsertim illiterato, artisque medicinæ imperito. Si autem me auscultetis artis nomine respondentem, intelligetis, nimirum nec omnia esse nostræ facultatis, neque consimiles morborũ naturas, nec eandem medendi rationem, nec eadẽ remedia in omnibus efficacia. Ac tũ palàm fiet, quantũ interfit nolis quippiã, an non possis. Vos interim patienter auscultate me, hisce de rebus philosophantẽ existimantes nec inelegantem fore, nec extra causam, nec alienam à re, nec

intempestiuam de his disputationem. Iam primum: Naturæ corporũ, ac temperaturæ, haudquaquàm eædem sunt: tametsi maxime in cõfesso est, iisdem ex elementis constare. Verum alia de his, alia de illis magis aut minus participãt: idq; loquor adhuc de corporibus uirorũ: quæ neq; similia sunt omnibus, neq; eadem temperatura, neq; eadem constitutione. Vnde necessario consequitur: ut morbi quoq; tum magnitudine, tum specie differẽtes, his accidant: utq; alia sanatu sint facilia, atq; ad curationem sponte propensa: alia rursum prorsus desperata: ut quæ & facillime corripiantur, & grauissime à morbis prehendantur. Proinde si quis existimet, quãlibet febrim, aut quamuis tabem, aut peripneumoniam, aut insaniam, quolibet in corpore unam atque eandem esse genere: is non uideatur ponendus inter sobrios, neq; doctos, neq; inter eos, qui in rebus huiusmodi exquirendis elaborarunt. Quin idem malum in hoc corpore facile sanabitur, in hoc minime. Quemadmodum uidelicet triticum, si idem in diuersos ejcias agros: aliter proueniet in plano solo, profundo, irriguo, aprico, uentis salubribus exposito, exculto, nimirum ubere, læto, copiosoq; fructu: Rursum aliter in montuosa, petricosaq; terra, aliter in opaca, aliter in subiecta mõtibus. In summa: pro cuiusq; loci diuersa natura, uarie proueniet. Itidem & morbi, pro ratione corporum, in quæ inciderint, aut maiores & uberiores, aut minores eueniunt. Verum his omissis pater, nec omnino discussa re, uult quamuis insaniam in quouis corpore consimilem esse, similemque desiderare curationem. Super hæc tam multa, muliebria corpora plurimũ differre à uirorum corporibus, uel ad morbi corruptionem, uel ad sanãdi spem, aut desperationem, facile fuerit cognoscere. Siquidem uirorũ corpora bene compacta sunt, neruosa: laboribus, agitationibus, uita sub dio acta, exercitata. Contra fœminarum, flaccida, male compacta, in umbra alita: Candida ob sanguinis inopiam, caloriscq; penuriam, & humoris superuacanei abundantiam. Quare facilius corripiuntur, quàm uirorum: utpote morbis exposita, nec ferentia curationem: præcipue uero ad insaniam procliuiora. Nam cum multum habeant iracundiæ ac leuitatis, facileq; commoueantur: porrò corporis exiguæ sint uires: facile in hoc malum prolabuntur. Proinde non conuenit, in utrisq; eandem à medicis sanandi rationem requirere: Cum intelligatis, hæc ab illis longissimo distare interuallo: iam ab ipso protinus ortu discreta: tũ tota uitæ ratione, tum actionibus omnibus, tum studijs atq; exercitijs uniuersis. Quare cũ dicis, Insania laborat: adde hoc quoq; laborat mulier. Neque cõfundas hic omnia sub unã & eandẽ insaniæ referẽs appellationẽ. Verum discretis ijs, quẽadmodũ & natura discreuit, quid in

quoq;

quoque præstari possit considera. Nam nos, quemadmodum initio dixisse memini, illud in primis spectamus: ægroti corporis naturam, actẽperaturam: & cuius qualitatis magis sit particeps, calidius an frigidius, uigens an ætate deficiens, magnum an pusillum, crassum an macilentum: reliquáque id genus omnia. Quæ si quis penitus expenderit: is demũ erit idoneus cui fides habeatur, uel desperanti, uel recipienti. Quandoquidem & insaniæ innumerabilia sunt genera, & causæ complures: nec uocabula quidem eadem. Neq; enim idem, desipere ac delirare, rabire & insanire. Verum hæc omnia nomina significant magis aut minus obnoxium esse morbo. Porrò causæ aliæ sunt uiris, aliæ fœminis. Rursum inter ipsos uiros, aliæ iuuenibus, aliæ senibus: puta iuuenibus immodica fermè repletio: senibus autem importuna calumnia, ira impotens, quæ sæpenumero incidit aduersus domesticos. Hæc initio perturbant animum: deinde paulatim uergit in insaniam. Porrò mulierũ corpora & multæ res infestant: & facile in morbum adducũt. Præcipue uero si quem oderint uehementius, aut si inuideant inimico, secundis rerum successibus utenti: aut si quid molestum sit: aut si cui succenseant. Hæc paulatim subgliscentia, multóque alita tempore, tandem in insaniam euadunt. Eiusmodi rerum aliquid uxori quoq; usu uenit pater: & haud scio, an nuper aliquid illi ægritudinem aliquam attulerit. Nihil enim illa oderat, quanquam morbo sanè tenetur, neq; his malis ullius medici cura poterit eripi. Quod si quis alius se facturum receperit, aut si quis eam liberarit: tum me oderis licet, uelut iniurium. Tametsi ne illud quidem uerebor dicere pater. Etiam si non prorsus esset, ut est, desperandum: sed adhuc aliqua salutis spes leuis ostenderetur: nec sic quidem facile manum admouerem: neque statim auderem ministrare potionem: uidelicet ueritus fortunam, ac multorum hominum obtrectationem. Vides, ut omnes arbitrantur, priuignos inuisos esse nouercis omnibus, etiam si probæ fuerint: easq; hanc ceu cõmunem quandam mulierum insaniam insanire. Quare facile suspicatus fuisset aliquis: si malum hoc secus euenisset: neque profuissent remedia: perfidam ac dolosam fuisse curationem. Atque uxoris quidem res patet ad hunc sese habent modum: idq; loquor, quod prorsus exploratum habeo: nunquàm melius est habitura, etiam si milies biberit pharmacum: eóq; nõ operæprecium conari: nisi me in hoc solum urges ut frustrer: idq; uis ut fœdam mihi famam accersam. Patere, ut mihi eiusdem artis professores inuideant. Quod si me rursum abdicaris, ego quidem etiam si ab omnibus deserar, tamen tibi nihil imprecabor graue. Sed quid si (quod auertat deus) redeat morbus: (solent istiusmodi ferme mala irritata

irritata recurrere) quid erit mihi faciũdum? Curabo, ut nosti, tum quoque: neque unquam defuturus sum officio, quod liberis natura præscripsit: neq; generis, quoad in me fuerit, obliuiscar. Deinde si resipueris, nũ credere debeo futurum, ut me denuo recipias, illud uide. Iam ista quũ facis, accersis morbum, pestemq; refricas: heri ac nudius tertius è tantis elapsus malis, contendis, uociferaris: quodq; grauissimum est, iracerissad odium propensus es: leges reuocas. Hei mihi pater, istiusmodi fuerant superioris insaniæ tuæ procœmia.

ABDICATI FINIS. DES. ERASMO ROTE RODAMO INTERPRETE.

LVCIANI ICARO MENIPPVS, SIVE HYPERNEPHELVS. DES. ERASMO ROTEROD. INTERPRETE.

ER. MILLE igitur erant stadia à terra usq; ad lunam, ubi prima nobis fuit mansio. Porrò hinc sursum ad solem parasangæ fermè quingẽtæ. Rursum ab hoc usq; ad ipsum deniq; cœlũ, arcemq; Iouis in ædito sitam, tantũ ferè spacij fuerit, quãtũ aqla ꝓbe succincta, atq; expedita queat uno die peragere. AMICVS. Dic mihi per gratias Menippe: quæ sunt ista quæ de astris loqueris, ac tacitus tecum supputas? Etenim iamdudum te affectans, audio soles & lunas: præterea autem & magnifica ista, mansiones ac parasangas, peregrina quædam commemorantem. MENIP. Ne mireris Amice, si sublimia, aëreáque tibi uideor loqui: nam summã apud me reputo nuper actæ peregrinationis. AMIC. Nimirum Phœnicum exemplo uiam stellis notaras. MENIP. Haudquaquam per Iouem: quin magis ipsis in stellis sum peregrinatus. AMIC. Papæ, longum profecto somnium mihi narras. Siquidem totas edormisti parasangas insciens. MENIP. Quid ais? somnium tibi referre uideor: qui modo ab ipso Ioue ipse reuersus adsum? AMIC. Quid audio? Itáne Menippus nobis à Ioue delapsus adest è cœlo? MENIP. Ita sanè. Ego tibi ab ipso illo summo Ioue hodie uenio, rebus interim dictu miris, & auditis, & conspectis. Quod si non credis: equidẽ hoc ipso noie supra modũ gaudeo: cũ supra fidẽ esse uideo, meã felicitatem. AMIC. Et quo pacto diuine atq; Olympie Menippe, mortalis cũ sim, ac terrestris, queã nõ credere uiro, q nubes superarit: qõq; ut Homericis dicã uerbis, Iam sit cœlitũ è nũero unus? Verũ illud mihi dicito

dicito,si molestum non est,quibus modis in altum subuectus es, aut unde nactus scalas tanta magnitudine? Nam quantum ad faciem ac formam attinet,non es admodũ similis illi Phrygio:ut coniectare possimus,te quoq; ab aquila raptum fuisse:quo pocillatoris alicubi munere fungereris.MENIP.Non me clam est te iamdudũ irridere.Neq; uero id omnino mirum:si narrationis nouitas tibi fabulæ uidetur adsimilis.Cæterum ad conscensum nihil mihi erat opus, neque scalis, neque uti pueri illius in morem ab aquila reperer:propterea quod alæ mihi essent propriæ.AMIC. Iam uero istud quod narras, uel ipsum Dædali factum superat.Siquidem præter alia,nobis inscientibus,miluius quispiam aut graculus ex homine factus es.MENIP. Recte amice: neque procul à scopo coniecisti.Etenim illud Dædali de alis inuentum ipse quoque sum machinatus. AMIC. At interim omnium audacissime, nõ ueritus es,ne tu quoque alicubi in mare delapsus,Menippeum aliquod pelagus tibi cognomine redderes:quemadmodum ille Icarium? MENIP.Nequaquam: Siquidem Icarus cum alas haberet cera adglutinatas:eáque quàm primum ad solem esset liquefacta: defluxis alis, non mirum si decidit.At nobis citra ullam ceram erant pennæ. AMIC. Istud qui fieri potuit? Iam enim haud scio quo pacto paulatim,ne adducis, ut uera uideantur quæ narras. MENIP. Ad hunc fermè modum.Aquilam egregie magnam,tum autem & uulturem ualidum arripui.His cum alas unà cum ipsis brachiis præsecuissem. Quin potius si uacat totius commenti rationem ordiẽ tibi percenseo. AMIC. Mihi quidem uel maxime uacat.Adeo sublimis à sermone tuo pendeo: iamq; ad narrationis finem inhio. Ne uero me negligas, per Iouem amicitiæ præsidem:auribus in aëre suspensum, ob tuam narrationem. MENIP.Ausculta igitur.Neque enim ciuile fuerit, si spectem amicum ore hiante relictum,eumq; quemadmodum tu ais ab auribus suspensum,Ego igitur cum expendens ea quæ sunt in uita mortalium: protinus omnes res humanas repperissem ridiculas,humiles,instabiles:nempe opes,imperia,mngistratus:contemptis his,atque horum studio, adiectoq; animo ad ea,quæ uere sunt bona:conatus sum ab his tenebris emicare,& ad uniuersi naturam suspicere.Atque hic mihi multam attulit hæsitationem,primum hic ipse qui à sapientibus appellatur mundus.Neque enim inuenire poteram, neque quo pacto factus fuisset, neque quo opifice:neq; quod esset illius uel initium,uel finis. Deinde cum particulatim contemplarer, multo etiam magis ambigere sum coactus.Quippe qui uiderem stellas temere per cœlum disiectas. Tum solem ipsum, quid tandem esset, scire gestiebam. Super omnia uero quæ Lunæ accidebant, mihi uidebantur absurda ac planè mira:puta

putabamq; cauſam aliquam arcanam & inexplicabilem eſſe, cur illa ſubinde ſpeciem formamq; uariaret. Quinetiam fulgur emicans, tonitru erumpens, tum pluuia, nix, grando è ſublimi demiſſa. Videbantur hæc quoq; omnia coniectu difficilia: quæq; nullis notis deprehẽdi poſſent. Itaq; cum ad eum modum eſſem affectus: optimum factu ratus ſum, ut horum unumquodq; à philoſophis iſtis perdiſcerem. Siquidẽ exiſtimabam illos ueritatem omnem docere poſſe. Quare cum ex illis præſtantiſſimos delegiſſem, quãtum mihi coniectare licebat, è uultus auſteritate, éq; coloris pallore, ac barbæ profunditate. Mirum enim ut mihi ex ipſo protinus aſpectu ſublimiloquos quoſdam, & cœleſtium rerum peritos uiros præ ſe ferebant. His ubi memet docendum tradiſſem magna pecunia: quam partim eueſtigio præſentem numerauit: partim tum me perſoluturum ſum pollicitus, ubi ad philoſophiæ ſummam peruentum eſſet: non grauabar erectus ad nugas doceri, & uniuerſi diſpoſitionem diſcere. At illi tantum aberant, ut me priſtina libe/rarent inſcitia: ut in maiores etiam dubitationes coniecerint: principia neſcio quæ, ac fines, tum inſecabilia, inania, ſyluas, ideas, atq; id genus alia, mihi quotidie offundentes. Verum illud interim mihi uidebatur omnium eſſe grauiſſimum: quod cum nihil inter illos conueniret: uerũ pugnantia, diuerſaq; inter ſe omnia loquerentur: tamen poſtulabant, ut ſibi fidem haberem: ac ad ſuam quiſq; rationem me conabatur adducere. AMIC. Rem abſurdam narras. Si uiri cum eſſent ſapientes, inter ſeſe de rebus factioſe diſſidebant: neq; de ijſdem eadem probabãt. MENIP. Atqui rideres Amice, ſi audieris illorum arrogantiam & in diſſerendo prodigioſam confidentiam. Qui quidẽ cum humi ingrederẽtur, nihiloq; præſtantiores eſſent nobis, qui ſuper terram ambulamus: ne cernentes quidem acutius quàm quiuis alius aſtans: nonnulli cæcutientes etiam ſenio atq; inertia: tamen & cœli terminos perſpicere ſeſe profitebantur: ſolem quoq; ipſum dimetientes, & ea quæ ſupra lunam ſunt, aggredientes: Ac perinde quaſi ex ipſis delapſi ſtellis: ita & magnitudinem illarum, & figuram explicabant. Ac ſæpenumero cum forte ne illud quidẽ certo ſcirent, quod ſtadijs à Megara abeſſent Athenæ: tamen ſpacium, quod intereſt inter ſolem & lunam, quot eſſet cubitorum, audebant pronunciare. Tum aëris altitudinem, maris profunditatem, terræ ambitũ dimetientes. Ad hæc, circulos depingebant, ac triangulorum figuras ſuper quadrangulos inducẽtes: neq; non ſphæras quaſdam picturatas, cœlum ſcilicet ipſum metiẽtes. Iam uero illud an non inſulſum, & inſignis arrogantiæ: quod cum de rebus uſqadeo incertis loquantur, nihil tamen ita proponunt, quaſi coniecturis ducantur: uerum ſupra modum contendunt: neq; ullum uincendi locum aljs relinquunt.

relinquunt. Tantum non iureiurando cõfirmantes Solem massam esse cãdefactã, incoli Lunam, stellas aquã potare, idq; Sole ueluti situla quadã per funem demissa, uaporem è mari attrahente, atq; illis omnibus ordine potum distribuente, Nam quanta sit in dictis pugnantia, id haud difficile fuerit cognoscere. Iam mihi specta per Iouem, num illorum decreta inter se consentiãt, ac non magis longissimis dissita interuallis. Quandoquidẽ primũ de ipso mundo uaria est sentẽtia, cum alijs & ingenitus, & nunquã interiturus esse uideatur? Rursum alij, & opificem illius, & fabricandi modum eloqui sint ausi. Quos equidem cum primis admirabar, propterea quod cum deum quendam rerum omniũ opificem præposuissent, non illud etiam adderent, uel unde is esset profectus, aut ubi loci consisteret cum omnia fabricaretur. Nam ante uniuersi exortũ, nõ possis uel tẽpus, uel locum imaginari. AMIC. Prorsus audaces quosdã Menippe homines, ac prodigiorum autores mihi narras. MENIP. Quid autem, si iam audias uir optime, quæ differant & de Ideis, & de incorporeis: tum quæ de finito & infinito nugantur? Nam & his de rebus acriter inter se digladiantur. Dum alij finem circũscribunt uniuersum: alij contra, finem illud nescire existimant. Quin insuper quidam ex istis complures esse mundos demõstrabãt, damnantes eos, qui de hoc uelut uno quopiam illorum disputarent. Rursum alius, nescio quis uir, haud quaq; amicus paci, bellum rerum omniũ parentem esse censebat. Nam de dijs, quid iam attinet loqui? Cum his deus esset numerus: illi rursus, per canes & anseres, ac platanos deierarent, Deinde alij, reliquis omnibus dijs expulsis, uni Soli rerum omniũ imperiũ tribuebant: ita ut mecum etiam animo discruciarer, cum tãtam audirem deorum inopiam. E diuerso alij liberaliores, multos deos faciebant: ac dissectis illis hunc aliquem primũ deum appellabant: his secundas aut tertias diuinitatis partes tribuebant. Ad hæc alij incorporeũ quiddã & informe putabant esse numen. Alij corpus esse imaginabantur. Deinde non omnes erant in hac opinione, ut putarent dijs esse curæ res mortaliũ: uerum erãt nõnulli, qui eos omni cura liberantes, haud aliter atq; nos cõsueuimus ætate defectos, à ministerijs dimittere: nihilo aliusmodi eos inducunt, cũ cuiusmodi in comœdijs induci solent satellitia. Iam alij superantes hæc omnia, ne esse quidem ullos omnino deos credebant, sed mundũ nullo domino, nullo q; duce temere ferri sinebant. Atqui cum hæc audiebã, uerebar nõ habere fidem uiris altifremis ac probe barbatis. Neq; tamen inueniebam, ad cuius dicta me uerterem, ut aliquam illorũ sententiã nancisce rer irreprehensam, ac nequaq; ab alio subuersam. Itaq; planè tandem Homericum illud mihi usu ueniebat, Nam sæpenumero animus inci

tabat,ut huic alicui illorum crederē:

Sed me mens diuersa uetabat.

In quibus omnibus cum perplexus hæsitarem,desperabā futurū,ut su per his uerum aliquid in terris audirem,cæterū unica tantū uia,uniuer sa dubitatione liberari posse,si ipse alis aliqua ratione additis, in cœlū ascenderē.Eius rei conficiendæ spem mihi præbuit primū ipsa cupidi tas,deinde fabularū scriptor Aesopus,qui aquilis ac scarabeis, interdū & camelis cœlū adiri potuisse demōstrat, uerum ut mihi ipsi alæ pro uenirent aliquando,id nulla ratione fieri posse uidebatur. Cæterum si uulturis, aut aquilæ alas induissem, nam has solas sufficere ad huma ni corporis modum,futurum forsitan,ut mihi succederet experientia. Itaq; correptis auibus, alteri dextram alam,porrò uulturi sinistrā am putaui,idq; admodum scite.Deinde quum obligassem,humerisq; lo ris ualidis accōmodassem:tum summis pennis ansas quasdā manibus inserendis addidissem,mei ipsius periculum faciebam: primum subsili ens,ac manibus interim subseruiens,& anserum exemplo paulum ad huc à terra uolatu me sustollens,inter uolandum summis interim pe dibus ingrediens.Postea quum res ex animi sententia succederet, iam audacius etiā experimentum aggrediebar:cōscensaq; arce demisi me ipsum per præceps,atq; inde in ipsum ferebar theatrum.Mox ubi nul lo periculo deuolassem,sublimia iam & ardua cogitare cœpi:ac tollens me à Parnetho siue Hymetto,ad Geraneam usq; uolabam: Rursum inde ad Acrocorinthum subuolaui:deinde supra Pholoēn & Erymanthum ad Taygetum usq;.Ergo quum tandem audax facinus satis es sem meditatus,iamq; perfectus & altiuolus euasissem, nō amplius de pullis imitandis cogitabam,uerum conscenso Olympo,quàm leuissi mo cōmeatu onustus,inde rectà in cœlum tendere cœpi : initio quidē oborta oculorum uertigine ob profunditatē:& postea ferebam,& hoc quoq; facile.Verum ubi iam ipsi lunæ uicinus essem,plurimūq; nubi um essem emēsus,sentiebam me defatigatum,maxime in ala sinistra, nempe uulturina.Huc igitur diuerti, ac super eam insidens requiesce bam,in terram interim è sublimi respiciens,neq; secus quàm Homeri cus ille Iuppiter,nunc bellacium Thracum regionem despiciens, nunc Mysorū,mox (si libuisset) Græciam,Persidem,Indiamq; :ex quibus omnibus uaria quadā uoluptate perfundebar. AMIC. Ergo ista quo que narrabis Menippe:ne ulla prorsus peregrinationis parte fraude mur:quin potius si quid obiter in itinere conspexisti, facut hoc quoq; sciamus.Nam ego sanè haud mediocria dicturum te expecto, de ter ræ forma,deq; omnibus quæ in terra sunt:cuiusmodi tibi uisa sunt ex alto contēplāti. MENIP. At tu quidem recte coniectas Amice.Quam obrem

óbrem quatenus licet,conſcenſa luna inter narrandũ peregrnanti cõmes eſto,ſimulq́ mecum contemplare totam terræ ſpeciem,habituq́. Atq́ initio quidem admodum puſillam quandã terram mihi uidere uidebar,multo inquam,luna minorem:ita ut ego repente intentis oculis diu dubitarẽ,ubinam eſſent tanti illi montes, ac tãtum mare, quod ni Rhodiorum Coloſſum conſpexiſſem, tum Phariam turrim : haud dubie prorſus ubinam eſſet terra,me prorſus latuiſſet : uerũ iſta quod ſint ſublimia,præq́ cæteris eminentia,præterea oceanus paulatim ad ſolem reſplendeſcens,indicabant terram eſſe id quod uidebam. Mox ubi fixius intenderem oculos, iam mihi omnis mortalium uita cœpit eſſe conſpicua:non ſolum ſingulæ nationes atq́ urbes:ſed planè uidebam nauigantes,bellantes,agricolantes,litigantes,mulieres,feras:& ut ſummatim dicam,

Quicquid tellus educat alma.

AMIC. Iſta quæ nunc dicis,haud quaquam ſunt ueriſimilia,ac ſecum pugnantia.Etenim quum paulo ante Menippe terram requireres,propter ingens in medio interuallum in arctum contractam, adeo ut niſi Coloſſus tibi feciſſet indicium,forſitan aliud quiddam uidere te credidiſſes,qui repente factus Lynceus,cuncta quæ ſunt in terra,dignoſcis: homines,feras,ac propemodum etiam culicum nidos. MENIP. Recte tu quidem admones : nam quod maxime dictum oportuit, id neſcio quomodo præterij.Siquidem quum ipſam quidam terram conſpectã agnoſcerem:cæterum reliqua non poſſem perſpicere propter altitudinem:nimirum iam non pertingente oculorum acie,grauiter ea res me diſcruciabat,ac uehemẽter perplexum habebat.Ego quum ad hũc modum eſſem ſolicitus,ac propemodum etiam lachrymarer: adeſt à tergo ſapiens ille Empedocles,ea ſpecie ut carbonarium quempiam eſſe diceres,cinere oppletus, atq́ exuſtus. Hunc ego quum uidiſſem (dicendum eſt enim) nonnihil perturbabar,ratus dæmonem aliquem lunarem uidere me. At ille:Bono,inquit,es animo Menippe,

Nullum ego ſum numẽ,quid me immortalibus æquas?

Sum Empedocles ille phyſicus:etenim ubi me præcipitẽ in crateras inieciſſem, fumus ab Aetna raptũ huc ſubuexit. Itaq́ nunc lunã incolo: aëriuagus pleruncq́,ac rore uictito. Adſum autem hæſitantiam iſtam tibi adempturus:nam illud (ni fallor) male te habet,torquetq́,quod non liceat tibi perſpicue terram cernere.Bene abs te factum eſt,inquã, optime Empedocles:ubi primum deuolaro rurſus in Græciam,tui memor ſacrificabo tibi in fumario:atq́ in Nouilunijs ter ad lunam inhians,uota faciam. Imo per Endymionẽ,inquit ille,haud huc accẽſi præmij gratia,ſed affectio quædam mouit animum meum,quum te uide-

rem affectū moleſtia: uerum ſcis quid facies, quo perſpicax fias? Non per Iouem, inquam, niſi tu mihi forſitan caliginē amoueas ab oculis: nam in præſentia uideor nō mediocriter lippire. Atqui me, inquit ille, nihil erit opus. Etenim ut acute uideas, id ipſe tecum è terra allatum habes penes te. Quid igitur eſt iſtud? inquā, neq; enim noui. An ignoras, inquit, te dextram aquilæ alam indutum eſſe? Scio, inquam, maxime, ſed quid alæ cum oculo? Quoniam, inquit, aquila inter animantia cætera acutiſſimi uiſus eſt, unde ſola ſolem aduerſum obtuetur, atque ita demū eſt rex & ingenua aquila, ſi non conniuentibus oculis aduerſus radios aſpiciat. Ita quidem aiunt, inquam. Quare iam me pœnitet qui non meis exemptis oculis aquilinos inſeruerim, cum huc aſcenderem. Nam nunc ſanè dimidiatus aduenio, neque omni ex parte ſatis regaliter adornatus, quin magis adſimilis uideor nothis iſtis & abdicatis. Attamen in te eſt, inquit, ut protinus alterum oculum regalem habeas. Etenim ſi aſſurges, uelisq; cohibita uulturis ala, alteram ſolam mouere, iuxtā proportionem alæ, dextro oculo cernes acute, quo minus altero cæcutias nulla ratione ſuccurri poteſt, ꝓpterea quod ad partem pertineat deteriorem. Mihi, inquam ſatis eſt, ſi uel dextra ex parte aquilino more cernā. Nihilo enim fuerit deterius, cum mihi non raro uidiſſe uidear, fabros altero oculo melius etiā ad regulā exæquātes ligna. Hæc locutus, ſimul ea faciebā, quæ præceperat Empedocles, ille interim paulatim ſubducens ſeſe, ſenſim in fumū euanuit. At ſimulatq; mouiſſem alam, ingens lumen mihi circūfulſit, adeo ut cuncta fierent in conſpicuo, quæ hactenus latuerant. Deflexis igitur in terram oculis, clare uidebam. & urbes, & homines, & quæ fiebant: neq; ſolum ea quæ ſub dio, uerum etiam quæ domi faciebāt, rati ſeſe à nemine uideri. Ptolemæū uidi cum ſorore rem habentē; Lyſimacho ſtruentem inſidias filium, Antiochū Seleuci filium, nouercæ Stratonicæ clanculū inuentem: Theſſalū Alexandrū ab uxore tolli è medio: Antigonum filij uxorē adulterio ſtuprantē: Attalo uenenū porrigentem filiū. Ruſſum ex altera parte Arſacen interficientē mulierculā: & Arbacen eunuchum gladium educentem in Arſacem. Porro Spartinus Medus è cōuiuio foras protrahebatur à ſatellitibus, calice aureo in frontem impacto. Atq; his fermè cōſimilia tū in Lybia, tum apud Scythas ac Thraces, in regijs geri licebat cernere. Nempe, adulterantes, occidentes, inſidiantes, rapiētes, peierātes, trepidātes, nōnullos ab intimis amicis prodi. Ac regum quidē negocia huiuſmodi mihi ſpectaculū exhibebant. Cæterū quæ factitabāt plebei, longe magis erant ridicula. Siquidē & inter hos uidebā Hermodorū Epicureū, ob mille nummū peierantē: Agathoclem Stoicum de mercede diſcipulū in ius uocantem: Cliniā

rheto

rhetorẽ ex Aesculapij fano phialã aureã suffurantẽ: Herophilũ Cynicũ in fornice dormientẽ. Quid enim alios cõmemorẽ, qui parietes perfoderẽt, qui lites agitabãt, qui fœnerabãt, qui reposcerẽt? Nam uariũ quoddã & undiq; mixtũ erat spectaculum. AMIC. Atqui recte facies Menippe, si ista quoq; retuleris. Consentaneũ est enim te ex his non uulgarem cepisse uoluptatẽ. MENIP. Ne fieri quidẽ potest Amice, ut cuncta ordine recenseã, quum spectare modo ista fuerit difficillimũ, uerum rerum fastigia eiusmodi fermè uidebantur, qualia refert Homerus in clypeo, ubi erant conuiuia, nuptiæq;. Altera ex parte iudicia & contiones. Rursum alia ex parte sacrificabat quispiã. In proximo uero cõspiciebatur aliquis luctum agens. Porrò quũ ad Geticam respicerem, uidebã belligerãtes Getas. Rursum ubi ad Scythas deflecterẽ, cernere erat errantes in plaustris. Mox ubi paululũ in diuersam partẽ deflexissem oculũ, spectabã agricolantes Aegyptios. Phœnix scortabatur, Clinx latrocinabatur, Lacon lotis cædebatur, Atheniẽsis causas agebat. Hæc omnia quũ eodem tẽpore gererẽtur: cogita nũc cuiusmodi uisa fuerit rerum cõfusio. Non aliter, q; si quis producat multos saltatores, uel potius multas choreas: deinde præcipiat, ut omisso cõcentu ppriam quisq; cantionẽ canat. Deinde si certatim canat unusquisque, & peculiarẽ suum cantũ absoluere studeat, uocisq; magnitudine uicinũ superare cõtendat: cogita tecum per Iouem, cuiusmodi futurus sit eiusmodi cantus. AMIC. Modis omnibus Menippe ridiculus ac cõfusaneus. MENIP. Atqui Amice, hoc genus sunt omnes qui in terris choreas agunt, omnisq; mortaliũ uita ex huiusmodi constat discrepãtia, quippe qui nõ modo sonent absona, uerum & ornatu sint dissimili, diuersaq; moueant, neq; quisq; idem cogitent, donec choragus ocs è scæna exigat, negans diutius choreas ducere oportere. Id ubi factum est, iam omnes sunt inter se similes: taciti, nec amplius cõfusam illam, & incõpositam canentes cantionẽ. Verũ in uario ipso ac multiformi theatro, uidelicet ridicula erant quæ gerebantur omnia: præcipue uero mihi risum mouebãt ij, qui de agrorũ finibus contendebãt, quisq; sibi placeret hoc nomine, quod Sicyoniũ agrum colerẽt, aut quod Marathonis eam partem haberent, quæ est iuxta Oenoẽ, aut quod in Acarnania iugerũ mille possiderent. Cum uniuersa Græcia, quemadmodũ id temporis mihi è sublimi despicienti uidebatur, quatuor digitorũ spatium habere uideretur. Attica (nisi fallor) proportione minima pars erat. Ita q; perspexi quid esset reliquũ, quod diuitibus istis animos tolleret. Etenim is qui inter hos q; plurimũ agri possidebat, uix unã ex Epicureis atomis colere mihi uidebatur. Cæterũ ubi ad Peloponesum flexissem oculos: deinde terram Cynoluræ subiectã aspexissem, uenie-

bat in mentẽ pro quãtula regione, quæ nihilo esset latior lente Aegyptia, tam ingens Argiuorum ac Lacedæmoniorũ multitudo cecidisset uno die. Porrò si quẽ cõspexissem auro superbientem, quod annulos haberet octo, phialas quatuor, magnopere ridebã & hunc. Nam Pangæum uniuersum, unà cum ipsis metallis, uix erat magnitudine milij. AMIC. O te felicem Menippe, qui tam nouũ spectaris spectaculum. Sed age dic mihi per Iouem, ciuitates atq; homines ipsi, quanti uidebantur, ex alto cõtemplanti? MENIP. Equidẽ arbitror te sæpenumero formicarũ concionem uidisse: aliquas in orbem obambulantes: nonnullas exeuntes: rursum has in ciuitatẽ redeuntes. Atq; hæc quidem fimum exportat: hæc alicunde raptam fabæ tunicam, aut dimidiatũ frumenti granũ currens apportat. Consentaneũ est autẽ pro ratione uitæ formicarũ, esse apud illas & ædium fabros, & concionatores, & magistratus, & musicos, & philosophos. Sed urbes sanè cum ipsis uiris, formicarũ nidis maxime uidebantur adsimiles. Quod si tibi uidetur humilius exẽplũ, uiros cum formicarũ republica cõferre, uetustas Thessalorũ fabulas specta. Reperies enim Myrmidonas, gentem bellicosissimã, è formicis uiros natos esse. Iã posteaq; satis spectassem omnia, satisq; risissem, excussi meipsum, subuolaui

Ad reliquos diuos Iouis altitonantis ædes.

Nondũ stadiũ ascenderã, cũ Luna, fœminea sonãs uoce: Menippe, inquit, ita tibi cõtingant quæ optas. Inserui mihi in re: quapiã apud Iouem. Die, inquã, neq; enim erit molestũ, nisi si quid oneris sit portandum. Nunciũ, inquit, quendã haud grauem, ac petitionẽ meo nomine Ioui perferes. Enecor Menippe, & multa, & intoleranda ab istis philosophis audiens. Quibus præterea nihil est negocij, nisi ut curiosi res meas exquirant, quæ sim, quanta sim, & quam ob causam dissecer, dimidiataq; fiam: curq; utrinq; gibbosa uidear. Tum hi me dicunt inhabitari, illi speculi ritu supra mare suspensam esse. Alij rursus, quod quisq; secum excogitarint, hoc mihi tribuunt. Postremo ipsum quoq; lumen aiunt mihi & furtiuum esse, & adulterinum: quodq; superne â sole proficiscatur, neq; finem faciunt, etiam cum hoc qui mihi frater est, cõmittere me, & factionẽ inter nos serere conantes. Neq; satis erat illis, quæ de ipso dixerunt sole, saxum esse illũ, & massam candentem. Et tamẽ q; multarũ rerum illis sum cõscia, quas noctu patrant, turpissimas & execrandas, cum interdiu tetrici sint, & aspectu uirili, habituq; graues, & imperitorũ oculos in se cõiectos habentes. Atq; ego cũ ista uideã, sileo tamẽ. Neq; enim decorũ arbitror, retegere atq; in lucem efferre nocturnas illas diatribas: & quam quisq; in operto uiuat uitam. Quinetiã si quẽ cõspicerem adulterantẽ, aut furantẽ, aut aliud facinus

q;ma

q̃maxime nocturnũ audentẽ,cõtinuò contracta nube tegebã,ne uulgo ostenderẽ uiros senes,ea gerentes, quæ neq; barbæ prolixæ, neq; uirtutis professioni essent decora. At istis pro nihilo est oratione me discerpere,modisq; oibus cõtumelia afficere. Adeo,ut testis est mihi nox ipsa,sæpius in animo habuerim,q̃ possem hinc longissime demigrare quópiã,ubi liceret curiosam istorũ linguam effugere. Hæc igitur memineris,ut Ioui renũcies, simulq; illud addas, ne fieri quidẽ posse, ut hoc in loco durem,nisi physicos illos cõminuat,dialecticis os occludat,Stoam demoliatur,Academiã exurat,quæ in Peripato habentur, diatribis finem imponat. Siquidẽ ad hunc deniq; modũ fiet, ut mihi paretur quies,desinãtq; me quotidie cõmetiri.Fient,inquã,quæ mandas,simulq; rectà ad ipsum cœlum tendebam.

Nulli ubi comparent hominũ úe boumue labores.

Etenim paulo post ipsa etiã Luna mihi perpusilla uidebat è sublimi. Tandẽ & terrã obtexerat. Porrò relicto ad dextrã sole, per ipsas uolãs stellas,tertio die ad cœlũ peruẽni. Ac primũ quidẽ mihi uisũ est,protinus ita ut erã introire; ratus facile fieri posse ut fallerẽ:quippe dimidia mei parte aqla. Porrò aquilã sciebã iam olim esse Ioui familiarẽ. Post apd̃ me perpendebã illos q̃ primũ deprehensuros esse me;qui alterã alã uulturinã indutus essem. Quapropter optimũ factu ratus, nõ temere uenire in periculũ, adiens pulsaui fores. At Mercuri⁹ audito pulsu,ac nomẽ percontatus meũ,festinato abijt, Ioui renunciaturus. Nec multo post,intro sum accersitus, magnopere pauitãs ac tremens. Offendoq; deos omneis pariter confidentes,nec hos absq; solicitudine. Nõ nihil enim animos illorũ turbabat nouus & inopinatus aduentus meus. Et quantũ antea nunq̃ expectabant,futurum, ut mortales omnes mox aduenirent,ad eundẽ modũ alati. Porrò Iupiter,admodũ terribili uultu,toruoq; & Titanicome obtuens, inquit:

Quisnam es,& unde uenis: ubi nam urbs tibi, quíue parentes?

Hoc ubi audissem propemodũ metu sum exanimatus. Attamẽ cõsti ti stupidus, præq; uocis magnitudie attonitus. Aliquãto post ad me reuersus,oia dilucide exposui,ab ipso exorsus capite. Quemadmodũ cõcupissem sublimia illa cognoscere: Quẽadmodũ accessissem ad philosophos: Quemadmodũ pugnãtia loquẽtes audissẽ: Quẽadmodũ desperassem,distractus illorũ dictis. Deinde meum inuentũ,tum alas reliquáq; omnia, usq; ad ipsum cœlũ. Post omnia addidi quæ Luna mandarat: Itaque ridens Iupiter exporrectis aliquantum superciliis: Quid dicas, inquit, de Oto & Ephialto, cum ausus sit & Menippus in cœlum ascendere? At in præsentia quidem te ad hospitij con-

ſuetudinẽ inuitamus. Cras, inquit, ſuper his quorũ gratia huc adueniſti, dato reſponſo dimittemus: ſimulq; cũ dicto ſurgens, ibat ad eã cœli partẽ, unde maxime omnia poterant exaudiri. Iam enim tẽpus erat, ut uotis audiẽdis cõſideret. Atq; interim inter eundum, percõtabatur me ſuper his negocijs, quæ eſſent in terra, ac primũ quidẽ illa: Quanti nunc uenit triticũ in Græcia? Et num ſuperior hyems grauiter uos tetigit? Et num holera egent hymbre copioſiore. Sub hæc rogabat: num quis adhuc ſupereſſet è Phidiæ genere? Et quã ob cauſam Atheniẽſes tot annos Ioui ſia intermiſiſſent? & num in animo haberẽt Olympiũ ſuum abſoluere? Et num eſſent cõprehenſi, qui templũ Dodonæũ ſacrilegio ſpoliaſſent. Ad ea cum reſpõdiſſem: Dic mihi (inquit) Menippe, de me uero quã habent homines opinionẽ? Quã (inquã) o here, niſi maxime piam? nimirũ omniũ deorũ regem eſſe te. Ludis tu quidem, inquit. Cæterũ ego contentionẽ illorum probe noui, etiã ſi nihil fateare. Siquidẽ fuit olim tẽpus, cum illis & uates eſſe uiderer, & medicus. In ſumma, unus eram omnia. Tum Iouis plenæ erant, & uiæ oẽs, ſimul & mortaliũ conciones. Piſa ac Dodona ſplendidæ erant, ac conſpiciendæ omnibus. Porrò præ fumo ſacrorũ, nec attollere oculos mihi licebat. Verum poſteaq; Apollo apud Delphos cõſtituit oraculũ. Aeſculapius medicinæ officinã Pergami, fabulaq; Bendidiũ natum eſt in Thracia: Anubis templum in Aegypto: Dianæ apud Epheſios, ad iſta quidẽ conturrũt omnes, ſolẽnes cõuentus celebrant: Hecatombas offerunt, mihi uero tanq; ætate defecto, abunde magnũ honorẽ habuiſſe ſe putant, ſi ſolido quinquẽnio ſacrificarint in Olympia. Proinde uideas aras meas frigidiores, q; ſint uel Platonis leges, uel Chryſippi ſyllogyſmi. Huiuſmodi quæpiã cõfabulati, in eum peruenimus locum, ubi cõſeſſurus erat ad exaudienda uota. Erant autẽ ordine ſitæ feneſtræ, cuiuſmodi ſunt ora puteorũ, habentes opercula, iuxta unam quanq; ſellã poſita erat aurea. Itaq; Iuppiter cum ad primã aſſediſſet, detracto operculo, præbuit ſeſe petentibus. Optabãt autem ex omni undiq; terra, diuerſa, uariaq;. Nam ipſe quoq; admotis pariter auribꝰ ſimul audiebã uota. Erant autẽ huiuſmodi. O Iuppiter, cõtingat mihi regnũ. O Iuppiter, contingat cepas & allia mihi prouenire. O Iuppiter uuinã pater mihi breui moriatur. Rurſum alius aliquis dicit: Vtinã exiſtam hæres uxoris: Vtinã nemo reſciſcat me ſtruxiſſe inſidias fratri. Cõtingat mihi uincere litem, coronari Olympia. Porrò ex his, qui nauigabãt, hic optabat ut ſpiraret Boreas, ille ut Nothus: Agricola optabat pluuiã, contra fullo ſolem. At Iuppiter audiens, & ſingula uota diligenter expendens, non omnibus pollicebatur.

Verum hoc conceſſit Saturnius, abnuit illud.

Nam

Nã iusta uota per os feneſtræ ſurſum admittebat, admiſſa ad dextrã ſtatuens. Rurſus iniqua remittebat irrita, flatu deorſum redigens, ne poſſint ad cœlum accedere. Super uno quodam uoto uidebam illum etiam ambigentẽ. Etenim cum eſſent duo, qui diuerſa peterent: æquales uictimas pollicitantes: non inueniebat utri potius annueret. Itaq; iam Academicon illud illi accidebat, ut nihil ſtatuere poſſet. Verũ exemplo Pyrrhonis ſuſpenſus hærebat etiam, ac conſiderabat. Porro cũ iam ſatis uota proponentibus dediſſet operam: ad proximam digreſſus ſellam. & ad ſecundam feneſtram, prono capite fœdera feriẽtibus, ac iurantibus dabat operam. Vbi his quoq; reſponſum eſſet, ac Hermodorum Epicureum fulmine cõminuiſſet: ad proximam deinde ſellam ſeſe tranſtulit, de diuinationibus omnibus & augurijs auditurus. Hinc ad ſacrificiorũ feneſtram tranſijt, per quod fumus aſcendens, denunciabat Ioui nomen uniuſcuiuſq;, qui rem diuinã faceret. Rurſum omiſſis his, uentis & horis mãdabat, quæ facere deberẽt. Hodie apud Scythas pluito, apud Libyes fulgurato, apud Græcos ningito. At tu Borea ſpira in Lydia, Tu Nothe quieſce, Zephyrus Adriani undas concitet. Tum in Cappadociam grandinis mille modij diſpergantur. Tandem omnibus fermè ordinatis, diſcedebamus in eum locum ubi cõpotant dij. Iam enim cœnæ tempus erat. Meq; Mercurius arreptum iuſſit accumbere iuxta Panem, & Corybantes, & Attim, ac Sabaziũ, inquilinos iſtos & ancipites deos. Interea panẽ exhibebat Ceres, Bacchus uinum, Hercules carnes, mirta Venus, Neptunus Mænides: ſimul interim & ambroſiam & nectar furtim deguſtabam. Nam optimus ille Ganymedes, ut eſt hominum amans, ſi quando conſpexiſſet Iouem auertere oculos, nectaris cyathũ unum, nõnunquã etiam duos mihi infundebat. Dij uero quemadmodũ alicubi dixit Homerus, & ipſe opinor, ut ego illic conſpicatus, neq; frumentũ edunt, neq; potant nigrantia uina, uerum ambroſiam apponũt, & nectare inebriant: præcipue uero gaudent ueſci ſacrificiorũ fumo, unà cum ipſo nidore, ſubuolante: ad hæc ſanguine uictimarũ, quẽ ſacrificantes aris infundunt. Cæterum inter cœnandum, & Apollo cithara canebat, & Silenus Cordacem ſaltabat, & Muſæ ſurgẽtes in medium, tum Heſiodi Theogonias nobis canebant, tum primã ex Pindaricis hymnis odam: deinde omniũ ſaturi reqeuimus, quo quiſq; ſederamus loco, ſatis uuidi potu.

At reliqui noctem diuiq;, hominesq; per omnem
Dormibant, me nequaq; ſopor aſtus habebat

Verũ mecũ animo uerſabam, cum alia permulta, tũ illa præcipue, qui fieret, ut Apollini tãto iam tẽpore nõ pueniret barba, aut quo pacto naſceret nix in cœlo, quũ ſol ſemper adeſſet, unáq; cõuiuium agitaret.

Ac tum

Ac tũ quidẽ puſillũ obdormiſ̃,mane uero ſurgẽs Iuppiter,iuſſit indici concionẽ,mox quum adeſſent omnes,ſic farier inſit. Vti uos conuocarem, in cauſa fuit hoſpes hic, qui heri aduenit: uerum quum alioqui iam olim mihi fuerit animus cõmunicare uobiſcum de philoſophis, maximeq; uero à luna,hiſq; de quibus illa queritur,commotus,ſtatui haud quaq; diutius prorogare conſultationem. Eſt enim hominũ genus, quod non ita pridem in uita fluitare cœpit, iners, contentioſum, gloriæ auidum,iracundũ, gulæ ſtudioſum, ſtultum,faſtuoſum,contumelioſum:& ut uerbis Homericis dicam,

Telluris inutile pondus.

Iſti igitur in ſectas diuiſi,ac uariis rationũ labyrinthis excogitatis, aliſ ſeſe Stoicos appellãt,Academicos aliſ,aliſ Epicureos,aliſ Peripateticos: aliis item uocabulis,his multo magis ridiculis. Deinde ubi uenerandũ illud uirtutis nomẽ induerint:tum adductis in altũ ſupercilijs,promiſſaq; barba,fucato habitu obambulant,deteſtandos mores ſecum circũferentes, ſimillimi nimirum iſtis Tragœdiarũ hiſtrionibus, quibus ſi perſonas,ſtolamq; illam auro ſparſam detraxeris, quod ſupereſt,id ridiculũ eſt:nempe homunculus ſeptem denarijs ad agonem conductus. Atqui huiuſmodi quum ſint,mortales quidem uniuerſos aſpernantur,de diis uero abſurda prædicant,cõtractiſq; cœtibus adoleſcentulorum,quos nihil negocij ſit fallere, nobilem illam uirtutem oſtentant,& uerborum ambiguitates docent,atq; apud diſcipulos tẽperantiam ſemper ac modeſtiam laudant,opes ac uoluptatem execrãtur;cæterum ubi ſoli,& apud ſeſe eſſe cœperint,quid attinet dicere, quãtopere ſeſe ingurgitent,quam immodici ſint ad Venerem, quemadmodũ autem etiam aſſium ſordes oblingant? Iam illud eſt omniũ grauiſſimum,quod cum ipſi nihil agant,neq; publicũ,neq; priuatum,ſed inutiles ac ſuperuacanei deſideant:

Nuſquam in conſilijs,nuſq; numerentur in armis.

Tamẽ reliquos accuſant,ac uirulentis quibuſdã dictis cõgerentes,neq; non maledicta quædã meditati, obiurgant, proximisq; cõuitiantur. Adeo ut is inter hos primas tenere uideatur, qui clamoſiſſimus ſit,& impudẽtiſſimus,& ad maledicendũ audaciſſimus. At ſanè ſi quis iſtũ fine fine iſta facientem, uociferantem, & cæteros incuſantem percontetur ad hunc modũ: Tu uero quid tandem facis? Aut quid per deos dicemus te ad uitam conferre? Nimirum reſpondebit, ſi modo recta ueráque fateri uolet, hoc modo: Nauigare quidem, aut agros colere, aut militare, aut artem aliquam aggredi, ſuperuacaneum mihi uidetur. Cæterum clamo, ſqualeo, frigida lauo, incalceatus per hyemem obambulo,ac ueluti Momus ille,quæ ab aliis geruntur,calumnior. Ac

ſi quis

si quis diuitum sumptuosius obsonarit, aut amicam habeat: id exquiro atque indignor. Quod si amicorum quispiam aut sodalium, morbo decumbat, curáq; & obsequio egeat, id ignoro. Hoc genus sunt nobis ò dij hæ pecudes. Iam uero qui ex his uocantur Epicurei, uehementer sunt etiam contumelioſi, neq; mediocriter nos mordent, affirmantes neq; dijs esse curæ res mortalium, neq; omnino considerari à nobis quid apud illos agatur. Quas ob res tempus est, ut de his cõsultemus: propterea quod si semel ualeant hæc persuadere ijs, qui sunt in uita, nõ mediocriter esurietis. Quis enim post uobis rem diuinam faciat, cum nihil inde expectet emolumenti? Nam de quibus luna hos accusat, omnes audistis heri narrantẽ hospitẽ. Super his consultate, quæ pariter & hominibus sint quàm utilissima, & nobis q̃ minime periculosa. Hæc locuto Ioue, frequens adfremebat concio: mox damatum est ab omnibus: effulmina, exure, comminue, in barathrum, in tartarum, ut gigantes. At Iuppiter rursum indicto silentio, fient ista, inquit, quẽadmodũ uultis. Omnes cõminuentur cum ipsa sua dialectica. Quanquam in præsentia sanè fas nõ est punire quenq̃. Est enim Hieromenia, sicuti nostis, quatuor hos menses. Iamq; inducias pmulgaui. Itaq; pximo anno, ineunte uere, mali male perdẽtur formidando fulmine.

Sic ait, atq; supercilijs pater annuit atris.

Porrò de Menippo hæc mihi uidentur, inquit, ut ademptis illi alis, nequando denuo redeat, à Mercurio deferatur hodie in terram. Hæc loquutus dimisit cœtum. Me uero Cyllenius dextra aure suspensum, heri circiter uesperam deposuit in Ceramico. Audisti omnia, omnia, inquam Amice, quæ è cœlo mecum adfero. Quare abeo iam eadem hæc renunciaturus philosophis in Pœcila inambulantibus.

LVCIANI ICAROMENIPPI FINIS.

DES. ERASMO ROTEROD.

INTERPRETE.

REVERENDO PATRI
AC DOMINO D. RICARDO EPISCOPO VVINTOVIenſi, Eraſmus Roterodamus S. P. D.

PRISCORVM uſq; ſeculis mos hic in hæc noſtra tempora deductus eſt, ampliſſime pater: ut Calendis Ianuarijs principe ineuntis anni die, munuſcula quæpiam miſſitẽtur: quæ neſcio quid lætioris omnis afferre creduntur: tum ijs ad quos abeunt: tum illis ad quos redeunt. Itaq; quũ ego diſpicerem ecquid tandẽ muneris à nobis iret ad tantum patronũ, ad tam potentẽ amicũ: neq; quicq; in mea reperirẽ ſupellectile, præter meras chartulas, profecto chartaceã ſtrenam mittere ſum coactus: q̃q̃ quid aliud potius mitti cõueniebat ab homine ſtudioſo ad præſulem, omnibus quidem fortunæ muneribus magnificentiſſime cumulatũ: ſed qui uirtutem uirtutiſq; comites, honeſtas literas infinitis calculis anteponat: quiq; tanq̃ cõtemptim, penéq; dixerim inuitus fortunæ dona admittat: contra animi bonis quum ſit opulentiſſimus, tamẽ ſemper magis ac magis cupiat diteſcere? Porrò noſtrum hoc munuſculũ: ſi nulla alia licet: ſaltem Terẽtiani Parmenonis exẽplo, hoc notie cõmendabimus: quod non ex Aethiopia, uerum è Samoſata uſq; cõmagenorũ urbe ſit profectum. Eſt autem dialogus Luciani, cui titulus Toxaris, ſiue de amicitia: quem nos paucis hiſce diebus latinũ fecimus. Qui quidem (uti ſpero) nõ omnino futurus eſt ingratus tuæ excellentiæ: uel ob id q̃d amicitiã prædicat, rem adeo ſanctã, ut barbariſſimis etiã nationibus olim fuerit ueneranda: Nunc Chriſtianis uſq; adeo in deſuetudinem abijt, ut non dicam ueſtigia, ſed ne nomẽ quidẽ ipſum extet: quũ nihil aliud ſit Chriſtianiſmus, q̃ uera perfectaq; amicitia, quàm commori Chriſto, quàm uiuere in Chriſto, quàm unũ corpus, una anima eſſe cum Chriſto: hominũ inter ipſos talis quædam cõmunio, qualis eſt membrorũ inter ſe corporis. Neq; minus tamẽ iucundus, q̃ frugifer futurus eſt, ſi quis modo decorum obſeruet, quod in perſonis ſitũ eſt. Nam Mneſippi Græci ſermo, quàm totus Græcanicũ quiddã ſapit: comis, facetus, feſtiuus: cõtra Toxaridis Scythæ oratio, quàm tota Scythicũ quiddã ſpirat, ſimplex, incondita, aſpera, ſædula, ſeria, fortis. Quin etiam dictionis diſcrimẽ, quaſiq; diuerſum filum à Luciano de induſtria affectatum, pro noſtra uirili referre curauimus. Hanc igitur qualẽcunq; clientuli tui ſtrenulã ampliſſime Præſul, felicibus auſpicijs accipe. Et Eraſmũ ſicuti iam pridem facis, amare, ornare, iuuare perge. Vale Londini, Calendis Ianuarijs, M. D. VI.

Toxaris.

TOXARIS SIVE AMICITIA, DIALOGVS LVCIANI DES. ERASMO Roterodamo interprete.

Interlocutores, MNESIPPVS GRAECVS, TOXARIS SCYTHA. MNESIPPVS.



VID AIS Toxaris? Sacrificatis Oresti ac Pyladi uos Scythæ, deosq; esse illos creditis? TOXARIS. Sacrificamus Mnesippe, sacrificamus inquam: haud tamen deos esse arbitrati, sed uiros bonos. MNES. An uero mos apud uos, etiam bonis uiris posteaq; uita defuncti sint, perinde ut dijs sacra facere? TOXA. Non istuc modo: uerum eosdem festis diebus ac celebribus cõuentibus honoramus. MNES. Quid captantes aut sperantes ab illis? Neque enim quo beneuolentiam illorum concilietis, ob id rem diuinam illis facitis, quum iam sint mortui. TOXA. Nihil officiat fortassis, si & eos qui mortui sunt, propitios haberemus: q̃q̃ nõ ob id tãtum hæc facimus: quin magis existimamus nos rem uehementer conducibilẽ & his, qui in uita sunt, esse facturos, si præstantium uirorum memoriam celebremus: honoremq; habeamus ijs, qui uita defuncti sunt. Siquidem hac ratione futurum arbitramur, ut multi apud nos illorum similes euadere cupiant. MNES. Ista quidem recte iudicatis: at Pyladem atq; Orestẽ quo nomine potissimum suspexistis, ut dijs eos æquaueritis: idq; adeo quũ hospites uobis essent: uel, quod grauius, hostes? Quippe posteaq; naufragio eiecti ab ijs, qui tum Scythiam incolebant, essent comprehensi, abductiq;, ut Dianæ immolarentur: adorti carcerarios: neq; nõ oppressis excubijs, & regẽ trucidarunt: & assumpta sacerdote, quin ipsa quoq; Diana sublata, nauigio sese proripuerunt, irrisa publica Scytharum lege. Quod si ob istiusmodi facta honorẽ habetis uiris: facile assecuti fueritis, ut multos illorum similes reddatis. Iamq; ipsi ab hoc die usq; ad prisca illa respicite: num uobis expedierit multos in Scythiam Orestes ac Pylades appellere. Nam mihi quidem isto pacto mox futurũ uidentur, ut religionis ac deorum expertes reddamini: dijs qui reliqui sunt, ad eundem modum è regione uestra in exilium ablegatis: posthea, opinor, deorum omnium uice uiros, qui illos eiectum uenerant, diuinitate donabitis: & qui sacrilegi in uos fuerunt, ijs tanq; dijs sacrificabitis. Quod si nequaquã horum gratia Orestem ac Pyladem colitis, sed aliud quippiam Toxaris in uos beneficij contulerunt: qua gratia

quum olim non esse deos iudicaueritis: nunc è regione, sacra illis facientes, deos esse decreuistis: Et qui tum parum aberant ut uictimæ fierent: ijs nunc uictimas offertis: Enimuero ridicula uideantur ista: & quum his quæ quondam statueratis pugnantia. TOXA. Et ista quidē Mnesippe præclara sunt uirorum illorum facinora, quæ commemorasti: uidelicet duo cum essent, tam ingentem ausum audere: ut tam procul à sua patria profecti, mare transmitterent: Græcis ad id usq; temporis intactum: nisi solis ijs, qui Argo in Colchidem traiecerunt exercitū: nihil expauefacti: neq; fabulas, quæ de illo ferūtur, neq; appellationē ueriti, quod inhospitum uocaretur, uidelicet, opinor, quod feræ undiq; gentes accolerent. Deinde quum iam capti essent, usq; adeo strenue se gesserint, neq; sat habuerint, si tantum incolumes euaderent, nisi & à rege acceptam cōtumeliā ulti, & Diana sublata abnauigassent. Quid? an nō admiranda hæc, & quæ diuino quodam honore digna iudicēt, quicquid est hominum, qui uirtutem suspiciunt? Quanq; non ista spectantes in Oreste ac Pylade, pro heroibus illos habemus. MNES. Atq; iam dices: quidnam præter ista suspiciendum patrarint, atq; diuinum? Nam quantum ad nauigationem & peregrinationem attinet, nō paucos profecto diuiniores istis ostēdero negociatores, atq; inter hos præcipuos Phœnices, qui non in pontum, neq; ad Mæotidē usq;, aut Bosphorum tantum enauigant, uerum quaqua uersus, Græcum ac Barbarum mare permetiuntur. Hi siquidem omnem oram, & omne littus (ut ita dixerim) perscrutati in annos singulos, extremo demum autumno in suam patriam reuertuntur, quos scilicet ad eandem rationē prodijs habeto, idq; etiamsi complures illorum caupones ac salsamentarios esse reperies. TOXA. Audi nunc, ò uir admirande, cōsideráq; quāto nos, qui barbari uocamur, rectius uobis de bonis uiris sentiamus. Siquidem in Argo atq; Mycenis ne sepulchrū quidem ullum insigne uidere est Orestis ac Pyladis, apud nos uero & templum ostenditur, ambobus illis communiter sacrum (ita ut par erat amicis) & hostiæ offeruntur, reliquusq; omnis honos. Porrò quod hospites erant, nō Scythæ, id uero nihil obstat, quo minus boni uiri iudicentur, neque enim perpēdimus cuiates sint uiri honesti ac probi, neq; inuidemus, si cum amici nō fuerint, res egregias gesserunt. Quin magis admirātes ea quæ patrarunt, ab ipsis factis domesticos ac nostrates illos ducimus. Quod autem potissimum stupentes in illis uiris efferimus, illud est, quod nobis uisi sunt amici inter sese longe optimi extitisse, atq; alijs exemplo fuisse, quasiq; legem statuisse, quēadmodum oportet amicos omnem inter se communicare fortunam, Simulq; promeruisse, ut à Scythis, qui in amicitiæ laude primas tenerent, colerentur, Itaq; quæcunq; alter cū

altero,

alterò,uel alter pro altero tulit, ea maiores nostri descripta in columna ærea reposuerunt in templo Orestis,ac leges statuerunt, ut ea columna prima esset institutio disciplinaq; liberis suis,si meminissent, quæ in illa essent adscripta. Itaq; pene patris quisq; sui nomen citius obliuisceretur,q; res gestas Orestis ac Pyladis ignoraret. Quin & in porticu templi eadem quæcũq; in columna notantur,priscorum picturis adumbrata uisuntur. Nempe Orestes unà cum amico nauigans, deinde fracta inter abruptas cautes ipsorum naue comprehensus,& ad uictimam adornatus, iamq; Iphigenia initiat eos. Ex aduerso uero in altero pariete idem iam uinculis exutus depictus est,ac Thoantem occidens,multosq; ex Scythis alios. Postremo soluẽtes,abducta Iphigenia ac dea. Porrò Scythæ frustrà scapham adoriuntur iam nantem,hærentes gubernaculis,ac conscendere conantes. Deinde re frustra tentata,alij quidem ex eis sauci,alij uero eius rei metu compulsi, natatu semet in solũ reciplunt, ubi uel maxime liceat perspicere, quantam alter in alterum beneuolentiam præstiterit in conflictu cum Scythis. Fecit enim pictor utrũq; de hostibus in semet ruentibus securum,propellentem autẽ eos qui in alterum feruntur, ac præ illo iaculis occurrere conantem,pro nihilóq; ducentem, si intereat ipse, modo seruet amicum, uel suo ipsius corpore præueniens, excipiensq; ictus in illum intentos. Iam uero tam tam illorum beneuolentiam, atq; in rebus tristibus communionem,fidem,humanitatem,ueritatem,denicq; constantiam alterius in alterum amoris. hæc haud quaq; humana putauimus esse,uerum animi cuiusdam præstantioris, q; pro more uulgarium istorum mortalium, qui dõnec secundis uentis nauigatur,amicis indignantur,nisi exæquo participes fiant rerum lætarum, quod si uel paululum eis uenti reflare cœperint,aufugiunt,solos in periculis deserentes. Enimuero ut & illud noueris,nihil amicitia melius arbitrantur Scythæ,neq; est in quo Scytha magis glorietur,q; in adiutandis amicis,communicandisq; rebus aeerbis,quemadmodum neq; probrum apud nos maius ullum,q; amicitiæ desertorem uiderit. Has ob res Orestem ac Pyladẽ ueneramur, qui præstantes extiterint in Scytharum uirtutibus, atq; in amicitia præcellentes,id quod nos omnium maxime admiramur. Appellationẽ quoq; ex his illorum factis imposuimus, ut Coraci uocentur, quod quidem nostra in lingua perinde sonat, ac si quis dicat, dñi amicitiæ præsides. MNES. Hoc Foxaris, profecto non arcu modo ualuerunt Scythæ, bellicosq; in rebus cæteris antecelluerunt, uerum uidentur & ad orandum persuadendum q; omnium aptissimi, unde mihi quum dudum secus uideretur,nunc eidẽ merito fecisse uidemini,qui sic Orestem, ac Pyladem in deorum numerũ retuleritis. Verũ illud me fugerat uir optime,

quod pictor quoq; bonus esses. Admodũ em̃ euidenter ostendisti nobis, quæ sunt in Orestis tẽplo, picturas, pugnamq; uirorum, alteriq; p altero susceptа uulnera. Tametsi non putaram amicitiam usq; adeo cultam fuisse quondam apud Scythas, magis autem quod barbari essent, atq; agrestes, simultate quidẽ, ira, rabieq; perpetuò cõmitti: amicitiam uero, ne in familiarissimos quidẽ exercere solitos, idq; coniiciẽs, quum ex alijs quæ de illis audimus: tum ex hoc, quod progenitores suos uita defunctos deuorant. TOXA. An nos Græcis quum alijs in rebus, tum in his quæ ad parentum attinent cultum, sanctiores, magisq; pij simus, in præsentiarum haudquaq; contenderim. Quod autem nostrates amici longe fideliores sint amicis Græcis, quódq; amicitiæ ratio maior apud nos, q; apud uos, haud difficile fuerit docere. Ac per deos Græcorum, ne tibi molestũ sit audire, si quæ perspexi, dixero, multum iam tẽporis apud uos uersatus, uos enim mihi uidemini præclarius cæteris de amicitia uerba posse facere, uim uero factáq; illius, adeo non solũ pro sermonum dignitate non exercere, ut sat uobis sit prædicare eam, & quantum sit bonum, ostendere. At ubi usu uenit, deficientes à sermonibus, nescio quomodo, è medio negocio aufugitis. Cæterum quũ Tragœdi in scænam progressi, istiusmodi amicitias uobis repræsentant, plæriq; laudatis atq; applauditis, ac pro se mutuo periclitantibus illis illachrymatis, ipsi uero nihil dignũ laude pro amicis præstare audetis. Quin si quando forte accidat, ut egeat amicus, ibi protinus non secus atq; in somnia, procul auolantes euanescunt uobis multæ illæ tragœdiæ, uosq; similes relinquunt inanibus istis, ac mutis personis, quæ diducto rictu, atq; immane hiantes, ne minimum quidem loquuntur. At nos ediuerso, quo sumus in dicendo de amicitia posteriores, hoc in præstanda ea præcedimus. Quare si uidetur, ita in præsentiarum agamus: priscos illos amicos ualere sinamus, si quos uel nos, uel uos ex his, qui olim fuere, recensere ualemus, quando ista quidem parte uos nimirum superaueritis, compluribus ac grauibus adductis testibus, nempe Poëtis, qui Achillis & Patrocli amicitiam, tum Thesei Perithoiq;, neq; non aliorum necessitudinẽ, pulcherrimis uersibus carminibusq; cõtexuerunt. Quin paucos quosdam in mediũ adferamus ex his, qui nostra ipsorum memoria fuerint, atq; eorum res gestas exponamus: Ego quidem Scythicas, tu uero Græcanicas. Et in his uter superarit, melioráq; produxerit amicorum exempla, is & uictor esto, ac suam ipsius uictoriam promulgato, tanq; qui pulcherrimũ honestissimumq; certamen decertarit, adeo ut ego quidẽ non paulo malim mihi in singulari uicto certamine dextrã amputari (nam ea est apud Scytas uicto poena) q; in amicitia quopiã inferior iudicari, præsertim Græ

co, ipse

co, ipse Scytha quũ sim. MNES. Quanꝯ est haud mediocris negocij, cũ uiro, ita ut tu es, bellatore, singulari certamine cõgredi, tum admodũ instructo missilibus ac penetralibus narrationibus, haud tamen usque adeo ignauiter, tam cito uniuersam deferens Græciam, tibi cessero. Et enim uehementer absurdum fuerit, quum duo illi tantum uicerint Scytharum, quantũ fuisse declarãt tum fabulæ, tum uetustæ uestræ picturæ, quas pauloante scite admodum repræsentabas, Græcos omneis tot nationes, tot ciuitates, nullo defendente uinci abs te. Nam istuc si fiat, non dextram, quemadmodum apud uos solet, sed linguam execari cõueniat. Sed utrũ spectare nos oportet, numerum ne eorũ, quæ amice qs gesserit, an magis quo plures alteruter amicos referre poterit, hoc uictoria dignior uidebitur? TOXA. Nequaꝯ, imò non multitudine uis horũ spectetur, uerũ si quæ tu narrabis facta, his quæ narrabo, uideantur præstãtiora, magisꝯ penetrantia, tum nimirum etiã si numero paria sint oportuniora, magisꝯ letalia mihi faciẽt uulnera: Ac penè memet ad ictus accõmodabo. MNES. Probe loqueris. Statuamus igitur quot erũt satis. TOXA. Mihi quidem satis fore uidetur, si uterꝯ quinꝯ narret exẽpla. MNES. Itidẽ mihi uidetur, ac prior dicito, uerum adiuratus, nimirum non nisi uera dicturũ, alioqui fingere eiusmodi, non admodùm fuerit difficile, palàm aũt refelli nõ queant. Porrò si iuraris, nefas sit non habere fidẽ. TOXA. Iurabimus, si quid etiã iureiurãdo opus esse censes. MNES. At quis tibi è dijs nostratibus, num satisfaciat Iupiter Philius? TOXA. Et maxime. Ego quoꝯ tibi nostratem iurabo, meapte in lingua. MNES: Testis igitur esto Iupiter Philius, quæcunꝯ dicturus sum apud te, ea nimirum uel quæ uiderim ipse, uel quæ ab alijs, quoad fieri potuit, diligentissime perceperim, narraturũ, nihil ex meipso cõminiscentẽ, alleuanterue. Ac primo quidẽ loco, Agathocles Diniæꝯ amicitiã referam, quæ apud Ionas est celebratissima. Nã Agathocles hic, qui Samius fuit, non ita pridẽ uixit, uir in amicitia quidẽ præcipuus, ita ut re declarauit: cæterũ reliquis in rebus uulgo Samiorum nihilo præstãtior, neꝯ genere, neꝯ cæteris item opibus. Huic cũ Dinia Ephesio, Lysonis filio, amicitia à puero intercesserat. Porrò Dinias supra modũ ditatus est, & quẽadmodũ solẽt ij, qui nuper opes nacti sunt, cõplures & alios secũ habebat, satis quidẽ idoneos illos, & ad cõpotandũ, & ad uoluptariam consuetudinẽ, ab amicitia uero longe alienissimos. Atqꝯ inter hos interim habebatur Agathocles, conuiuebatqꝯ & cõpotabat illis, nõ admodũ approbãs eam uiuendi rationẽ. Dinias aũt nihilo hũc potiorem habebat, qꝯ cæteros adulatores. Tandem etiam offendere cœpit, crebrius obiurgãs, molestusqꝯ uidebatur, quippe quia dmoneret eũ maiorũ, præciperetqꝯ ut seruaret, quæ multo

labore parta, pater illi reliquisset, adeo ut ob hæc ne ad comessationes quidē illum deinceps adhiberet, sed solus cum illis comessaretur, celare cupiens Agathoclem. Demum ab assentatoribus illis misero persuasum est, quod adamaret à Charidæa Demonactis uxore, uiri illustris, atq; inter Ephesios in honoribus ciuilibus primarij. Iam & literulæ à muliere ad illū uētitabāt, & ferta semimarcida & mala quædā admorsa, denicq; quicquid ad hæc lenæ machinantur in adolescentes, quo paulatim illis amorem artibus quibusdam inserant, primumq; hac incendant opinione, quod sese credant amari. Nam plurimum illicit & hoc, præsertim eos, qui sibi formosi uidentur, donec imprudētes in casses inciderint. Erat aūt Charidæa urbana quidem & elegans muliercula, at supra modum meretricia, semperq; illius, quicunq; forte adisset, etiam si quis admodum leuiter concupiuisset, quin si uel aspexisses duntaxat, protinus adnuebat, nec ullo pacto metuendum erat, ne quando recusaret Charidæa, admirabilis autem alioqui artifex, quauisq; meretrice doctior allicere amatorem, & ambiguus quum adhuc esset, totum subigere: at quū iam teneretur, incitare, ac magis magisq; accendere, nūc ira, nūc blandimentis: ac mox fastidio: deinde iniecta suspicione, quasi ad alium sese deflexura esset: postremo omni ex parte egregie docta erat mulier, & absoluta, artibusq; omnigenis in amātes instructa. Hāc igitur tum Diniæ adulatores accersiuerant in adolescentulum: multáq; adsimulabant, quo eum in amorem Charidææ impellerent. Illa porrò quæ complureis iam adolescentes iugularat, & innumerabiles amores fuerat mentita, domosq; opulentas euerterat: uarium quoddam, atq; inexpugnabile malum: ubi nacta manibus est simplicem, & huiusmodi artium imperitum adolescentulū: haud quaq; amittebat ex unguibus: sed undiq; oppugnans, tētansq;. Vbi iam omnium esset compos: tum ipsa dum captat, capta perijt: tum infelici Diniæ innumerabilium malorum extitit causa. Nam primum quidem statim literulas illas ad illum dat: ac subinde missitat ancillulam, quæ renūciaret ut fleret, ut uigilaret: postremo ut misera præ amore suffocatura esset sese. Donec iā beatus ille persuasus, sibi formosus esse uideretur: atq; Ephesiorū uxoribus præter cæteros adamabilis. Ac tandem in congressum adductus est multis precibus exoratus. Et ex eo quidem tempore facilis iam erat coniectura fore ut caperet à muliere formosa ad uoluptatem congredi docta: & in loco flere: & inter loquēdū miserabiliter suspirare: & iam abeuntem amplecti: & adeunti obuiam occurrere: & formam colere sic ut maximè placitura esset: interdum uel uoce, uel cithara canere: quibus omnibus in Diniam usa est. At ubi sensit excruciari, iamq; amore illaqueatum, ac subiugum esse factum: aliud ad hæc excogitat, quo

miserum

miſerum ſubuertat: grauidam ſe ex eo ſimulat (nam hoc quoq; efficax ad magis ac magis inflammandum ſtultum amantem). Neq; poſtea commeabat ad illum, affirmans à uiro obſeruari ſeſe: qui iam amorem perſenſiſſet. Hic uero rem iam non ultra ferre potis erat: neq; durare quibat: quum illam non aſpiceret: ſed lachrymabatur, adulatoresq; ad ſeſe accerſebat: ac Chariclææ nomẽ inclamabat: imagnemq; illius amplexus (candido enim lapide fecerat) eiulabat. Demum in ſolum abiici ens ſeſe iactabatur: planéq; res extremæ demẽtiæ ſpeciem obtinebat. Siquidem munera reddita ſunt mulieri: non pro malorum aut corolla rum precio: ſed ſolidæ domus, agri, famulæ, ueſtes floruléteæ, auri quantum optaret. Quid multa? Breui Lyſionis domus antea inter Iones no biliſſima, exhauſta eſt, atq; exinanita. Deinde ubi iam exuccus eſſet: eo relicto, alium quempiam adoleſcentulum Cretenſem, bene nũmatum uenata eſt, atq; ad illum deſciuit. Iam uidelicet illum adamabat: atq; is quidem credebat. Itaq; Dinias neglectus non à Chariclæa modo, uerumetiam ab aſſentatoribus (nam iſti quoq; ad Cretẽſem amatorem iam deſciuerant) abit ad Agathoclem: iampridem non inſcium, q̃ illi res miſere haberent. Ac pudeſcens quidẽ initio, tamen expoſuit omnia, amorem, egeſtatem, arrogantiam mulieris, riualem Cretenſem: in ſumma, non uicturum ſeſe, niſi cum Chariclæa cõſuetudinem haberet. Ille uerò intempeſtiuum eſſe ratus id tẽporis exprobrare Diniæ, quapropter ex amicis unum ſeſe non admiſiſſet, ſed tum quidem aſſentatores ſuos ſibi antepoſuiſſet: diuẽdita, quam unam habebat in Samo, domo paterna, preciũ illi attulit talenta tria. Quæ ſimulatq; recepiſſet Dinias, haud clàm erat Chariclææ: rurſus ſubitò formoſus factus: rurſus ancilla & literulæ, & expoſtulatio, qd̃ iam diu ſeſe non adiſſet, cõcurrerunt item adulatores applaudentes, ut uiderunt Diniæ adhuc eſſe quod daret: cum autem pollicitus eſſet ſeſe uenturum ad illam, ueniſſetq; primo ferè ſomno, eſſetq; intus Demonax Chariclææ maritus: ſiue quod alioqui perſenſerat: ſiue de cõpoſito: proditioneq; uxoris (nam utrũq; fertur) exiliens uelut ex inſidijs, & atrium iubet occludere, & Diniam comprehendi: ignem ac flagra minitans: neq; non gladium tanq; in mœchum educes. Ille porrò reputans quibus in malis eſſet: uecte quopiam de proximo, ut iacebat, arrepto, tum ipſum occidit Demonactem, in tempus adigens: tum Chariclæam, atq; hanc quidem nõ ictu uno, uerumetiam & uecte ſæpius, & poſtea Demonactis gladio feriens. At famuli interea muti ſtabant, rei nouitate attoniti. Deinde comprehendere conati, quum in hos quoq; ferro inſiliret, ipſi quidem aufugerunt. Dinias autem clàm ſeſe ſubduxit, tanto patrato facinore. Et ad auroram uſq; apud Agathoclem diuerſabatur, pariterq;

& quæ facta essent reputabant, & quid in posterum esset euenturum, considerabant. Vt autem diluxit, milites aderãt, (iam enim res erat diuulgata) comprehẽsumq; Diniam, nec hunc iam inficiantẽ homicidiũ, abducunt ad præfectũ, qui per id tẽpus Asiam moderabatur. Hic eũ ad Persarum regem remittit, nec ita multo post relegatus est Dinias in Giaron insulam ex Cycladibus unam, damnatus à rege, ut in ea, quoad uiueret, exularet. Agathocles autem cũ reliquis in rebus nunq; abfuerat, tum pariter soluit in Italiam, & amicorum solus unà est in iudicium comitatus, neq; usq; defuit officio. Porrò ubi iam in exiliũ profectus est Dinias, ne tũ quidẽ desertus est ab amico. Quin potius ipse suapte sponte damnatus uersabatur in Giaro, simulq; cum illo exulẽ agebat. At quum iam rerum necessariarum omnium inopia laborarent, locans seipsum purpurarijs, unà cum alijs urinabat, quodq; hinc partum est referens, Diniam alebat. Quin & ægrotanti diutissime inseruiuit, & ubi uita defunctus est, noluit unq; in patriam reuerti, uerũ inibi perseuerauit in insula, pudori sibi fore ratus, si uel mortuum amicum deseruisset. Hoc tibi Græci factum amici retulerim, quod quidem non ita pridem accidit, haud enim scio an anni quinque præterierint, quod Agathodes in Giaro mortem obijt. TOXA. At utinam iniuratus ista Mnesippe dixisses, uidelicet quo mihi fas esset, eis non habere fidem. Adeo Scythicum quendam amicum Agathodem istum descripsisti, quin uereor ne quem & alium isti similem narres. MNES. Audi iã & alium Toxari, Euthydicum Chalcidensem. Retulit autem mihi de hoc Simylus nauderus Megarensis, adiurans profecto se testem factam esse. Aiebat enim nauigauisse sese ex Italia Athenas, circiter Pleiadum occasum, collecticios quosdam homines uehentem, in his fuisse Euthydicum, unáq; cum hoc Damonem Chalcidensem, eiusdem amicum. At natu quidem eos æqualeis fuisse, uerum Euthydicum ualentẽ, robustumq;. Damonem contra, suppallidũ atq; ualetudinarium, quasi qui nuper (ut apparebat) ex diuturno morbo reualuisset. Itaq; ad Siciliam usque feliciter aiebat Simylus nauigasse ipsos. Cæterum ubi transmisso freto, in ipso iam Ionio mari nauigarent, tempestatem maximam eis incubuisse. Quid autem attinet multa referre: immaneis quasdam procellas ac sinuosas, tum grandines, & si quæ alia tempestatis mala? Vt uero iam haud procul abessent à Zacyntho, nuda nauigantes antemna: præterea & funes quosdã trahentes, quo nimirum uim, impetumq; fluctus exciperent: circiter noctis mediũ, Damonẽ, qui in tanta iactatione nausearet, uomuisse in mare propendentẽ. Deinde, ut cõijcio naue uehementius in eam partem, in quã ille propendebat, inclinata, simulq; propellente fluctu: excidisse eum

prono

prono capite in pelagus,neq; nudum tamen uidelicet,ut misero uel natare commode liceret. Mox itaq; succlamasse quũ præfocaretur,uixq; sese ab undis sustolleret. Porrò Euthidicum simulatq; audisset (nam forte fortuna nudus in strato tum erat) abiecisse semet in mare: arreptóq; Damone, qui iam deficiebat(diutius enim ista uideri poterant, luna scilicet relucente)unà iuxta illum nasse, ac subleuasse. Ac uoluisse quidem illis opitulari sese miseratos uitorũ calamitatem,uerũ nequisse,quod uento prævalido raperentur. Illud tamen feciſſe,subera complura ad illos proiecisse,tum ex contis aliquot,ut ab his suspensi natarent, si quem forte ex eis nanciscerentur,postremo scansoria quoq; tabulata,quæ quidem erant neutiq; exigua. Cogita iam per deos,quod aliud grauius beneuolẽtiæ documentum quisq; ædere queat in hominem amicum,qui noctu decidisset in mare,usq; adeo sæuiens, q; communicata morte? Iamq; adeo mihi ante oculos pone imminentes procellas, fragorẽ aquæ sese adglomerantis,spumam undiq; efferuescentẽ, noctem,ac desperationem. Ad hæc illum iam præfocari incipientem, uixq; undis extantem,manusq; porrigentem amico,hunc autem incõtanter insilientem,simulq; nantem,prorsusq; sollicitum,ne se prior Damon interiret. Sic enim profecto cognosces,quod haud ingenerosum hunc quoq; amicum, uidelicet Euthidicum, retulerim. TOXARIS. Vtrum perierunt uiri Mnesippe, an salus quæpiam ex insperato illis contigit? Adeo ego illis non mediocriter timui. MNES. Bono animo es Toxaris,seruati sunt,quin hodieq; Athenis agunt, ambo philosophiæ dantes operam. Nã Simylus ea demum narrare poterat,quæ noctu uidere licuit, hunc delapsum,illum desilientẽ,simulq; nantes,quatenus per noctẽ dabatur aspicere. Porrò quæ post hæc acciderint,Euthydicus ipse narrat. Primum quidem,subera quædam forte nactos, suspendisse de his sese, atque ita hærentes fluitasse, sanè quàm incommode. Deinde ubi tabulata conspexissent,iã sub auroram annasse,cõscensisq; illis commode, deinde nantes appulisse Zacynthum. Post hos autem,qui neutiq; mali sunt,ut ego quidem autumo,accipe iã tertium, nihilo istis inferiorem. Eudamidas Corinthius Aretæo Corinthio, & Charixeno Sicyonio amicis urebatur, & ijs quidem opulentis,quum ipse pauperrimus esset. Hic cita decedens, testamentum reliquit,alijs quidem fortasse deridiculum,tibi uero, haud scio, an tale sit appariturum,uiro probo,& apud quem amicitia in precio sit, quicq; uel cum præcipuis in ea certare queas. Sic enim in eo scriptum erat, Lego Aretæo quidem matrem meam alendam,atq; in senecta fouendã, Charixeno uero filiam meam elocandam cum dote,quanta ab illo maxima dari poterit. Erat autem illi mater anus,ac filiola iam matura nuptijs.

ptijs. Si quid autẽ interim acciderit alterutri, huius quoq; partem (inqt) alter habeto. Huiusmodi lecto testamẽto, ij qui tenuitatẽ quidem Eudamidæ nouerãt: at amicitiam, quæ illi cũ his uiris intercesserat, ignorabant, rẽ pro ludo iocoq; ducebant. Nemo certe aderat, qui non cum risu discederet, quod eiusmodi hæreditatem Aretæus & Charixenus essent accepturi, felices uidelicet, atq; ita aiebant. Si quidem persoluent Eudamidæ, superstites etiam ipsi hæreditatem tradẽt mortuo. At hæredes, quibus ista erãt legata, ut audierunt, uenerũt illico, agnoscẽtes ratacq; faciẽtes ea, quæ erãt testamento mãdata. Iraq; Charixenus quinque duntaxat dies superstes, diẽ obijt. Aretæus autem optimus successor factus, tum illius, tum suo ipsius suscepto onere, & matrem alit Eudamidæ, & filiam nõ ita pridem elocauit, ex quinq; talẽtis quæ possidebat, duobus in propriæ filiæ dotẽ, duobus in amici filiam erogatis: Ac nuptias ambarum eodem die fieri uoluit. Quid tibi Toxaris, Aretæus iste uidetur, numnam leue amicitiæ argumentum exhibuisse, adita huiusmodi hæreditate, neq; deserto amici sui testamento? an hunc quoq; in perfectis idoneisq; calculis ponim⁹, ut sit unus è quinq;? TOXA. Et iste quidem egregius, quãq; equidem Eudamidam multo magis ob fiduciam admiratus sum, qua fuit erga amicos: declarauit enim, quod & ipse eadem fuisset facturus erga illos, tametsi non essent ea scripta in testamento, uerum ante alios uenisset non scriptus talium hæres. MNES. Probe dicis. Sed quartum iam tibi narrabo: Zenothemim Charmolẽum, Massilia oriundũ. Commõstrabatur autẽ mihi in Italia, patriæ nomine legatum agenti, uir decorus, procerus, ac diues, ut apparebat. Assidebat illi uxor in rheda iter faciẽti, quũ alioqui deformis, tum dimidia nempe dextra corporis parte manca, alteróq; capta oculo, teterrimum quoddam & refugiendum terriculum. Deinde quũ demirarer, si decorus ille quũ esset, ac uenustus, sustineret eiusmodi mulierem sibi adiunctam, is qui mihi eum commonstrabat, causam exposuit, quare in id matrimoniarum incidisset: nouerat enim comperte omnia, nam ipse quoq; Massiliensis erat. Menecrati (inquit) huius fœdæ patri, amicus erat Zenothemis, uiro diuiti ac honorato, ipse ijsdem rebus par. Deinde aliquanto post, facultatibus exutus est ex cõdemnatione Menecrates, quo tempore pariter infamis, & ad capessendos magistratus inidoneus est iudicatus à sexcentum uiris, tanq; qui sententiã iniquam pronunciasset. Ad hunc aũt modũ, inquit, nos Massilienses mulctamus, si quis corrupte iudicet. Grauiter itaq; ferebat Menecrates: primũ, quod esset condemnatus, deinde, quod è diuite pauper, postremo, qd ex nobili repẽte factus esset infamis, ac reiectitius. At præter cætera eũ ipsa discruciabat filia iã nubilis, utpote annos nata decẽ

& octo,

& octo, quã ne cũ omni quidẽ patris ſubſtantia, quã ante condẽnatiõ nẽ poſſederat, dignatus fuiſſet quiſq; ingenuus ac paup facile accipere, quæ tã infelici fuerit forma. Quin & concidere dicebat, idq; circa lunã creſcẽtem. Hæc ubi apud Zenothemim deploraret, bono, inquit, animo es Menecrates, Neq; enim ipſe egebis neceſſarijs, & filia tua dignũ aliquem ſuo genere ſponſum inuenerit. Atq; hæc eloquutus, ſtatim apprehẽſa illius dextra, deduxit domum. Ibiq; opes, quæ illi multæ erãt, partitus eſt cum illo, ac cœna parari iuſſa, conuiuio accepit amicos, & in his Menecratem, ueluti iam è neceſſarijs cuipiã perſuaſiſſet, ut puellam in matrimonium acciperet. Poſteaq; autem conuiuium peregerãt, libaſſentq; dijs, tum uero plenum illi calicem porrigens, accipe, inquit, Menecrates, à genero ſymbolum affinitatis poculum, nam hodie ducturus ſum ego filiam tuam Cydimacham, dotem autem iam olim accepi, talenta quinq; & uiginti. Illo uero reſpondente, abſit ne feceris, ò Zenothemis, néue ipſe uſqadeo inſaniam, ut te neglectũ, qui & iuuenis es, & formoſus, cõſpiciã cũ deformi puella, ac debilitata coniugatũ. Hæc, inquã, illo loquẽte, hic ſpõſam adiũctam tollẽs, abduxit in thalamũ: ac paulo poſt prodijt, ea deuirginata, atq; ex eo tẽpore cũ illa uiuit, ſupra modũ diligens, & quẽadmodũ uides, circumferens eã. Et nõ ſolũ nõ pudet matrimonij, uerumetiã perinde atq; gloriãs de eo, ſic oſtẽtat, propterea qd' negligit corporis formã ac fœditatẽ, ad hæc opes & famã, tantũ amici rationem habet Menecratis, neq; arbitratur eũ ſexcentum uirum ſententia deteriorem eſſe factum, quantum ad neceſſitudinem. Quanq; pro his iam illi gratiam retulit fortuna, ad hunc modum. Puellus enim ei formoſiſſimus ex illa deformiſſima ſuſceptus eſt. Neque diu eſt, quod tollens hunc pater intulit in curiam, frondibus oleaginis coronatum, ac pullis amictum, quo plus miſerationis auo conciliaret. At infans arridebat iudicibus, manibus complodebat. Itaq; curia commota ſuper illo, remiſit mulctam Menecrati, atq; ille iam rei, famæq; reſtitutus eſt, eiuſmodi patrono uſus apud iudices. Hæc affirmabat Maſſilienſis Zenothemim amici gratia feciſſe, haud mediocria, ſicuti uides, neq; qualia paſſim Scythæ factitant, qui concubinas formoſiſſimas ſumma cura deligere dicũtur. Reſtat nobis quintus. Neq; uero mihi uideor alium quempiam debere dicere, Demetrio Sunienſi præterito. Nauigarat in Aegyptũ Demetrius, unà cũ Antiphilo Alopecenſi, qui cum illi iam inde à teneris annis fuerat amicitia, atq; ephebus ephebo conuixerat, pariterq; fuerat eruditus, ipſe quidem Cynicam diſciplinã ſequutus, ſub Rhodio illo ſophiſta, Antiphilus uero medendi ſcientiam exercuerat. At hoc temporis forte profectus fuerat in Aegyptum, ad ſpectaculum Pyramidum, Memnoniſque. Nam audi-

uerat

uerat illas, quum essent sublimes, umbram non iacere: Memnonem autem uocem ædere, exoriente sole. Harum igitur rerum cupiditate adductus Demetrius: uidelicet ut Pyramidas intueretur, ac Memnonem audiret: sextum iam mensem aduerso Nilo nauigabat, relicto Antiphilo, quod is itinere atq; æstu defessus esset. Huic autẽ interea calamitas incidit, quæ singularem quempiam amicũ postularet. Nam puer eius ut nomine, ita & patria Syrus: inita societate cum sacrilegis aliquot, unà cum illis in Anubis templum irrupit: sublatoq; deo, ad hoc phialis aureis duabus, tum caduceo, aureo & hoc, neq; non cynocephalis argenteis, atq; id genus alijs: omnia apud Syrum deposuerant. Deinde forte comprehensi, (capti enim fuerant, diuendentes nescio quid) rem omnem protinus confessi sunt: destricti in rota, deportatiq; uenerunt in ædes Antiphili: ibi res furto sublatas depromebant, sub lectica quadam in abdito cõditas. Syrus itaq; illico uinctus: unáq; herus huius Antiphilus: atq; is quidem interea dum præceptorẽ audit, auulsus. Nec opitulabatur quispiam: quin magis hi qui fuerant hactenus amici, auersabantur hominẽ tanq; qui templum Anubis sacrilegio compilasset: seseq; impiari credebãt, si cum illo bibissent, aut edissent. Porrò duo qui reliqui erant pueri, quicquid erat in domo, conuasantes, fuga discesserunt. In uinculis igitur erat miser Antiphilus multum iam temporis: habitus interim omnium, quantum in carcere erat, sontium sceleratissimus. Porrò præfectus carceris Aegyptius, homo superstitiosus, ratus sese gratum facere deo, atq; illius ulcisci uices, grauis Antiphilo imminebat. Quod siquando defenderet, affirmans se nihil eiusmodi patrasse: impudens habebatur: atq; hoc nomine multo etiã magis erat inuisus. Subægrotabat itaq; iã, maleq; habebat: nec mirũ: quippe qui humi cubaret, idq; etiã noctu: neq; crura sineretur protendere, ligno inclusa: nam per diem catasta stringebatur, altera manu uincta ferro: at noctu cogebatur totus in uinculis esse. Ad hæc insuper domicilij pædor ac præfocatio, multis ibidem uinctis, locumq; angustum prementibus: adeo ut uix respirarent: tum ferri stridor, ac somnus exiguus. Hæc omnia molesta erant, atque intoleranda: nimirum homini eiusmodi rerum insueto, minimeq; ad tam durum uitæ genus exercitato. Quum uero iam deficeret, ac ne cibum quidem capere posset: reuersus est tandem & Demetrius, nihil dum sciens eorum quæ acciderant. Vt autem cognouerat quo in loco res esset, statimq; curriculo ad carcerem uenisset: tum quidem admissus non est: propterea quod uespera iam esset: & carceris custos iam dudum occlusis foribus dormiebat, ministris excubias agere iussis. At mane quũ esset ingressus: multis uidelicet precibus admissus: accedens multo tẽpore quærebat Antiphilum

philum:quippe malorum multitudine ſic immutatum,ut agnoſci non quiret. Circumiens igitur,è uinctis unumquenq; contemplabatur: eorum more,qui familiarium cadauera iam marcida facta, requirunt in ſtragibus. Quod ni nomen fuiſſet eloquutus,Antiphilum Denomenis filium:ne longo quidem tempore potuiſſet agnoſci quiſnam eſſet, uſqadeo præ malis erat tranſfiguratus. Vt uero ad uocem agnitam reſpondiſſet,atque adeunte illo comam diduxiſſet:eam à uultu abigens ſordidam atque impexam,oſtendit ſeſe quis eſſet. Hic ambo collapſi ſunt:oculis oborta caligine,in tam inopinato ſpectaculo. Verum aliquanto poſt,poſteaq; & ipſe ſibi redditus:& Antiphilū recipiens Demetrius,de ſingulis eſſet illum diligēter percontatus:bono animo eſſe iubet. Tum diſſecto pallio,dimidiato quidem induitur ipſe: reliquum autem illi donat,detractis illi putribus atque detritis,quibus erat opertus panniculis. Atque ex eo die modis omnibus illi aderat: curam eius agens,inſeruiensq; Locans enim ſeſe iis,qui uerſabantur in portu mercatoribus,à mane ad medium uſque diem,oneribus geſtandis non parum lucri faciebat. Deinde ab opere reuerſus,mercedis partem carcerario in manum dabat,quo illi manſuetum hunc,ac pacatū redderet. De reliquo autem,in amici curam affatim ſuppeditabat. Atque interdiu quidem aderat Antiphilo,quo illum conſolaretur:ubi uero nox occupaſſet:pro carceris foribus facto ex herbis thorulo, ſubſtratiſq; frondibus,acquieſcebat. Et in hunc quidem modum aliquamdiu degebant: ut Demetrius nullo uetante ingrederetur,atq; ob id mitius ferret calamitatem Antiphilus:donec extincto in carcere latrone quopiam: idq; ut putabatur ueneno,& cuſtodiæ exactiſſime obſeruatæ: neq; deinde quiſq; admiſſus in domiciliū uinculis liber. Quas ob res dubius atque anxius:quum alia uia non pateret,qua liceret amico adeſſe:adito præfecti collega,ſeipſum defert,tanq; in irruptione templi Anubis cōmunem operam addidiſſet. Id ſimulatq; confeſſus eſt: abductus eſt illico in carcerem,ac ductus ad Antiphilum. Nam hoc magnis precibus uix obtinuerat à carcerario,ut proxime Antiphilo,atq; eadem in trabe uinciretur. Hic igitur uel maxime declarauit,quanto in illum fuerit amore, quum ſua ipſius incōmoda negligeret,cum & ipſe interim ægrotaret: illud autem curæ haberet,quo pacto fieri poſſet,ut ille & quàmplurimū dormiret,& minimum angeretur. Atq; ita cōmode tolerabant, cōmunicatis inter ipſos malis:donec aliquāto poſt,tale quiddā accidit, quod finem fermè eorum imponeret calamitati. Siquidem è uinctis quiſpiā, haud ſcio unde nactus limam:adiūctis coniuratis captiuorū pleriſq;, catenam inſecuit,qua ſeriatim erant aſtricti,cyphonibus in hanc inſertis,ſoluitq; omnes. Qui quidem facile trucidatis,quippe paucis cuſtodi

bus,cõglobati profiliere. Atq; hi quidem illico quò quiſq; poterat,diſ/ſipati:poſtea pleriq; ſunt comprehenſi. Porrò Demetrius & Antiphi/lus inibi remanſerunt:Syro quoq; retento,qui iam aufugere parabat. Vt autẽ diluxiſſet:Aegypti præſes,cognito quod acciderat, emiſit qui/dem qui illos inſequerentur:accerſitis autèm ijs,qui erant cum Deme/trio,ſoluit à uinculis collaudatos,quod ſoli nõ aufugiſſent.At illis haud qua q; ſat erat,ut hoc titulo dimitterentur. Clamabat aũt Demetrius, ſibiq; non mediocribus in rebus iniuriam fieri prætendebat,ſi pro ma/leficis habiti,uiderentur uel cõmiſeratione,uel ob id laudis, quod non aufugiſſent,dimitti. In ſumma,compulere iudicem,ut cauſam exactius excuteret. At hic ubi repperit,nihil eos cõmeritos,collaudatos illos,De/metrium autem ſeorſum quoq; admiratus,liberos eſſe iuſſit,conſolans ſuper pœna quam tulerant,præter ius in uincula coniecti. Quinetiam ambos munere proſecutus eſt:idq; de ſuo:Antiphilum drachmarum decem milibus,bis tanto Demetrium. Ac Antiphilus etiam nunc quidem in Aegypto eſt. Demetrius autẽ ſua quoq; uiginti milia relinquẽs amico,conceſſit in Indiam:profectus ad Brachmanas,tantum hoc lo/quutus Antiphilo,merito ſibi iam ignoſcendũ uideri,quod tum ab eo diſcederet. Neq; enim ſibi opus fore pecunia,quoad is pleueraret eſſe, qui erat:uidelicet qui poſſit paucis eſſe contentus,neq; illũ amplius ege re amico,quippe cui res iam feliciter haberent. Huiuſmodi ſunt Toxa/ris amici græci. Quod ni initio notaſſes nos,tanq; qui uerbis nos iacta remus:idem profecto relaturus eram tibi cõplures orationes, atq; eas egregias,quas Demetrius habuerit in iudicio:quũ interim pro ſeipſo nihil reſponderet:pro Antiphilo uero lachrymas funderet, atq; etiam ſupplex eſſet:totãq; cauſam in ſeſe reciperet,donec Syrus flagris cæſus, ambos eos liberos fecit. Hoc igitur paucos è plurimis, quos mihi pri/mum memoria ſuggeſſit,tibi narrauerim præclaros ac firmos amicos. Quod reliquum eſt,iam decedens à narratione,tibi dicendi partes tra/do. Tu porrò uti Scythas his non inferiores referas,ſed longe præſtan/tiores,tibi ipſi curæ fuerit:ſiquid de dextra ſollicitus es,ne ea tibi præci/datur. Verum oportet ſtrenuũ præſtare uirum. Etenim res quædam uehementer ridicula tibi contigerit, ſi cum Oreſtem ac Pyladem ad/modum ſophiſtice laudaris:pro Scythia dicens,orator ignauus appa/reas. TOXA. Recte tu quidem Mneſippe:qui quidem ad dicendum etiam exhortaris: perinde quaſi nihil ſolicitus ſis,ne tibi lingua exece/tur,uicto in narrationibus. Sed iam exordiar nihil quidem quemad/modũ tu,uerbis phalerans atq; exornãs(neq; enim is Scytharũ mos) præſertim quũ res ipſæ longe magis loquãtur,quã uerba. Nihil autem eiuſmodi expectaueris à nobis cuiuſmodi tu cõmemorando laudibus extuliſti

extuliſti,puta ſi quis ſine dote duxerit deformem mulierem,aut ſi quis amici filiæ nubenti pecuniolam donauerit,duo talenta,ac per Iouem,ſi quis ſponte eat in uincula,quum certo ſciat ſe paulopoſt eſſe ſoluendū. Admodum enim leuia iſta:neq; quicquàm ineſt in his,uel magni negocij,uel uirile quod ſit. Cæterum ego tibi referam multas cædes, bellaq; & mortes,amicorū cauſa ſuſceptas,ut intelligas ueſtra iſta luſum eſſe,ſi cum Scythicis conferantur. Neque tamē iſthuc ſine cauſa facitis. Sed merito parua iſta miramini:propterea quod non ſunt uobis admodum graues occaſiones declarandæ amicitiæ,quippe in alta pace uiuentibus. Quemadmodum nec in tranquillitate quæas ſcire, bonus ſit gubernator,nec ne. Tempeſtate enim tibi opus fuerit,ad hoc ut dignoſcas. At apud nos bella perpetua,& aut inuadimus alios, aut cedimus inuadentibus,aut ubi forte concurrimus,pro paſcuis prædaq; pugnamus. Hic potiſſimum opus eſt bonis amicis,eoq; quàm firmiſſime conſtituimus amicitias,ſola hæc arma inuicta atq; inexpugnabilia eſſe iudicātes. Prius autem uolo tibi cōmemorare,quo ritu faciamus amicos, non ex poculis,quēadmodum uos:neq; ſiquis æqualis ſit, aut uicinus: uerum ubi ſtrenuum quempiam uirum conſpexerimus,quiq; præclara facinora patrare poſſit,in hunc omnes ſtudio incumbimus, & quod uos in ambiendis coniugijs,id nos in amicis non grauamur, diu quaſi procos agentes,nihilq; non facientes,ne uidelicet fruſtremur amicitia, nēue reiecti eſſe uideamur. At ubi iam in amicitias cæteris repulſis,delectus eſt quiſpiam,protinus fœdus initur,ac iuſiurandum,quod ſit maximum:nimirum & uicturos eos pariter,& mortem oppetiturum,ſi ſit opus,alterum pro altero. Atq; ita facimus. Etenim ſimulatq; inciſis digitis,ſanguinem in calicem deſtillauerimus,ſummiſq; intinctis gladijs, ambo pariter admouentes biberimus,nō eſt quicq; quod deinde nos queat dirimere. Admittūtur autem ad huiuſmodi fœdera,ad ſummū tres. Nam qui multis ſit amicus:is eo loco habetur apud nos,quo communes iſtæ atq; adulteræ uxores: arbitramurq; iam nō perinde firmā illius amicitiā fore, poſteaq; eſt in plures partes diſſecta. Exordiar aūt ab his,quæ nuper Dandamis fecit. Dandamis enim hic in conflictu cū Sauromatis, quum eſſet captiuus abductus eius amicus Amizocas. Quin potius ante tibi iurabo noſtrum iuſiurandum, quandoquidem iſthuc initio ſum pollicitus. Non enim per Ventum & Acinacem, quicquàm mentiturus ſum apud te de Scythicis amicis. MNESIP. Equidē tuum iuſiurādum haud magnopere deſiderabam:proinde recte facis, qui nullum deorum iures. TOXA. Quid tu narras? An nō tibi uidētur eſſe dij, Vētus & Acinacis? Adeó ne te fugit,quod nihil ſit maius mortalibus uita ac morte? Per hæc utiq; iuramus, quoties per Ventum &

Acinacem iuramus: uidelicet per Ventum, tanq; qui uitæ sit causa: per Acinacem uero, ut qui mortis sit autor. MNESIP. Atqui si ista idonea causa est: profecto multos alios quoq; deos estis habituri tales, qualis est Acinaces: puta iaculum, lanceam, uenenum, funem, atq; his cõsimilia. Quãdoquidem uarius est iste deus interitus, atq; innũerabiles aperit uias, quibus ad illum sit aditus. TOXA. Vide quàm cõtentiose nũc, quamq; litigiose isthuc facis: dum medio sermone interpellas me, excutisq; ac disturbas orationem meam. At ipse loquẽte te, silentiũ agebãmus. MNES. Age, non sum isthuc posthac facturus Toxaris. Et optimo iure obiurgas: quare perge confidenter quod restat dicere: perinde quasi nec adsim dum loqueris, adeo tibi silebo. TOXA. Quartus igitur agebatur dies Dandamidi & Amizocæ, ex quo amicitiam inierant, ac mutuum sanguinem pariter biberant. Venerant interea in regionẽ nostrã Sauromatæ, cum equitum decem milibus: peditum autẽ ter tantũ aduenisse ferebatur. Ii nimirum quum in nos irruissent imparatos, neque expectantes illorum insultũ; omnes quidẽ cedere cogũt, complures autem repugnantes occidunt, nõnullos & uiuos abducunt, nisi siquis effugerat tranans in ulteriorẽ fluminis ripam, ubi nobis dimidium copiarum, & pars curruũ erat. Sic enim id temporis castra fueramus metati, haud scio quo consilio Archiplanorum, id est, ducum nostrorum, ad utrãq; Tanaidis ripam. Protinus itaq; & prædas abigebant, & captiua abducebant, & tentoria diripiebant, & curribus potiebantur, atque ijs pleriscq; cum uiris captis, & sub oculis nostris concubinas, uxoresq; nostras cõstuprabant. Nos porrò rem indigne tulimus. At Amizoca quũ duceretur (erat enim captus) nominatim inclamauit amicũ, misere uinctus, simulq; calicis & sanguinis cõmonefecit. Quod simulatq; exaudierat Dandamis, nihil etiã contatus, spectantibus omnibus, tranauit ad hostes. Ibi Sauromatæ densatis telis irruerunt in illũ: iam confixuri, nisi succlamasset: Zirim. Hoc uerbi siquis sonuerit: postea nõ interimũt, sed recipiunt, tanq; dedentem sese precio redimendũ. Moxq; ad illorum ducem adductus, reposcebat amicum: ille redemptionis precium postulabat. Neq; enim prius dimissurum sese, nisi maximũ pro illo recepisset. Tum Dandamis: quæ possidebam, inquit, ea omnia à uobis direpta sunt: quod siquid est quod nudus præstare queam, id sum paratus polliceri uobis: & imperato quicquid uoles. Et si ista uis: meipsum huius in locum recipe, & abutere ad quodcumq; tibi lubitum erit. Ad hæc Sauromata: Nihil, inquit, opus retinere te: præsertim quum temet dederis. Quin tu parte eorum quæ possides tradita amicum abduci-to. Rogat illico Dandamis, quidnam uellet accipere. Ille oculos postulat. Atq; hic protinus exhibuit eruendos. Deinde ubi essent exacti: iãq;

precium

precium persolutum esset Sauromatis, recepto Amizoca, reuersus est innitens illi: unáq; tranantes, incolumes ad nos redierũt. Id factum animum reddebat Scythis omnibus, neque iam uictos esse rebantur sese, quum uiderent, quod apud nos esset bonorum maximum, id nõdum esse abductum ab hostibus: uerum supersesse egregiam mentem, & in amicos fidem. At idem Sauromatis formidinem non mediocrem incutiebat: reputãtibus cum cuiusmodi uiris, si se præparassent, essent pugnaturi: tametsi tum quidẽ ex improuiso superassent: proinde sub noctem relictis maxima ex parte pecoribus, incensisq; curribus, fuga sese subduxerunt. Porrò Amizoca non tulit diutius, ut uideret ipse, amico cæco Dandamide, sed ipsus semet exoculauit. Atque ita sedent ambo, omniq; honore à populo Scytharũ publicitus alũtur. Quid tale Mnesippe uos referre possetis? Etiam siquis tibi donet, ut possis uel decem alios ad istos quinq; adiungere: etiam citra iusiurandum, si ita uis, ut & multa liceat affingere? At ego tibi rem nudam exposui. Tu uero si quẽ talem narrasses, non sum nescius, quantas adornandæ rei gratia phaleras narrationi fueris admixturus: quemadmodum supplicarit Dandamis: & quomodo sit excæcatus, & quæ dixerit, & quo pacto redierit, & quemadmodum exceperint eum Scythæ, adgratulantes, beneque ominantes, atque id genus alia: cuiusmodi uos ad demulcendas aures soletis artificio quodam addere. Audi igitur & alium huic parem Belittam, huius Amizocæ consobrinum. Is ut detractum ex equo à leone, Basthen amicum conspexisset: nam forte simul erant in uenatu, iamq; leo circumplexus illum, iugulo admotus esset, atque unguibus laniaret, desiliens & ipse, inuolauit in tergum beluæ, reflexitq;, in sese prouocãs, auertensq;, atque inter dentes digitos inferens, conatus quoad licuit, Basthen è rictu leonis eximere, donec leo omisso illo iam semimortuo, ad Belittam sese conuertit, atque ipsum quoque circũplexus occidit. At ille moriens (nam tanto anteuertit) acinacem in leonis pectus defixit. Itaq; pariter exanimati sunt omnes: nos autem sepeliuimus eos, duobus aggestis tumulis inter se uicinis: altero amicorum, altero è regione leonis. Iam tertio loco tibi referam Mnesippe, Macentæ, Lonchatæ, & Arsacomæ amicitiã. Hic enim Arsacomas deperibat Mazæam Leucanoris filiam, qui regnabat in Bosporo: tum quum legatione fungeretur super tributo, quod Bosporini semper nobis pendere soliti, id tẽporis tertium iam mensem ultra diem legitimum distulerant. In conuiuio igitur quum Mazæam uidisset proceram atq; decoram uirginem, amore captus est, grauiterq; discruciabatur. Iam itaq; quæ de tributis agebantur, erant transacta: respondératq; illi Rex, conuiuioq; accipiebat, mox illum dimissurus. Est autem mos in Bosporo, uti proci in conui-

uio petant puellas,narrantes quinam ſint,quibuſq; rebus fræti, decreuerint eas in matrimonium accipere.Atq; id tẽporis forte fortuna multi aderant in conuiuio proci,reges,ac regum filij,in his erat & Tigrapates,Lazorum princeps,& Adyrmachus, Machlyinæ dux, alijq; cũ his permulti.Oportet autem unumquẽq; procum,poſteaq; expoſuit quis ſit,& qua fiducia ad ambiendas nuptias acceſſerit, conuiuari cum reliquis,tacitumq; accumbere:Deinde peracto conuiuio,poſtulata phiala,uinũ in menſam effũdere,atq; ita ſponſam ambire,multum interea collaudantem ſeſe,quo genere,quibus opibus,qua ſit potentia.Ad hũc igitur modum cum multi iam libaſſent, poſtulaſſentq; , regna & opes cõmemorantes:tandem Arſacomas,poſtulata phiala,non libauit(neque enim mos apud nos uinum effundere,quin magis contumelia iſta eſſe iudicatur in deum)ſed hauſtim bibens:Da mihi Rex,inquit,filiam tuam Mazæam uxorem,qui multo ſum potior iſtis,quantum ad opes ac poſſeſſiones attinet.Leucanore uero admirãte(ſciebat enim rex pauperem Arſacomam,ac de plebe Scytharum eſſe)percontanteq; quantum pecorum, aut quantum habes plauſtrorũ Arſacoma:nam ijs rebus uos diuites eſtis.Imò nec plauſtra,inquit,poſſideo,nec armẽta: uerum ſunt mihi duo amici,honeſti,probiq;,quales alijs Scytharum nemini.At tum quidem iſta dicens,riſus eſt,contemptúique habitus, uiſuſq; temulẽtus.Mane uero reliquis prælatus eſt Adyrmachus,iamq; ſponſam abducturus erat in Mæotidem ad Machlyenſes. Porrò Arſacomas domum reuerſus,amicis indicat,quemadmodum reiectus eſſet à Rege,riſuiq; habitus in conuiuio,quũ pauper eſſe putaretur . Atqui dixeram,inquit,illi quantas haberem opes:nempe uos,ô Lonchata atque Macenta,ueſtramque beneuolẽtiam longe præſtare, multoq; firmiorem eſſe Boſporanorum opibus. Verum hæc dicentem,me ſubſannauit ,contempſitq;:& Adyrmacho ſcilicet Machlyenſi tradidit aſportandam ſponſam,quod aureas phialas ſe diceret habere decem:præterea currus quaternis ſedilibus octoginta:ad hæc ouium boumq; multam copiam.Sic uidelicet antetulit fortibus uiris pecorum multitudinẽ operoſa pocula,& currus grauis.Proinde,ô amici,dupliciter excrucior: nam & Mazæam amo,& iniuria mihi inter tantum hominũ illata, nõ mediocriter mordet animum meum.Arbitror autem & uos ex æquo iniuria affectos eſſe.Etenim ad unumquẽq; è nobis tertia contumeliæ pars pertinebat:ſi modo ita uiuimus, quemadmodũ cœpimus quum coniũgeremur:nimirũ ut unus homo ſimus,ijſdẽ dolẽtes,ijſdemq; gaudẽtes.Imò,inquit,Lonchates,unuſquilibet è nobis totus iniuria afficiebat,tũ quũ in te iſta fierent.Quomodo igitur(inquit Macentes)his in rebus agemus?Per partes,inquit Lonchates, negocium ſuſcipiamus.

Atq;

Atq; ego quidem recipio Arſacomæ me caput apportaturũ Leucanoris. Tu uero ſponſam ereptam huic adducas oportet. Ita fiat, inquit. At tu Arſacoma, inter hæc (nam his peractis ueriſimile eſt exercitu ac bello fore opus) hic mane, quo contrahas & appares arma, equos, atq; alia rum rerum uim, quantam potes maximam. Facillime autem plurimos adiunxeris: partim quod ipſe ſtrenuus, partim quod nobis non pauci ſunt familiares: Maxime uero ſi deſederis in tergore bouis. Hæc ubi placuiſſent, hic quidem quantum potuit, rectà profectus eſt in Boſporũ, puta Lonchates: alter, id eſt, Macẽtes ad Machlyenſes, eques utercq; At Arſacomas domi manens, & cum æqualibus contulit, & ex familiabus uim hominum armauit. Demum & in tergore bouis deſedit. Conſuetudo autem de ſedẽdo in tergore bubalo huiuſmodi eſt apud nos. Vbi quis ab alio læſus eſt, cupitq; ulciſci, neq; par eſſe pugnæ uidetur: cum boue immolato, carnes fruſtulatim conciſas, igni torret. De hinc ipſe porrecto humi corio, ſedet in eo: in tergum reductis manibus, more eorum, qui à cubitis uincti ſunt. Et hoc quidem apud nos maximũ eſt ſupplicandi genus. Appoſitis autem bouis carnibus, adeuntibus domeſticis: præterea ſiquis alius uelit, quiſq; partem ſibi ſumit, ac dextro pede tergum bouis calcãs, pro facultate pollicetur: hic quidem equites præbiturum ſe quinq; ſuopte cibo, ſuóq; ſtipendio: ille decem, alius plures, alius armatos pedites quot poſſit, atq; qui pauperrimus, ſeipſum duntaxat. Colligitur itaque in tergo bouis, ingens nonnunq; multitudo. Et huiuſmodi quidem exercitus, & certiſſima fide cohæret, & hoſtibus expugnatu difficillimus eſt: non aliter, quàm ſi iureiurãdo eſſet adactus. Nam in tergum aſcendiſſe, inſtar iuriſiurandi eſt. Arſacomas igitur his in rebus procurandis ſatagebat: coieruntq; illi equites quidem circiter quinquies mille: tum armati ac pedites promiſcue, uicies mille. At Lonchates ubi ignotus peruenit in Boſporum. Regem adit, tractãtem quiddam de regni negocijs, aitq; uenire quidem ſeſe publico Scytharũ nomine, ſed priuatim res maximas apportare. Ille ubi dicere iuſſiſſet: De publicis, inquit, negocijs, hæc in præſentiarum denũciant Scythæ: ne ueſtri paſtores in planiciẽ uſque tranſgrediantur, ſed intra Trachonem paſcãt. Cæterum latrones de quibus expoſtulatis quod regionem ueſtram incurſent: negant eos publico conſilio emitti, ſed priuatim ſui quenque lucri cauſa prædari. Quod ſiquis illorum deprehendatur: tui arbitrij eſſe, ut in eos animaduertas. Hæc quidem illi denunciãt. At ego tibi indico, grauem in uos inſultum futurum ab Arſacoma Mariantæ filio, qui nuper legatũ egit apud te, idque (opinor) quũ filiã tuã poſtularit, non aſſequutus ſit abs te: ob id indignatur, ſedetque in tergore taurino ſeptimum iam diem, contractuſque illi eſt exercitus

haud exiguus. Audiui (inquit Leucanor) & ipse, cogi uim copiarum in tergum bouis. Quod autem aduersum nos cogerentur, quodq; Arsacomas huius rei dux esset, id uero me fugerat. Atq; in te, inquit Lonchates, hic apparatus cõstituitur. Mihi autem inimicus est Arsacomas, grauiterq; fert, quod sibi præferar à natu maioribus, & quod in omnibus illo uidear esse præstãtior. Quod si mihi spoponderis alteram filiã tuã Barcetim, alioqui nec indigno uestra affinitate, breui tibi reuersus caput eius apportauero. Spondeo Rex inquit, uidelicet supra modum formidine correptus, propterea quod non ignoraret, quam ob causam iratus esset Arsacomas: nimirum ob nuptias, tum & aliâs quoq; metuerit semper Scythas. At Lonchates: Iurato, inquit, te præstiturũ pacta, neque inficiaturum. Id quum fieret, iamq; resupinatus in cœlum iurare uellet: Absit, inquit, ut hic, ne quis spectantium coniiciat, qua gratia iuremus. Quin potius hoc templum Martis ingressi, occlusis foribus iusiurandum ædamus, ubi nullus exaudiat. Nam siquid horum inaudierit Arsacomas, uereor ne me ante bellum immolet, manu iam nunc nõ parua cinctus. Introeamus, inquit Rex. Vos autem absistite quàm longissime. Neq; quisq; ad templum adeat, quem ego non accersiuero. Posteaq; igitur ipsi quidem introgressi sunt, satellites autem procul absisterunt, uibrato gladio, simulq; altera manu obturato ore, ne uociferaretur, ictũ in pectus adegit. Deinde caput desectũ, sub chlamyde tenens prodibat, quasi confabulans interim cum illo, breuiq; sese dicens adfuturum, tanq; ad negocij quippiam emitteretur ab illo. Atque ita reuersus eò, ubi equum uinctũ reliquerat, conscenso illo, redequitauit in Scythiam. Porrò nemo est eum insequutus: quippe diu ignorantibus Bosporinis, quod acciderat, tum ubi resciissent, factiose de regno decertantibus. Hæc itaque gessit Lonchates præstititq; promissum allato Leucanoris capite. Porrò Macentes in uia factus certior super his, quæ in Bosporo acciderant, peruenit ad Machlyenses: primusque illis nuncium attulit de Rege trucidato. At populus, inquit, te Adyrmache, gener cum sis, ad regnum uocat. Proinde fac ut ipse prior occupans, imperium arripias, in rebus perturbatis obortus, puella uero te sequatur à tergo in curribus. Facile enim isthoc pacto tibi conciliaueris multitudinem Bosporanorum, ubi Leucanoris filiam conspexerint. Ego porrò non solum Alanus sum, uerumetiam sponsæ tuæ cognatus maternus: siquidem nostra è gente Masteram Leucanor asciuit uxorem. Et nunc tibi adsum, missus à Masteræ fratribus, qui sunt in Alania: denuncianti bus ut quàm potes ocyssime, te recipias in Bosporum, neque per negligentiam committas, ut imperium ad Eubiotum deueniat, qui tametsi frater nothus est Leucanoris, tamẽ Scytharum partibus semper

fauit

fauit,cum Alanis ſimultates gerit.Hæc quidem dicebat Macentes.Erat autem eodem cultu,eademq; lingua cum Alanis.Cómune enim horũ utrũq; Alanis cũ Scythis,niſi quod nó magnopere comati ſunt Alani quemadmodum Scythæ.At Macentes in hoc quoque illis erat aſſimilis,uidelicet detonſa coma:quatinus conueniebat Alanum minus eſſe comatum,quàm Scytham.Itaq; his rebus factum eſt,ut illi fides haberetur,putareturq; Maſteræ ac Mazææ cognatus eſſe.Et nunc,inquit,ô Adyrmache.ad utrumuis paratus ſum:uel proficiſci tecum in Boſporum,ſi uelis:uel manere,ſi ſit opus,ac ſpõſam adducere. Iſthuc equidẽ, inquit Adyrmachus,longe malim,quãdoquidem cognatus es,te puellam adducere.Nam ſi nobiſcum unà proficiſcaris in Boſporum:unum duntaxat equitem numero addideris.Quod ſi mihi uxorem aduexeris,multorum inſtar fueris.Atque ita factum eſt,& hic quidem iter ingreſſus eſt.Macentæ tradens ducendam Mazæam,quæ uirgo etiã dũ erat.At ille per diem quidem illam curru uehebat:uerum ubi nox incubuiſſet,impoſitam equo(nam id curarat,ut alius quidem eques ſeſe cõſequeretur)tum inſiliens & ipſe,nequaquàm deinceps ad Mæotim iter faciebat, ſed deflectẽs ad mediterraneam,relictis ad dextram Mitræorum montibus,quum uirginem interim aliquoties interquieſcere iuſſam refocillaſſet,intra triduum à Machlyenſibus in Scythiam uſque pmenſus eſt uiam:ſtatimq; equus eius ubi deſtitiſſet à curſu, pauliſper aſtans exanimatus eſt.Porrò Macentes Arſacomæ Mazæam in manum dans: Accipe,inquit,à me quoque id,quod ſum pollicitus.At illo ad inſperatum ſpectaculum ſtupefacto,gratiasque agente: Deſine,inquit,Macentes:ac noli me aliũ à te ipſo putare,nam mihi profecto gratias agere ob hæc quæ feci,perinde eſt,ac ſi ſiniſtra mea gratias agat dextræ,quod uulneratæ ſibi ſubminiſtrauit,atq; officioſe curã egit ægrotantis.Ridicula nimirum & nos fecerimus:ſi iamdudũ cõmiſſi,& quatenus licet in unum conflati,magnum adhuc eſſe credamus, ſiqua pars noſtri officioſe quid egerit pro toto corpore. Etenim pro ſeipſo fecit, quum pars ſit totius beneficio adiuti.Atque ad hunc quidem modũ Arſacomæ gratias agenti,Macentes reſpondit. Cæterũ Adyrmachus ubi ſenſit inſidias,non perrexit ire in Boſporum: iam enim Eubiotus rerum potiebatur,accerſitus à Sauromatis,apud quos fuerat diuerſatus:uerum in patriam reuerſus,contractis ingentibus copijs, per montuoſa irrupit in Scythiam,paulocq; poſt irruit & Eubiotus, cum Græcos undecunq; poterat ſecum ducens,tum Alanos & Sauromatas accerſitos,utrinque uicies millenos. Coniunctis autem copijs,Eubiotus atque Adyrmachus nonaginta milia confecerunt. Atque ex his tertia pars equites ſagittarij,nos autem(nam & ipſe ad hanc expeditionem con

nem contuleram, addens ijs, qui in tergum taurinum conuenerant equites ad plenum instructos centum) contractis haud multo minus triginta milibus, unà cum equitibus operiebamur insultum, ductore Arsacoma. Vt autem admouentes illos conspeximus, contra duximus agmen, præmissis in hostem equitibus. Atq; ubi iam diu acriter esset pugnatum: tandem cessere nostri, interrupta phalange. Postremo in duo dissectum est uniuersum agmen Scythicum: pars subduxit sese, non omnino palàm uicta: uerum ita fugiebat, ut locum dare uideretur: adeo ut Alani ad multum tempus insequi non auderent: partem alteram, quæ eadem erat imbecillior, cingentes Alani ac Machlyenses, undequaq; cædebant, confertim iaculis emissis, atq; sagittis, sic ut uehementer laboraretur à nostris, qui tenebantur obsessi. Etiam plericq; arma proiecerant, quorum in numero forte erat Lonchates & Macentes: iámq; ambò uulnus acceperant, dum ante alios sese periculis obijciunt. Hic quidẽ adusto femore, puta Lonchates: Porrò Macentes securi sauciato capite, tum conto in humerũ impacto. Quod simulatq; sensit Arsacomas, quum in altero agmine esset nobiscum: turpe ratus, si desertis amicis non adesset, subditis equo calcaribus, cum clamore in hostes tendere cœpit, sublato gladio adeo, ut Machlyenses uim animi non sustinuerint, sed uiam illi fecerint, ut transiret. At ille receptis amicis, tum aduocatis & alijs, impetum fecit in Adyrmachum, impactoq; in ceruicem gladio, ad zonã usq; dissecuit. Quo fuso, dissipata est omnis acies Machlyensium, paulopost & Alanorum: Denique cũ his Græci quoque. Atq; ita redintegrato prælio, nos superiores extitimus, diuq; sumus insequuti trucidantes, donec nox finem imposuit. Postero die ab hostibus uenerunt legati, qui supplices pacem atq; amicitiam orarent. Bosporani duplicatũ tributũ pensuros sese pollicebantur: Machlyenses obsides daturos se cõfirmabãt. Alani ita eam inuasionẽ cõpensaturos sese spondebant, ut Sindianos nostro nomine uellent aggredi, quibuscũ multo iam tempore nobis fuerat simultas. His de rebus auditis suffragijs, in primis autem Arsacomæ & Lonchatæ: pax inita, duob⁹ illis cuncta pro arbitratu suo moderantibus. Huiusmodi Mnesippe, audẽt Scythæ amicorũ causa facere. MNESIP. Tragica prorsus, ô Toxari, fabulis/que similia. Et propicius sit Acinaces & Ventus, per quos iurasti: siquis ista non credat, non admodũ reprehendendus esse uideatur. TOXA. At uide, uir egregie, ne incredulitas ista ab inuidia uestra proficiscatur. Quanquàm non me deterrebis non habendo fidem, quo minus & alia his consimilia referã, quæ nouerim à Scythis esse gesta. MNES. Tãtũ ne lõgũ facias, uir optime, neq; usq; adeo admissis, uagisq; utare sermonibus: ut nũc sursum ac deorsum Scythiã, Machlyanãq; percurrẽs:

deinde

deinde in Bosporũ discedens:postremo rediens prorsus abutare silentio meo. TOXA. Parendum tibi & hanc præscribẽti legem, dicendũq; paucis,ne fatigeris unà nobiscum,audiẽdo circũcursitans. Quũ magis ausculta,quæ in meipsum amicus Sisinnes noïe præstiterit. Quin enim Athenas relicta patria proficiscerer,idq; cupiditate Græcanicarum literarũ,appuleram Amastrim Ponticam. Ea est urbs haud procul à Carambe dissita in promontorio,obuia ijs,qui à Scythia nauigant. Comitabatur aũt Sisinnes,mihi à puero amicus. Nos igitur ubi res quasdam importatas in portu spectassemus,in eumq; è naui subduxissemus,emimus,nihil suspicantes mali,interea fures quidam effracta sera, sustulerunt uniuersa,adeo ut non reliquerint,quod uel in eũ diem sufficere posset. Ergo quum domum essemus reuersi,cognito quod acciderat,non uisum est in ius uocare uel uicinos,qui plures erant,uel hospitẽ, ueriti ne pleriscq; sycophantæ uideremur,si dixissemus nobis ab aliquo sublatos esse Daricos quadringentos,tum uestium permultũ, ad hæc tapetia quædam,deniq; quicquid habueramus. Consultabamus igit hisce de rebus,quid esset faciundum,omniũ rerum egenis,idq; in urbe peregrina. Ac mihi quidem ita uisum est tum temporis statim demerso in ilia acinace, uitam fugere,priusq; ignauũ quippiam,aut indignũ esset ferendum,uel fame,uel siti enecto. Contra Sisinnes cõsolabatur, obsecrans ne quid tale facerem. Aiebat enim excogitasse sese,unde nobis uictus suppeteret. Et eo quidem die baiulandis è portu lignis, allata mercede uictum suppeditauit,mane autẽ obambulans in foro,pompam quandam aspexit iuuenum (quemadmodũ aiebat) elegantiũ ac strenuorum. Hi nimirum uiritim lecti,uti mercede proposita,singulare certamen inirent,in tertiũ diem erant decertaturi. Ergo quum omnes huius negocij conditiones audisset,accedens ad me,Caue posthac, inquit, Toxari,ne teipsum pauperem dixeris. Siquidem tertio abhinc die diuitẽ te reddidero. Hæc ait,atq; interea ægre parato uictu,quũ iã spectaculũ esset institutũ,spectabamus & ipsi,etenim assumptũ me duxit in theatrũ,tanq; ad iucundũ aliquod,nouumq; spectaculũ Græcorũ. Ergo ubi cõsedissemus,spectabamus. Ac primo quidẽ feræ partim iaculis cõfixæ,atq; à canibus agitatæ,partim in homines quosdã uinctos emissæ,nocentes quospiam,ita ut conijciebamus. Vt autem prodierũt, qui erant ad singulare certamen conducti,ac producto iuuene quodã prægrandi,dixisset præco. Si quisq; uelit cũ hoc singulari certamine cõgredi,prodeat in mediũ,præmiũ pugnæ accepturus drachmarũ decem milia. Ibi ꝓtinus assurrexit Sisinnes desiliẽs,polliceturq; se dimicaturũ, simulq; poscit arma. Tũ acceptã mercedẽ,decẽ milia mihi deferens, in manũ dat. Si uicero,inquit, Toxaris,unà ꝓficiscemur,suppetetq; commeatus,

meatus:ſin cecidero,ſepulto me,redi rurſus in Scythiam. Ego quidem his auditis ſingultiebam. At ille ſumptis armis, reliquum quidem corpus muniuit:at galeam nequaq; impoſuit,ſed nudo conſiſtens capite pugnabat. Et initio quidem ipſe uulnus accepit, retorto gladio, ſucciſo poplite,ita ut multum ſanguinis defluueret. Ego interim iam metu præmortuus eram. At ille confidentius inuadentem aduerſariũ obſeruãs, ferit in pectore,tranſfigitq;:ita ut protinus ad pedes illius procumberet. Ille feſſus & ipſe uulnere,mortuo incũbebat:parumq; abeſat, quin ipſe quoq; efflaret animam. At ego accurrẽs erexi, animumq; reddidi. Porrò ubi dimiſſus eſt,iam uictor declaratus:ſublatum illum,domum deportaui:multumq; temporis curatus à medicis,ſuperuixit quidẽ,hodiéq; agit apud Scythas,ducta in matrimoniũ ſorore mea,claudus tamen adhuc eſt ex uulnere. Hæc res Mneſippe non apud Machlyenſes, neque in Alania geſta eſt:ut teſtibus careat,& ficta credi queat: uerum complures extant Amaſtriani,qui de pugna Siſinnæ memorant. Finẽ iam faciam:ſi tibi quinto loco factum Abauchæ retulero. Appulit aliquando Abauchas hic in Boryſtenenſium ciuitatem ſecum adducens & uxorem,quam unice diligebat,liberos duos,alterum quidem maſculum lactentem:altera uero erat puella ſeptem annos nata. Erat autem peregrinationis comes & huius amicus Gyndanes,atque is quidem è uulnere laborans,quod in uia acceperat à latronibus, qui eos fuerant adorti:cũ quibus dum pugnaret,ictus eſt in femore:ita ut ne ſtare quidem poſſet præ cruciatu. Itaq; noctu dormientibus illis (nam forte in cœnaculo quodam diuerſabantur)ingens ortũ eſt incẽdium, omniáq; circũcluſit,iamq; flamma undiq; domum circũdedit. Ibi experrectus Abauchas,relictis liberis plorantibus, repulſa uxore, quæ inhærebat, iuſſaq; ut ipſa ſeſe ſeruaret,amico in humeris ſublato deſcendit,perrũpensq; euaſit,ita ut nequaquàm incendio læderetur. Vxor infantẽ baiulans conſecuta eſt,monens puellulam,ut ſeſe conſequeretur. Ea uero ſemiuſta,abiecto ex ulnis infante,uix exiliit è flamma. Deindè puella unà cum illa ueniens,penè & ipſa extincta eſt. Poſt hæc quum probro obiectaret quiſpiã Abauchæ,quod defertis liberis,atq; uxore,Gyndanem extuliſſet: Imò liberos,inquit, denuo parare haudquaq; difficile:tum incertum,an hi boni ſint futuri:porrò amicum diu fuerit, priuſq; inueniã talem,qualis eſt Gyndanes:cuius amor mihi multis argumentis eſt exploratus. Dixi Mneſippe,è pluribus his quinq; ppoſitis, iam tempus eſt pronunciari,utri noſtrũ,aut linguã,aut dexteram oporteat amputari. Quis igitur futurus eſt iudex? MNESIP. Nemo. Neq; enim conſtitueramus narrationis arbitrum. Sed ſcin quid agemus? Quandoquidem in præſentiarum, nullo propoſito ſcopo, ſumus iaculati:

de integro

de integro delecto arbitro, alia amicorū paria apud illum referamus: deinde uter succubuerit, ei tum quidē amputetur, uel mihi lingua, uel tibi dextera. Aut si hoc crudele, quādo tu amicitiam admirari uisus es: ego nihilo secius puto, nullam esse mortalibus possessionem hac præstantiorem neq; pulchriorem: quin ipsi quoq; in unum copulati, illud approbamus: ut ex hoc die in totam usq; uitam simus amici, utriq; uictores, utriq; maximis potiti præmijs: uidelicet p unica lingua, unáq; dextra, binas uterq; habituri: atq; insuper oculos quoq; quaternos, pedésq; quaternos: in summa, duplicia omnia. Eiusmodi nāq; quiddam est: cum duo tresq; copulantur amici, qualem Geryonē scriptores depingunt, senis manibus, terniscq; capitibus hominē. Siquidem (ut mea fert opinio) tres illi fuerunt, qui cōmuniter omnia gererent: ut dignum est his, qui amicitia coniuncti sunt. TOXAR. Probe dicis, atq; ita faciamus. MNESIP. Verūm neq; sanguine opus est Toxaris, neq; Acinace, qui nobis amicitiam confirmet. Hæc enim confabulatio, & quod eadem amamus, id multo certius est calice illo quem bibitis: propterea quod huiusmodi non obligationem, sed animum postulare mihi uidentur. TOXAR. Placent ista; iamq; amici atq; hospites simus: tu mihi hic in Græcia: ego tibi, siquando in Scythiam perueneris. MNESIP. Nimirum ut sis sciens, nequaq; me pigeat uel longius etiam proficisci, si tales amicos nanciscī liceat, qualem esse te Toxari ex tua oratione conijcio.

LVCIANI TOXARIS SEV AMICITIAE, DES. Erasmo Roterodamo interprete, finis.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. Renato episcopo Carnutensi, Erasmus Roterodamus S. D.

VIm multis modis comperiri habeam, ornatissime pater, q̄ cāde de meo ingeniolo, meisq; nugis tum sententias, tū prædices, uir alioqui manis emūctissimæ: Iamq; ad Italicum iter accincto, per itineris comites nō liceret celsitudinem tuam interrisere, ut esset tamen interim quod te tui Erasmi commonefaceret, Lucianī pseudomantem misi, sceleratissimum quidem illum, sed quo non alius sit utilior ad deprehendendas coarguendasque quorundam istorum impostoras, qui hisce quoq; tēporibus uel magicis miraculis, uel ficta religione, uel adsimu-

latis condonationibus,alijsq; id genus præstigijs, uulgo fucum facere solent.Eum igitur leges,uti spero,nõ modo cum fructu aliquo, uerum etiã summa cum uoluptate,propterea quod intelligam te, licet præter generis claritatem,fortunæ splendorem, muneris autoritatẽ,serijs illis ac tetricis studijs absolutum,non solere tamẽ admodum ab his etiam elegantioribus Musis abhorrere:& huiusmodi lusus nec inamœnos, nec infrugiferos arduis negocijs libenter intermiscere. Porrò quicquid est,uel nigri salis,quem Momo tribuunt,uel candidi, quem Mercurio asscribunt,id omne in uno Luciano copiosissime reperias licebit. Carnutensis oppidi,tam splendidum profecto, tamq; celebre phanũ, fulmine conflagrasse,dici non potest quàm feram acerbe. Bene uale in reditum ex Italia nostrum.Lutetiæ, Anno M. D. V.

LVCIANI ALEXANDER SEV SPEVDOMANTIS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

V quidem charissime Celse,leuẽ forte quandam ac facilem prouinciam tibi mandare uideris,cum iniungis ut Alexãdri Abonotichitæ impostoris uitam,cõmenta, neq; non audaciam præstigiasq; libro complexus, uolumen ad te transmittam. Verũ si quis ea cone tur omnia ad plenum enarrare, id profecto nõ minoris sit negocij quàm Alexandri eius, cui Philippus fuit pater, res gestas literis prodere: tantus hic scelere, quantus ille uirtute. Attamen si candide ignoscentercq; legere uoles, & quod narrationi deerit,id ex te imputare atq; addere, conatum hunc te autore capessam,& Augæ bubile si nõ omne,at certe pro mea uirili repurgare nitar,paucis aliquot elatis cophinis:nimirum ut ex his coniecturam facias,quantus, quamq; immensus fuerit fimus uniuersus, quem ter mille boues multis annis reddere potuerint. Sed amborum interim nomine calumniam uereor,tuo pariter ac meo:tuo,qui iubeas memoriæ literatumq; monumentis tradi uirum longe sceleratissimũ: meo,qui seriam operam in huiusmodi narratione,rebusq; gestis hominis,quem nequaq; oportebat ab eruditis legi,sed in frequentissimo quopiam & amplissimo theatro spectari à simijs aut uulpibus discerptum:quanquã si quis hoc crimẽ nobis impegerit, poterimus & ipsi nos exemplo quodã simili mederi.Etenim Arrianus ille discipulus Epicteti, uir inter Romanos cum primis laudatus,ac per omnem uitam in literarum

rarum ſtudio uerſatus,cum ſimile quiddam fecerit,pro nobis quoque reſponſurus eſt. Nam is quidem Tillibori latronis uitam deſcribere non eſt grauatus. Nos uero multo crudeliorẽ latronem memoriæ prodemus,quippe qui non in ſyluis ac montibus,ſed ipſis in urbibus ſit latrocinatus:neq; qui Minyam tantum,aut Idam ſit pergraſſatus, neq; paucas quaſdam Aſiæ partes, uidelicet deſertiores depopulatus, ſed qui uniuerſam (ut ita dixerim) Romanorum ditionem ſuo complerit latrocinio. Ac primum tibi depingam hominem,effigiem eius quoad potero proxime uerbis adumbrans:tametſi non ſum admodum pingendi peritus. Corpore igitur,ut interim & hoc tibi repræſentem,procerus erat,& aſpectu decorus,planéq; ſpecie diuina quadam ac maieſtatis plena,colore candido,barba non admodum hirſuta, coma partim natiua tectus,partim appoſitícia: ſed hæc adeo ſcienter efficta,ut uulgus fere non ſentiſceret imitatam aſciticiamq; eſſe. Oculi uehementer acres ac uerſatiles, tum diuinum quiddam relucentes. Vox dulciſſima pariterq; clariſſima. In ſumma quo ad has res, nulla ex parte poterat improbari, ac figura quidem hominis erat huiuſmodi. Cæterũ mens atq; animus: ô malorum depulſor Hercules,& auerſor triſtium Iupiter, ſeruatoreſq; Dioſcuri, in hoſtes potius contingat incidere, quam cum eiuſmodi quopiam habere cõmercium. Siquidem ingenio,ſolertia,acumine longe præſtabat cæteris mortalibus. Tum curioſitas,docilitas,memoria,& ad diſciplinas ingenij felicitas, horum unumquodq; ſupra quàm dici poſſit,illi ſuppetebat,quibus tamen peſſimam in partem eſt uſus. Et quũ haberet arma tam egregia ſibi ſuppeditata, illico nimirum omnium qui eſſent ſceleribus nobilitati, facile ſummus euaſit,uel ſuperior Cercopibus,Eurybato, Phrynonda, Ariſtodemo, Soſtrato. Nam ipſe cum aliquãdo Rutiliano ſcriberet genero, modeſtiſſiméq; de ſe loqueretur, Pythagoræ ſemet adſimilabat. Atqui ueniam mihi dabit Pythagoras,uir ille quidem ſapiens,ac mente diuina:cæterum ſi huius ætate uixiſſet, puer (ſat ſcio) præ hoc uiſus fuiſſet. Sed heus tu per Gratias,caue putes hæc in Pythagoræ cõtumeliam me dicere,quaſi uelim eos ſimilitudine rerum geſtarum cõmittere. Verum ſi quis deterrima, quæq; & probroſiſſima, quæ de Pythagora per calumniam feruntur (quibus equidem haudquaq; fidem perinde ut ueris habuerim) ſi quis tamẽ conferat in unũ,ea nimirum omnia,uix etiam minimã particulam adæquent Alexandrinæ uerſutiæ. Prorſum enim imaginare mihi,& cogitatione finge,quàm maxime uariã ingenij temperaturam,fidemq; ex mendacio,dolis,periurijs, maleficijſq; confuſam,promptam,audacem, uerſatilem, & ad efficiendũ quæ cogitaſſet nullum refugientem laborem,appoſitam ad perſuadendum,cuicq; fa-

cile fides habenda uideretur: tum quæ mire simularet optima quæq; ea quæ à mente essent diuersissima, præ se ferret. Primum igitur nemo cum illo congressus est, qui non hac cum opinione discesserit, ut eum mortalium omnium optimum æquissimumq; præterea simplicissimũ minimeq; fallacem iudicaret. Accedebat ad hæc omnia grandium rerum conatus, quũ nihil pusillum cogitaret, sed ad maxima semper appelleret animum. Ita quũ esset adolescentulus adhuc, formosus admodum, ætate uidelicet tenera, ac uelut herbescẽte: id quod licebat partim è stipula conijcere, partim audire ex his qui ita prædicabant: passim sese prostituebat, ac mercede sui copiam faciebat ijs quibus lubitum fuisset. Inter multos autem incidit in hunc amans quidam præstigiator, ex eorum numero, qui magiam & diuinas incantationes profiteantur, tum illectamenta ad cõciliandam in amoribus gratiam, malorum immissiones in hostes, rationem eruendi repetendiq; thesauros, hæreditatum successiones. Hic ubi conspiceret bene ingeniatum puerum, atq; ad subministrandũ arti negocióq; suo propensissimũ: utpote qui non minus illius adamaret maleficium, quàm ipse huius formam: erudijt eum, semperq; deinceps pro adiutore ministróq; est usus. Ars is publicitus quidem & apud uulgus medicum scilicet agebat: didicerat autem apud Thoonis Aegyptij coniugem:

Carmen Homericum.

Pharmaca mixta, salubria multa, at noxia multa.

Quorum omniũ successor hic atq; hæres factus est. Porrò doctor ille & idem amator natione Tyanæus erat, uidelicet ex eorũ numero, qui cum egregio Apollonio Tyanæo illo erant uersati, totamq; illius tragœdiam pernouerant. Vides quanam è schola tibi hominem refero? Verum ubi iam barba plenus esset Alexander, Tyanæo illo uita defuncto, in egestatem redactus, deflorescente simul & forma, unde uictum parare licuisset, nihil postea paruum agitabat animo. Sed inito commercio cum Byzantino quopiam, annalium scriptore uiro, qui in certamina descendunt, omniũ ingenij longe sceleratissimi: Cocconas, opinor, erat cognomen: circũibant, impostoris ludificantes, ac pingues homines (sic enim illi peculiari magorũ lingua uulgus appellant) detondentes. In his Macetim mulierem opulentam nacti sunt, natu quidem grauiorem illam, quàm ut amoribus esset idonea, sed quæ studeret etiamdum amabilis haberi. Ab hac uictus copia suppeditabatur, atq; hanc ex Bithynia in Macedoniam usq; sunt consequuti. Nam illi patria erat Pelle, qui locus olim floruit sub Macedonicis regibus: nunc à paucis, ijsq; obscuris & humilibus incolitur. Ibi quũ conspicerent immani magnitudine dracones placidos admodum ac mansuetos, adeo ut à mulieribus alerentur, & cum pueris una cubarent, & calcantes ferrent, neq;

rent,neq; cõmouerentur, si quis stringeret premeretq; denicq; perinde atq; infantes lac è papilla fugerent (nam sunt id genus apud illos permulti,unde uerisimile est,olim illam de Olympiade fabulam increbuisse:quũ Alexandrũ conciperet,huiumodi dracone quopiã,opinor,cũ ea concumbente)mercati sunt ex his serpentibus unũ,qui esset pulcherrimus,obolis sanè paucis. Atq; (ut Thucydidis utar uerbis) hinc iam bellum oritur,nimirum quum duo facinorosissimi, & immani audacia prædíti,neq; non ad maleficia promptissimi,societatem inissent,facile perpenderũt hæc duo potissimũ in hominum uitã tyrannidem obtinere,spem ac metum,quorũ utroq; si quis ad cõmoditatem uteretur, fore ut is illico ditesceret.Siquidem utriq; iuxta,uel ei qui metu laboraret,uel huic qui spe teneretur, uidebant præscientiã quàm maxime necessariam esse,summéq; desiderari:atq; hac uia Delphos olim fuisse ditatos,factosq; celebres: præterea Delum,Clarum,& Branchydes:nimirum hominibus per hos, quos modo dixi tyrannos,nempe spem ac metum,ad sacra cõfluentibus,ac futura prædiscere cupientibus,atq; huius rei gratia hecatombas immolantibus, aureosque dedicantibus lateres. Hæc ubi inter sese uersassent,ultróq; ac citro agitassent, uisum est uaticiniũ oraculumq; constituere:etenim si res ea processisset,sperabant se protinus diuites atq; felices fore.Quod quidem negocium magnificentius etiam illis successit, quàm expectauerant initio, & uel spe melius euenit.Hinc iam spectare cœperunt:primũ quidem de loco,deinde quonam exordio, quáue ratione negocium oporteret auspicari. Coctonas igitur Chalcedonem opportunam esse censuit,utpote regionem à negociatoribus frequentatam,tum Thraciæ Bithyniæq; confinem,neq; longe dissitã ab Asia Galatiáq;,cunctis item imminentibus populis. At è diuerso patriam suam prætulit Alexander, nam aiebat, id quod erat res,ad huiusmodi negociorum auspicationem aggressionemque hominibus opus esse crassis & stolidis,& qui uiderentur admissuri: cuiusmodi Paphlagones affirmabat esse hos,qui supra Aboni murum incolunt, nempe superstitiosos pleroscq;, ac stolidos:qui si quis tantum apparuisset,tibicinem aut tympanistam,aut qui cymbala pulsaret secum adducens,cribro (quod aiunt) uaticinans, illico uehementer omnes in illum inhient,& perinde ut cœlitum quépiam intueantur.Hac de re quũ controuersiæ nonnihil inter illos fuisset, tandem uicit Alexander. Itaq; profecti Chalcedonẽ (nam id oppidum uisum est hac parte habere nõnihil ipsis cõducibile) in Apollinis tẽplo,quod est apud Chalcèdonios uetustissimũ,æreas defodiunt tabellulas,quæ dicerent,breui admodum Aesculapiũ unà cum patre Apolline in Pontum aduenturũ,atq; Aboni murum inhabitaturum.Eæ tabellæ quum

essent de industria repertæ,facile effecerunt ut hic rumor in omnẽ usq; Bithyniam ac Pontum dimanaret,multo autem ante alios in Aboni murum, nam hi protinus statuerant etiam templum erigere, iámq; fundamentis locum effoderant.Hic igitur in Chalcedone relictus,Coc conas ancipitia quædam,atq; ambigua obliquâq; conscripsit respon sa.Deinde paulo post diem obit,à uipera(sicut opinor) ictus:in huius demortui locum accersitur Alexander, ac succedit iam comatus,cæsariéq; promissa,tunicam indutus purpuream albo intermixtam, supra eam ueste amictus candida, falcem tenens exemplo Persei, à quo se maternum genus ducere prædicabat.At perditissimi illi Paphlagones quum ambos illius nossent parentes obscuros atque humiles, tamen oraculo credíderunt ita canenti:

Perslides genere gratus Phœbo iste uídetur:
Dius Alexander Podalíri sanguine cretus.

Hic nimirum Podalirius libidinosus erat,ac natura mulierosus, adeo ut à Tricca ad Paphlagoniã usq; in Alexandri matrẽ sit incitatus illectusq;.Repertum est aliud oraculum,quasi Sibyllæ prædiuinantis.

Ad maris Euxini littus,iuxtâq; Sinopam
Tirside erit quidam Ausonia de gente sacerdos:
Qui prima ex monade,tribus ac decadis,referabit
Quinq; alias monades,uicenáq; ter repetita
Quadrorbem numerum,referentem nomina diui.
Qui ueniet laturus opem mortalibus ægris.

Alexander itaq; multo post in patriam irruens cum eiusmodi Tragœdia,conspicuus erat ac splendidus:quũ interim furore afflatum sese nõ nunq; adsimulabat,ore spuma completo,id quod ille facile efficiebat, radiculæ (ea est herba lauandis lanis idonea)radice cõmanducata.Cæterum illis diuinum quíddam,ac formidandum spuma uidebatur.At multo antea sibi finxerant,parauerantq; è linteis confectum draconis caput,quod speciem quandam humanam præ se ferret, colorum fucis mire adsimulatũ,quodq; pilis equinis os & aperiret,& clauderet.Tum lingua (sicut est draconũ)bisulca atra prominebat,quæ & ipsa pilis agebatur.Porrò Pellæus ille draco iam pridem erat in promptu, domiq; alebatur:quũ res postularet,tum ab illis proferendus,unáq; in partem Tragœdiã acturus,uel princeps potius huius futurus fabulæ. Iam uero ut erat maturũ aggredi,tale quiddã machinatur, noctu ueniens ad templi fundamenta nuper effossa. Constiterat autem in eis aqua,siue quod ea indidẽ alicunde destillauerat, siue quod ex æthere deciderat: illic ouũ antea excauatum deponit,quod quidem intus occultabat fœtum recens æditum serpentis.Id quũ alte demersisset in abditas luti cauernas,rursum illinc discessit. At mane quũ in forũ prosiliisset nudus, nisi quod

nisi q̃d subligari circũ pudẽda tectus erat,eóq; inaurato:tũ falcẽ illam gestans,simulq; solutã uentilans,iactansq; comã,eorũ more,qui à Cybele deorũ matre afflati cõueniunt,ac numine rapiũtur:cõscensa sublimi quapiã ara concionabatur, ciuitatẽ eam beatã esse prædicans, quæ mox deũ propalàm esset ostensura mortalibus. Porrò qui aderant(nã cõcurrerat uniuersa ꝓpe ciuitas) unà cũ mulieribus, senibus,pueris,admirabantur,ac uota faciẽtes adorabant. At ille uoces quasdam sonans incognitas,nihilq; significantes,cuiusmodi sint Hebræorũ aut Phœnicum,attonitos eos reddebat,ut qui nihil intelligerẽt eorũ quæ dicebat, nisi solũ hoc,quod Apollinẽ Aesculapiumq; passim admiscebat. Sub hæc ad institutũ templum curriculo fugiebat,accedensq; ad fossam ac fontẽ illũ quẽ iã ante cõditũ oraculũ præstruxerãt:ingressus aquã,magna uoce canebat laudes Apollinis & Aesculapij, inuitabatq; deũ,uti dexter ac felix in ciuitatẽ adueniret. Deinde phialam postulat,eã porrectam à quopiã,facile immergens,unà cũ aqua lutóq; haurit, & ouum illud in quo nimirũ ille deũ concluserat,cãdida cera, cerussaq; cõmissuram operculi ferruminãs. Id quũ manu cepisset,affirmabat iam Aesculapiũ tenere sese. Interim illi stupidis defixisq; intuebantur oculis,expectantes quidnã esset futurũ postea, iamdudũ admirãtes ouũ in aqua repertũ. Porrò posteaq; fregisset idẽ caua uola cõpressum,ac serpentis illius fœtũ exclusum excepisset,simulatq; mouentẽ hunc sese conspicerent ij qui aderant,ac digitis circũuoluentẽ, protinus uocem tollebant, deumq; consalutabant,ac ciuitatẽ eam fortunatã esse dictitabant:singulisq; affatim uotis implebãtur,thesauros,opes,prosperã ualetudinẽ, aliáq; id genus ab illo flagitãtes bona. Hic ille rursus cursim sese domũ abripuit,unà secũ asportans,modo æditũ in lucem Aesculapiũ,bis natum scilicet,cũ semel duntaxat nascantur homines:atq; eum nõ ex Coronide per Iouẽ,id est, cornicula (nam id matris nomen fertur)neq; ex cornice,uerũ ex ansere progenitũ. Populus autẽ uniuersus consequebatur,omnes afflati deo,atq; ob spes animo cõceptas furore correpti. Interdiu igit̃ se domi cõtinebat,sperans fore,id quod & euenit, ut fama ꝓmoti,Paphlagonũ pars maxima cõcurreret. Ergo posteaq; urbs ita esset hominibus referta, ut iam redundaret:sed quibus, omnibus iam antea tum cerebrũ,tum cor esset exemptum,nec ulla parte similes uiderentur uiris pane uictitantibus(ut loquũtur poẽtæ)uerũ qui præter solam figurã nihil à pecudibus distarent:in ædiculis quibusdam, in lecto residens,eo uidelicet ornatu,qui uatem mire deceret:imponit in sinum Pellæum illum Aesculapiũ, qui quidem erat,ut dictum est, maximus pulcherrimusq;. Hunc totũ ubi collo circũdedisset, caudã foras prominere sinens. Erat autẽ ingens adeo,ut cum per pectus illius effunderetur,pars tamen humi traheretur. Solum autem caput sub alis abdi-

tum teneret,illo nimirum omnia ferente:linteaceum illud draconis caput,altera in amictus parte contextũ ostendebat, quod prorsum illius esse draconis uideretur,qui à pectore prominebat scilicet.Iam uero mihi cogita,ædiculas non admodum illustres,nec ad satietatem usq; luminis capaces:tum turbam hominũ conuenarum, quicq; alijs ex locis alij cõcurrissent,tumultuantes:ac prius etiam quàm ista uiderent,mente attoniti stupefactiq;,deniq; spebus illis sublati: quibus ingressis,nõ mirum si res uisa est portentosa,uidelicet ex modo pusillo serpente,intra pauculos dies tam immanem extitisse draconem humana specie, atq; eum insuper mãsuetum tractabilemq;. Protinus autẽ ad exitum properabant, & priusq; exactius essent contemplati, protrudebantur ab ijs,qui noui semper ingrediebãtur. Potrò è regione ianuæ,per quã intrabatur,patefactũ erat & aliud ostiũ,per quod exiretur.Cuiusmodi quiddam & Macedonas in Babylone fecisse ferunt in Alexandri morbo,quũ ille grauiter iam ægrotaret:illi obsessa regia desiderarent eum intueri,ac supremum alloqui.Atq; hoc spectaculi scelestus hic nõ semel,uerum crebrius exhibuisse dicitur, maxime si qui diuites aduenissent recentiores ac nouitij.Hoc loco,mi chariſsime Celse,si uera fateri uolumus,æquũ est ueniam dare Paphlagonibus ac Ponticis illis hominibus,nimirum crassis & ineruditis,si delusi sunt,quũ draconem manu contingerent:nam hoc quoque largiebatur Alexander ijs qui uoluissent:quumq; conspicerent in dubia maligna q; luce imitatum illud illius caput,os scilicet nunc aperiens,nũc claudens, tanto artificio,ut res planè Democritum aliquem requireret,aut certe Epicurum Methrodorumue,aut alium huiusmodi quempiam,qui prorsus adamantinã aduersus hæc, atq; id genus alia, mentem obtineret:qui nullo pacto crederet,quicq; uel quid esset rei coniecturis colligeret:uel si uiam etiam modumq; peruestigare non quiret, illud tamen antea sibi persuasum haberet,fugere quidem sese modum rationemq; præstigiaturæ,cæterum quicquid esset negocij, prorsus simulatum fucatumq; esse, ac ne fieri quidem ulla ratione potuisse. Paucis ergo diebus confluxit tum Bithynia,tum Galatia Thraciaq;:eorum qui renunciabant,unoquoq; ut fit,affirmante sese primum nascentem uidisse deum, deinde paulo post eundem cõtrectasse iam grandem admodũ factum, uultu etiam homini adsimilem.Accedebãt ad hæc picturæ, imagines, signa deum referentia, partim ex ære, partim argento efficta. Postremo nomen etiam inditum:nam Glycon appellatus est,idq; iussu diuino carmine prodito.Ad hunc enim modum eloquutus est Alexander:

Sum ille Glycon:hominum lux,ex Ioue tertia proles.

Ast ubi iam maturũ esset, ut cuius rei gratia hactenus omnia fuerant excogitata,

excogitatã, responsa quoq; redderet ijs, qui requisiuissent: diuinaretq;, accepta uidelicet ansa ab Antilocho, qui apud Cilices uatem egerat. Nam is quoq; post patris Amphirai interitum, posteáq; quàm ille inter Thebanos extare desijsset: patria pulsus, atq; in Ciliciã profectus, haud incommode rem gessit, quum Cilicibus euentura prædiceret, bi nos obolos pro singulis accipiens responsis. Ab hoc, inquam, arrepta ansa, prædicit Alexander omnibus qui aduenerant, fore ut deus ipse responsa daret, eiusq; rei diem quendã certum præloquutus est. Iussit autem ut quisq; quod uideretur, quodq; maxime discere uellet, id in libello conscriberet, eumq; funiculis obuinctum, cera argillaue, aut simili re quapiã obsignaret. Se uero receptis libellis, cum subisset adyta (iam enim oraculum erat extructum, & apparatæ cortinæ) ordine per præconem ac theologum euocaturum eos qui tradidissent: dehinc ubi de singulis esset edoctus à deo, libellos redditurum, ita ut traditi fuerant obsignatos: subscripto illis responso pro cuiusq; argumento, deo nimirum respondente, quaetunq; de re quis esset sciscitatus. Erat autem hic dolus: homini cuiusmodi tu es, aut etiam (si modo dictu non est inuidiosum) cuiusmodi sum ego, manifestarius, neq; difficilis animaduertu, uerum idiotis, quibusq; nates essent mucco obsitæ, minimèq; emunctæ, prodigiosum, planèq; incredibile quiddã esse uidebatur. Etenim quum uarias esset cõmentus artes, quibus signa tollerẽtur: quæ quisq; sciscitabat, ea legebat: atq; ita quæ uiderẽtur, ad interrogata respondebat. Deinde rursum obuincta obsignataq; reddebat, non sine summa admiratione eorum qui recipiebant. Plerisq; enim hic inter illos erat sermo, qui tandem scire potuisset ille, quæ ego illi tradidi, sanè quàm diligenter obsignata signis, imitatu neutiq; facilibus, nisi reuera deus esset quispiã, cui cuncta sint perspicua. Sed iam quibus artibus id effecerit forsitan à me requires. Accipe, quo uidelicet impostoras eiusmodi deprehendere queas, & coarguere. Prima ratio sic habebat. Celse charissime. Eam ceræ partem quæ post signum hærebat, acu candefacta liquefactam diducebat: tum ubi legisset rursum calefactam acu ceram, eam quæ à tergo funiculi fuerat, signo eodem manẽre, facile coagmentabat. Porrò secundus modus constat per id, quod collyrium uocant. Id conficitur ex pice Beryttia, bitumine, ac lapide perspicuo trito, tum cera & masticha. Confectum igitur ex his omnibus collyriũ igni calfactum, inuncto prius suillo pingui signo applicabat, ac symboli figurã excipiebat. Id simularq; siccũ esset factũ (siccabat autẽ protinus) cõmode resignabat libellos: quibus præfectis, impositæ ceræ denuo, pinde atq; è lapide signũ idẽ imprimebat, ad archetypi similitudinẽ mire effictũ. Post hæc iã tertiã accipe rõnẽ: Calce in gluten iniecta, quo nul

go codicillos adglutinant, atq; ex his confecta ceu cera, mollem adhuc eam admouebat signo, statimq; detrahebat. Nam illico siccescit, adeo ut cornu uel ferro potius reddatur solidius. Hac ad imprimendum signū uti cōsueuerat. Sunt præter has & aliæ cōplures uiæ, quas omnes referre nihil necesse est, ne parum uidear modestus, maxime quū tu in his quos de magorū artibus cōscripsisti cōmētarijs tum pulcherrimis, tum utilissimis, quiq; modestos reddere queant, si quis in eis euoluendis uersetur, abunde multa retuleris, longeq; his nostris copiosiora. Reddebat igitur oracula, diuinabatq;, non mediocri ad eam rem utens ingenio, arteq; negociū reddens probabiliùs, dum alijs obliqua quædam & ambigua respondet ad ea quæ proponebantur, alijs penitus obscura. Quandoquidem & hoc oraculis ille cōuenire iudicabat. Alios item deterrebat, alios adhortabatur, prout sibi magis conducere coniectasset. Nonnullis remedia morborum, uitæque rationes præscribebat, cum sciret (ut initio diximus) cōplura, atq; efficacia pharmaca. Maiorem autem in modum Cyprides ab illo probabantur, id est, nomen confictū emplastri, ursino adipe cōfecti. Porro spes, returnq; successus & incrementa, neq; non hæreditatū obuentus semper in aliud tempus reijciebat, illud interim addens: Cuncta hæc tum obtinget, cū ipse uolam, quū q; uates meus Alexāder me rogabit, próq; uobis nota faciet. Deniq; merces erat unicuiq; responso præstituta, nempe drachma cū obolis duobus. Ne uero pusillum aut exiguū fuisse putes amice hunc quæstum, quū in annos singulos ad septuaginta aut octoginta milia redierit, usq; adeo auidis & insatiabilibus hominibus, ut singuli supra decē aut quindecim rogationes traderent. Cæterum ea quæ capiebat, non ipse solus solitus est insumere, nec rursum ad congerendas opes in thesaurū reponere, uerum complureis & alios habebat secū adiutores & ministros, tum qui scitarentur, qui uersibus oracula conderent, qui responsa seruarent, qui subscriberent, qui obsignarent, qui interpretarentur, quorum unicuiq; pro dignitate meritóq; lucrum impartiebat. Ad hæc nonnullos foras & in longinquas regiones emandarat, qui famam eius oraculi inter gentes dissiparent, affirmantes ipsum etiam præditere reuocaréq; fugitiuos, fures ac prædones indicare, thesauros effodiendos ostendere, morbo laborantibus mederi, quosdam etiam uita defunctos in uitam reuocare. Concurrebatur igitur undiquaq;, magnóq; tumultu concitati adproperabant, sacrificabatur, dicabantur munera, eáq; duplicata, prophetæ discipulóq; dei. Iam enim & tale quoddam oraculum exierat.

Muneribus decorare meum uatem atq; ministrum
Præcipio: nec opum mihi cura, at maxima uatis.

Verum

Verum ubi iam plericq; quibus mentis plusculum inerat, nō secus atq; ex alta ebrietate resipiscentes, conspirassent in illum, præsertim ex his, qui studebant Epicuro: iamq; paulatim in oppidis deprehenderetur uniuersa præstigiatura, fictusq; fabulæ apparatus: horrendum quiddam in eos ædidit, dicens impijs & Christianis impleri Pontum, qui non uererentur in sese turpissime maledicere: eos iussit lapidibus pellerent, si modo uellent propiciū habere deum. Porrò super Epicuro huiusmodi quoddā oraculum prodidit: Scisciranti cuipiam, quid ageret apud inferos Epicurus: plumbeis, inquit, cōpedibus uinctus in cœno desidet. Et adhuc miraris, si magnopere creuit eius celebritas oraculi, cum uideas interrogationes adeuntium, quàm sint prudētes, quamq; eruditæ? Modis autem omnibus bellum erat illi cum Epicuro sæuum & irrecōciliabile, idq; iure optimo. Nam cū quo tandē iustius bellum gerat, homo præstigiator, & monstris ac portentis amicus, ueris inimicissimus, quàm cum Epicuro, uiro uidelicet qui rerum naturam perspectam haberet, quiq; unus quid in his esset uerum uideret? Nam Platoni, Chrysippo, aut Pythagoræ erat amicus, atq; alta cum illis pax intercedebat. At intractabilis ille Epicurus (sic enim appellat eū) erat illi plurimū inuisus, atq; id merito: quippe qui hæc omnia ridicula ac ludicra duceret. Quā ob causam inter urbes Ponticas Amastrim in primis habebat exosam, eo quod acceperat eos, qui cum Lepido erant, alios item horum consimiles quàm plurimos ea in ciuitate uersari. Neque unquam Amastrino cuiquam oraculum reddidit, quin ubi conaretur etiam fratri proconsulis respondere, deridicule profecto discessit, cum nec ipse quemadmodum idoneum oraculum fingeret inueniret, nec haberet qui sibi in tempore posset componere. Nam cum ille de stomachi dolore cōquirenti, uellet præscribere, uti suillū pedem cū malua præparatum ederet, hunc in modum ait:

Maluaca porcorum sacra cunimato Sipydno.

Crebrius autem (uti iam diximus) draconem ostendebat ijs qui uellent, haud totum tamen, sed caudam potissimum, ac reliquum corpus oculis exponēs: caput uero ne uideri posset, abditum in sinu seruabat. Verum quo magis etiam redderet attonitam multitudinem, pollicitus est sese exhibiturum ipsum deum loquentem, citraq; interpretem ædentem oracula. Deinde non magno negocio, gruum arteriis contextis, ac per lineum illud draconis caput, quod erat arte adfimulatū, insertis, alio quopiā per has foris insonāte, respōsitabat ad ea quæ pponebātur, uoce nimirū per linteaceū illum Aesculapiū ad aures promanante. Huiusmodi respōsa αὐτόφωνα dicebātur, id est, ipsius uoce reddita: neq; quibuslibet, neq; passim dabantur, uerū splendidis modo atq;

opulentis

opulentis,& qui grandia largirentur.Itaq; quod Seueriano redditum est super expeditione in Armeniam suscipienda, ex Autophonis erat. Adhortans enim illum ad incursum eius regionis,sic ait:

Parthis Armenijsq; citato Marte subactis,
Romam urbem repetes,& claras Tybridis undas:
Vertice serta gerens radijs distincta serenis.

Deinde posteaq; uecors ille Gallus persuasus,incursionem fecisset,euenisseq; ut unà cum exercitu cæderetur ab Othryade, hoc oraculum è monumentis sustulit,atq; aliud in eius locum substituit huiusmodi:

Agmen in Armenios ne duc:neq; enim expedit isthuc:
Ne tibi fœmineis uir amictus uestibus,arcu
Exitium immittat,uitáq; ac lumine priuet.

Siquidē & hoc interim callidissime fuerat cōmentus, ut posterioribus substitutitijsq; responsis, ea quæ perperam maleq; euenissent, sarciret ac mederetur.Sæpius enim ægrotis priusq; morerentur,prædixerat fore ut reualescerent:quibus morientibus,alterum oraculum illico paratum erat,quod superiori diuersa caneret.

Posthac desine opem morbo petere exitiali:
Mors etenim manifesta,nec euitare licebit.

Porrò cū nō ignoraret,qui in Claro ac Didymis.Mallóq; responsa ferebāt,ipsos quoq; huiusmodi quadā arte diuinādi celebres haberi,eos sibi reddebat amicos,pleroscq; consultorū ad illos remittens,his uerbis:

Nunc Claron ito,mei uocem patris auditurus. Et rursus.
Branchydica accedas adyta,atq; oracula quæras. Et iterum.
Mallon abi,Amphilochi quærens oracula uatis.

Et hactenus quidem de ijs,quæ intra patriæ fines usq; ad Ioniam,Ciliciam,Paphlagoniam,Galatiamq; designauit. Vt uero & in Italiā oraculi fama permanauit,inq; ipsam Romanorū urbē:iam nemo omniū erat,qui non alius aliū abteuertere studeret,dū hi quidē eò proficiscuntur ipsi,illi uero mittunt,potissimū hi,qui potētia atq; autoritate plurimū in republica pollebant:quibus princeps quasiq; signifer extitit Rutilianus,uir aliâs quidē honestus ac probus,tum cōpluribus in prælijs Romanorū spectatæ uirtutis:sed qui in his quæ ad deos pertinent,parum sanè saperet,ut cui prodigiosa quædā de illis essent persuasa,adeo ut sicubi lapidē uel inunctū,uel coronatū cōspexisset,cōtinuo procideret atq; adoraret, ac diutius aduolutus uota faceret,bonáq; ac læta ab illo postularet. Hic igitur simulatq; de oraculo inaudisset,parū aberat quin omisso quē tenebat exercitu,in Aboni murum auolaret:alios aūt post alios eò legabat. Porrò q mittebātur,seruuli nimirū idiotæ quidā facile decepti, domū redibant,referentes partim quæ uiderant,partim

tanq;

tanq̃ uidiſſent,audiſſentq́:permulta inſuper accumulantes illis, quo domino fierent commendatiores. Inflammarunt itaq; ſenem infelicẽ, & in uehementem inſaniam impulerunt. At ille paſſim ad omnes amicos accedens,quos habebat,quum plurimos,tum potentiſſimos,enarrabat,partim ea,quæ ab iſs quos miſerat,accepiſſet,partim quæ ex ſeſe effinxerat.Et ad eum modum iſte compleuit urbem,cõcitauitq́,quàm plurimis item aulicis expauefactis,atq; attonitis.Qui protinus & ipſi cupiditate flagrare cœperunt,ut aliquid ſuis de rebus audirent. Porrõ Alexander aduenientes comiter excipiebat,ac xeniis, aliisq́ magnificis donatos muneribus,ad eum remittebat:hoc agens,uti non ſolum renunciarent oracula,uerumetiam dei laudes canerẽt,ac portentoſa quædam de oraculo,déq; ipſo mentirentur.Excogitarat autem terſceleſtus ille quiddam neutiq̃ inſcitum,& ingenioſius,q̃ ut in uulgarem competat latronem.Etenim reſignatis libellis, ac perlectis: ſiquid offendiſſet in iis,quæ proponebantur, ita ſcriptum: ut cum periculo ac diſcrimine eius qui ſcripſiſſet,ſi proferretur,coniunctum uideretur,apud ſe detinebat:neq; remittebat,quo uidelicet obnoxios, ac propemodum ſeruos ob metum ſibi redderet eos,qui miſerant:quum in mentẽ illis ueniret, cuiuſmodi de rebus conſuluiſſent.Intelligebat autem eſſe conſentaneum:ut qui opibus ac potẽtia præcellerẽt,eiuſmodi rogatiões eſſent propoſituri.Ab his munera q̃plurima ferebat:quippe qui non ignorarẽt ſeſe intra caſſes eius teneri.Libet autem aliquot ex his reſponſis cõmemorare,quæ Rutiliano reddidit.Huic ſciſcitanti de filio,ex uxore priore ſuſcepto,qui iã per ætatẽ maturus eſſet,ut diſciplinis eruditetur, quẽ inſtituendo in literis illi præceptorem deberet adhibere, ita reſpondit:

Pythagoram,egregiéq; canentem prælia uatem.

Deinde paucis poſt diebus,extincto puero,ipſe quidem hærebat: nec habebat quod incuſantibus reſpõderet:oraculo uidelicet ita re præſenti confutato. At Rutilianus optimus ultro occupans, defendebat oraculum,affirmãs hoc ipſum portendiſſe deum,qui iuſſiſſet neminẽ quidem è uiuis adoleſcentulo deligi præceptorẽ,ſed Pythagoram potius, atq; Homerum iam olim defunctos, quibus cum credibile eſſet eum iam uerſari. Quid igitur Alexandro uitio uertere conuenit,ſi iſtiuſmodi homunculos dignos habuit,quibus fucum faceret? Rurſum eidem percontanti,cuius tandem animam eſſet ſortitus,ait:

Principio fueras Pelides,deinde Menander,
Deinde is qui nunc es:poſt fax phœbæa futurus.
Octoginta æuum ac centum produxeris annos.

At hic ſeptuagenarius interiit,in inſaniam uerſus, haud expectato dei promiſſo,quanquàm hoc quoq; oraculum ex Autophonis erat. Eidẽ

itẽ de uxore ducẽda percõtanti,aliquãdo incõiectanter acpalã reſpõdit:

Ducito Alexandro natam,Lunáq; puellam.

Siquidẽ iam olim rumorem diſſiparat,filiam quam habebat, è Luna ſibi ſuſceptam fuiſſe. Lunam enim ipſius amore captam fuiſſe, quum dormientem aliquãdo conſpexiſſet:nam id illi familiare eſt, formoſos ſomno ſopitos adamare. Porrò Rutilianus uir prudentiſſimus, nihil cunctatus,protinus accerſit uirginem,nuptias cõficit,ſponſus iam ſexagenarius,concumbitq;,ſocrum ſuam Lunam ſolidis Hecatombis placans,iamq; ſibi unus è cœlitum numero uidebatur. At hic ubi ſemel in Italia rem eſſet aggreſſus,maiora indies ad hæc excogitabat, & in oẽs Romanæ ditionis partes,qui perferrent oracula,dimittebat,prædicens ciuitatibus cauendam eſſe peſtilẽtiam,incendia,terræmotus,ſe certa remedia traditurum,ne quid horum accideret,pollicebatur. Iamq; quum peſtilentia increbuiſſet,unũ quoddam tale oraculum,Autophonon & hoc,quoquò uerſum gentiũ prodiderat,unico carmine comprehẽſum:

Intonſus nubem peſtis depellit Apollo.

Atq; hunc uerſiculum uidere erat paſſim pro foribus deſcriptum,tanq; aduerſus peſtilentiam remedio futurum. Verum ea res plurimis diuerſam in partem euenit,propterea quod fortuna quadã ſic accidit, ut eæ domus,quibus hic uerſus eſſet inſcriptus,potiſſimũ deſolarẽtur. Neq; uero me putes illud dicere carmen in cauſa fuiſſe,ut interierint, uerum caſu quodam ad hunc modũ accidit. Et haud ſcio,an pleriq; fræti carmine,negligentius ac ſecurius uixerint,nihil aduerſum peſtẽ præter oraculũ adhibentes:perinde quaſi ſyllabas pro ſeſe pugnãtes haberẽt,& intonſum Apollinem telis peſtem propellentem. Exploratores item ex ſua cõiuratione quàplurimos Romæ cõſtituerat, qui ſibi qua quiſq; mente eſſet,indicarent,ac priuſq; oraculũ adiiſſent,illi ſignificarẽt quidnam eſſent percontaturi,quidq; potiſſimum cupere uiderentur, ut etiã priuſq; adueniſſent ij,qui mittebantur,ille iam ad reſpondendum inſtructus ac paratus eſſet. Atq; hæc quidem & id genus alia machinamenta,aduerſus Italicas urbes præſtruxerat. Nam præter hæc & initiationes quaſdam inſtituerat, tædarũ per manus tradendarum geſtationes,& ſacrorum ceremonias quæ quidem tribus ex ordine diebus continenter peragerentur. Ac primo quidem die Athenienſium ritu,denũciatio fiebat huiuſmodi. Siquis impius,aut Chriſtianus,aut Epicureus myſteriorum explorator acceſſit,diſcedat. Cæterum qui deo credũt & parent,ſacris feliciter initientur. Sub hæc protinus exigebantur,illo præeunte,dicentéq;:Foras pellantur Chriſtiani. Tum multitudo acclamabat uniuerſa:Foras pellantur Epicurei. Debinc Latonæ puerperium agebatur,& Apollinis natiuitas:tum Coronidis nuptiæ: demum naſcebatur

fœbatur Aeſculapius. Altero die Glycon in lucem emergens, deiq; exortus. Porrò tertio die Podalirij cum Alexandri matre coniugium agebatur. Dadis autē is appellabatur, idq; ex re, ꝓpterea quod faces quædam incenderētur. Poſtremo loco, Lunæ atque Alexandri amores, ac naſcens Rutiliani coniunx. At uero facem geſtabat, myſteriaq; agebat Endymion Alexander: quum hic dormiens ſcilicet, in medio iaceret: deſcenderet autē in eum è tecti faſtigio, tanquàm è cœlo, Lunæ uicem agens, Rutilia quædam formoſiſſima cuiuſdā è Cæſareæ domus præfectis uxor, quæ nimirum ut amabat Alexandrum, ita uiciſſim ab illo amabatur. Ac ſub oculis perditiſſimi illius mariti, tum complexus agebantur, tum oſcula, idq; in propatulo. Quod niſi complures fuiſſent tædæ, forſan nonnihil & eorum quæ fieri ſolent infra ſinum, patratū fuiſſet. Paulopoſt rurſum introibat ornatu ſacerdotali, multo cum ſilētio. Deinde ipſe primus clara uoce ſonabat, Io Glycon. Aſſonabāt autem bene canori ſcilicet homines: nempe præcones aliquot Paphlagones, Carbatinis calceati, plurimum alij nidorem ructantes, Io Alexander. Porrò ſubinde inter geſtandas tædas, atque inter myſticas ſaltationes, femur illius de induſtria renudatū, aureum apparebat: pelle, ſicuti conij cio, inaurata circūdata, atq; hac ad tædarum fulgorem relucente. Itaq; quum duobus quibuſdam ex eorum numero, qui deſipienter ſapientes ſunt, ſuper hac reuerteretur altercatio: utrum Pythagoræ animum poſſideret, uidelicet ob femur aureum, an alium Pythagorico illi conſimilem, atque eam controuerſiam ad ipſum Alexandrum retuliſſent: rex Glycon oraculo litem diſſoluit.

Pythagoræ mens emoriturq;, oriturq; uiciſſim.
Vatis at eſt animus diuina è mente profectus.
Hunc pater auxilio miſit iuſtiſq; pijſq;.

Et rurſum:

Tecta Iouis repetet, iouiali fulmine tactus.

Porrò quum cunctis alijs denunciaret, ut à puerili concubitu temperarent, ceu re nefaria, uir ille egregius tale quiddam ipſe machinatus eſt. Ponticis ac Paphlagonicis urbibus imperabat, ut tertio quoque anno mitterent, qui deo dicarentur, eiusq; laudes apud ſe canerent. Verùm mitti oportere ſpectatos ac ſelectos: nempe nobiliſſimos & ætate florētiſſimos, formáque eximios. Quibus incluſis perinde ut emptitijs ad libidinem abutebatur, modis omnibus in eos debacchari ſolitus. Præterea legem quoque condiderat, ne quis maior annis octodecim ſeſe admoto ore complecteretur, néue cum baſio ſalutaret, ſed reliquis manum duntaxat oſculandam porrigens, ſolis ætate, formáque floridis oſculum dabat, atque his quidem indè cognomen inditum, ut intra

oſculum conſtituti dicerentur. Atque in hunc modū uecordibus ac ſtupidis mortalibus illudens, perpetuo deinceps ſuas nequitias exercebat, paſſim cōſtuprans uxores, paſſim liberis abutens. Quin magnū quiddam, cunctisq; optandum uidebatur, ſi cuius uxorē uel aſpexiſſet modo. Porrò ſi quam etiam oſculo dignatus fuiſſet, nemo nō ita putabat, quicquid eſſet bonarum felicitatum, id omne ſemel in eam domū influxurum eſſe. Erant inſuper, atq; eæ non paucæ, quæ ſeſe etiam peperiſſe ex illo iactarent, quod ita eſſe mariti ſuo teſtimonio confirmabant. Lubet etiam dialogū tibi referre Glyconis & ſacerdotis, uiri cuiuſdā Tyanei, cuius ſapientiam ex his quæ ſciſcitatus eſt, coniicias licebit. Hunc equidem legi pridem aureis deſcriptum literis, Tῆ, in ipſis ſacerdotis ædibus. Dic, inquit, mihi rex Glycon, quiſnam es? Sum ille, inquit, minor Aeſculapius. Num alius ab illo priore? quid ais? Haud fas eſt ut iſthuc audias. Sed quot annos apud nos permanſurus, atq; oracula redditurus? Ad milleſimum tertium. Deinde quò demigraturus? Ad Bactra, atque in eas regiones. Siquidem oportet & barbaros meos uictu, meáque præſentia frui. At reliquæ ſortes, puta quæ in Dyndimis, Claro, Delphiſq; redduntur: utrum ab autore proficiſcuntur Apolline, an uana ſunt quæ illic æduntur oracula? Ne iſthuc quidem ſcire quæſieris, nefas enim. Cæterum ego quis tandem poſt hāc uitam futurus ſum? Camelus, deinde equus, poſt hæc uir ſapiens, ac uates non inferior Alexādro. Atque hæc Glycon is cum ſacerdote cōfabulatio. Poſtremo & oraculū carmine cōphēſū ædidit, quū nō ignoraret illū amicū eſſe Lepido.

Ne pare Lepido, namq; huic fatum inſtat acerbū.

MIrium etenim in modū metuebat Epicurum: ſicuti ſuperius dictū eſt: nimirum ut artificem ac ſapientem, ſuis artibus atque impoſturis hoſtem, atq; infenſum. Itaq; ex Epicureis quēpiam, auſum ſe multis præſentibus coarguere, propemodum in uitæ diſcrimen adduxerat. Siquidem adiens ille, clara uoce dicebat: Tu nimirum Alexander Paphlagoni cuidam perſuaſiſti, ut ſeruos ſuos apud Galatiæ præfectū capitis accerſeret, hoc nomine, quaſi filium ipſius, qui tum Alexandriæ erudiebatur, occidiſſent. Atqui uiuit adoleſcens, incolumiſq; reuerſus eſt, famulis iam ſupplicio affectis, qui tua opera beſtijs traditi perierunt. Porrò huiuſmodi quiddam acciderat. Cum adoleſcentulus amne aduerſo in Aegyptum nauigaſſet, ad inundationem uſq; ſubducto nauigio: perſuaſus eſt, uti pariter in Indiam nauigaret. Itaque dū diutius abeſſet, infelices illi eius miniſtri rati uidelicet, uel in Nilo nauigantem interiſſe puerum, uel à latronibus (nam id temporis permulti graſſabantur) eſſe peremptum, reuerſi ſunt domum, renunciantes quemadmodum è medio ſublatus eſſet. Deinde proditum oraculum, damnati ſerui, ſub hæc

adeſt

adeſt adoleſcentulus,peregrinationem ſuam enarrans.Atq; hæc qui-dem ille.At Alexander indignatione percitus,quod coargueretur,neq; ferens opprobratam ſibi ueritatem,iuſſit ut qui adeſſent,lapidibus illũ impeterent:alioqui & ipſos impios futuros, atq; Epicureos appellan-dos.Dumq; illi iam lapidare cœpiſſent:Demoſtratus quidam, qui di-uerſabatur in Ponto:primus hominem ſui corporis obtegens obiectu, morti ſubduxit:alioqui lapidibus obruẽdum,idq; iure optimo. Quid enim oportebat unum inter tam multos inſanientes,ſanum eſſe,atq; à Paphlagonum ſtultitia malum ſibi accerſere?Et illi quidem hæc euene runt.Cæterum aduocatis iuxta oraculorum ordinem ijs qui propoſue-rant(nam id fiebat pridie quàm reſponſa redderet)præcone rogante, an uaticinari uellet,ſi cuipiam illorum ex adyto reſpondiſſet,in malam rem,huiuſmodi hominem neq; tecto quiſquàm excipiebat, neq; igni, aquâue impertiebat:uerum erat illi ſolum aliud alio uertendum, tanq; impio,deorumq; contẽptori,atq; Epicureo:quod quidẽ ꝓbrũ omniũ erat grauiſſimũ.Quapropter unum etiam Alexander quiddã deſigna uit deridiculum.Nactus peculiares Epicuri ſententias, librum(uti ſcis) longe pulcherrimum,ſummatim Epicureæ diſciplinæ decreta comple-ctentem,medium in forum deportauit,ac lignis ficulnis exuſſit, tanq; autorem ipſum exureret ſcilicet,accinerem abiecit in mare,oraculo inſu per eam in rem ædito.

Edico decreta ſenis comburere cæci.

Haud perpendit ſceleſtus ille,quantum adferret is liber cõmoditatum ijs,qui in eo legendo uerſarentur,quantamq; illis quietem, tranquillita tem,libertatemq; pateret:propterea quod à pauoribus,ſpectris,ac pro digijs liberaret:tum ſpes inanes,atq; immodicas adimeret cupiditates, mentem ſanam ac ueritatem inſereret,planéq; luſtraret animũ, non tæ da quidem,aut ſquilla,aut alijs id genus nugamentis:imò recta ratio-ne,uero,ac libertate.Accipe iam facinus quoddam hominis ſceleratiſſi-mi,unum inter omnia multo impudentiſſimum.Quum iam non me-diocrem in Regiam aditũ ſibi patefeciſſet,inq; aulam Cæſaream:præ-ſertim Rutiliano rem adiuuante,atque approbante,quum bellũ quod in Germania gerebatur,maxime flagraret diuo Marco cum Marco-mannis & Quadis conſerente,oraculum diuulgauit, quo iubebat, uti duos leones uiuos in Danubium immitterent,uarijs cum odoribus, ac ſacris quibuſdam magnificis,ſed præſtat ipſum oraculum referre.

Gurgitibus fluuij turgentis ab imbribus Iſtri
Immiſiſſe duos Cybeles edico miniſtros:
Monte feras alitas:tum quantum alit Indicus aër

Florum atq; herbarum bene olentum, moxq; futura est
Et uictoria, pax & amabilis, & decus ingens.

Ea quum essent facta, quemadmodum ille præscripserat: leones quidē simulatq; in hostium regionem enatassent: Barbari canes quospiam, aut lupos esse rati, fustibus arcebant. At nostrorum protinus maxima strages est consequuta, uiginti fermè milibus simul extinctis. His consimilia sunt ea, quæ in Aquileia contigerunt, quum parum abfuerat, ut urbs ea caperetur. At is ad id quod euenerat Delphicam illam responsionem: Crœsóq; redditum oraculum, frigide fanè detorsit: dicens deū quidem prædixisse uictoriam: haud tamen explicuisse, utrum Rhomanorum esset futura; an hostium. Tandem quū plurimi iam eam in urbem confluerent: premereturq; Abonotichitarum ciuitas multitudine eorum, qui ad oraculū uentitabāt, neq; sufficeret suppeditandis ijs, quæ ad uictum erant necessaria, cōminiscitur oraculorum genus quoddam id, quod nocturnū appellabatur. Siquidem libellis indormire solet: ut aiebat ipse: deinde tanq; in somnio diuinitus edoctus respondebat: nihil certi tamen. Sed ambigue plerumq;, ac confusim: maxime si quos libellos conspexisset, accuratius atq; obseruantius obsignatos. Ad hūc enim modum citra ullum resignandi periculū, quicquid temere in mentem uenisset, subscribebat: ratus & hoc ipsum oraculis conuenire. Erant autem ad id nonnulli constituti interpretes, qui mercedē non exiguam colligebant ab ijs, qui eiusmodi capiebant oracula, ut enarrarent ea, explicarentq;, atq; hoc illorum munus conductitium erat. Nam interpretum quisque talentum Atticum pendebat Alexandro. Nonunq;, quū neque consuleret quisquàm, neque missus esset aliquis: imò, quum ne esset quidem huiusmodi quippiam: tamen oraculum ædebat, uti stultos mortales redderet attonitos. Quod genus illud erat.

Hunc age quære tuam qui tectus in ædibus, ac te
Clam prorsum, uxorem uultuq; oculisq; decoram
Stuprat adulterio, seruorum ex agmine primus.
Ipse cui solus suasisti hæc omnia demens.
Eius enim florem libasti, hoc dedecus ille
Nunc tibi compensans, cum coniuge dormit herili.
Quin ijdem tibi iampridem letale uenenum
(Vt neque quæ faciant, possis audire, nec unq;
Cernere luminibus) tecte furtimque pararunt.
Inueniesque tuo sub lecto pharmaca, iuxta
Parietem, sub ceruicali condita, porrò
Istis conscia criminibus tua serua Calypso est.

Quis Democritus principio non commoueretur, ubi nominatim & autores

autores,& loca palàm audiſſet deſignari? Verum illico deſpuiſſet, ſimulatq; cognouiſſet,quo hæc artificio gererentur. Inſuper & Barbaris nó raro reſpõdit,ſi quis patria lingua ſciſcitaret, puta Syriace aut Gallice,quoties difficile erat inuenire cõterraneos eorum,qui rogationem propoſuiſſent:proinde receptis libellis,multum intercedere ſolet interualli,priuſquàm oraculum redderet, quo uidelicet interim per ocium poſſet & ſoluere tuto libellos,& nanciſci, qui cuncta poſſent interpretari. Quod genus erat & illud Scythæ cuiuſdam redditum oraculum:

Morphi ebargulis in umbra chnenchicranc,relinquet lucem.

Aliâs rurſum,quum nec adeſſet item quiſpiam, neque tale quicquam omnino contigiſſet, citra carmen eloquutus eſt: Redito unde ueniſti. Siquidem is qui te miſit hodie,periit,interemptus à Diode uicino, accedentibus latronibus,Mango,Celere,ac Bubalo,qui nunc etiam comprehenſi tenentur in uinculis. Cæterũ pauca nunc accipe ex his quæ mihi ipſi reſpondit.Sciſcitato an caluus eſſet Alexander, quum libellos palàm atq; accurate obſignaſſem,reſponſum nocturnum ſubſcribitur:Sabar Dalachi Malach Attis alter erat.Rurſum quum diuerſis libellis eandem rogationem propoſuiſſem, puta cuiatis eſſet uates Homerus,idq; alio atq; alio nomine:alteri ſubſcripſit, uidelicet deceptus à puero:qui rogatus qua gratia uenit:ut remedium,inquit, peterem aduerſus laterum dolorem:

Cytmide te iubeo,ac Latonæ rore perungi.

Alteri uero ubi ſciſcitanti ei dictum eſſet, utrum mihi ſatius eſſet in Italiam nauigio,an pedeſtri itinere proficiſci,reſpondit:nihil quidem quod ad Homerum attineret.

Carpe uiam pedibus,rate ne ſulcaueris undas.

Multa id genus aduerſus illum ſum machinatus,quorum de numero fuit & illud,unica rogatione ꝓpoſita libello pro more inſcripto talis cuiuſdam rogationes octo, nomen aliquod ementitus,miſſis drachmis item octo:præterea quod fieri ſolitum eſſet adiungens. At ille perſuaſus,partim miſſa mercede, partim inſcriptione libelli, ad unicam rogationem:ea erat huiuſmodi, quando deprehendendus eſſet impoſtor Alexander,octo miſit oracula:ſed quæ neq; cœlum (quod aiunt)neq; terram attingeret,uerum abſurda & intellectu difficilia omnia. Quod ille ubi in poſterum perſenſiſſet, præterea quod Rutilianum à matrimonio conatus eſſem auertere, ſuaſiſſemq; ne prorſus in diuinatione ſpes reponeret ſuas:oderat me uidelicet, ita uti par erat, ſibiq; acerrimum hoſtem iudicabat. Quodam itaq; tempore percontanti de me, Rutiliano ita reſpondit,

Noctiuagis gaudet ſcortis,ſpurcóq; cubili.

In ſumma, iure optimo me inuiſiſſimum habebat. Proinde quũ me in oppidum aduenisse ſenſiſſet, meq; Lucianum esse illum cognouisset: adduxeram autem milites duos, alterum lancea, alterum conto armatum, quos quidem à Cappadociæ præſide mihi tum amicó acceperã, quo me ad mare uſq; deducerẽt: accerſit illico, ſanè quàm comiter multáq; cum humanitate. Ego quũ aduenissem, complures apud illum reperio: porrò bona quadam fortuna & milites umà mecũ adduxeram. Tum ille manũ mihi porrigit oſculandam, quemadmodum uulgo facere conſueuerat: ego admotus, perinde atq; oſculum daturus acri morſu corripio, ita ut parum abfuerit, quo minus illi manũ mancam reddiderim. Itaq; qui præſentes erant, præfocare me accedere conati ſunt tanq; hominem ſacrilegum: quippe qui iam inde ab initio grauiter tulerant, quod Alexandrum illum, non autẽ prophetam compellaſſem. At ille oppido quàm generoſe obnitens cõpeſcuit illos, pollicitúsq; eſt ſe facile me placidum redditurum, declaraturúmq; quantum poſſet Glycon, qui nimirum & hos qui maxime ſæuirẽt ferocirentq;, ſibi redderet amicos. Moxq; ablegatis omnibus, mecũ expoſtulauit, negans ſe etiam eſſe quæ ſuaſiſſem Rutiliano. Ecquid me læſiſſet ut iſta in ſeſe facerẽ, quũ poſſem illius opera apud illũ magnas ad res promoueri? Equidem hanc hominis humanitatem cõmoditatemq; libenter accipio, perpendens nimirum, quo forem in periculo conſtitutus: paulóq; poſt prodibam, iam illi factus amicus. Ea res profecto ijs qui uidebãt, uehemẽter erat ſtupẽda, quod tam facile fuiſſem cõmutatus. Poſthæc quũ iam nauigare ſtatuiſſem, miſſis Xenijs ac muneribus permultis (erã autẽ forte ſolus cum Xenophonte, patre cũ reliquis meis in Amaſtrim præmiſſo) pollicetur & nauim præbiturum ſeſe, & remiges qui nos aueherent. Etenim arbitrabar hæc animo ſimplici, atq; officioſe fieri: uerum ubi iam in medio eſſemus mari, uideremq; gubernatorem lachrymantem, & neſcio quid reliquis nautis contradicentẽ, non optimæ de euentu ſpes me ceperunt. Erat autem illis ab Alexandro mandatum, ut tollentes nos in mare præcipites darent. Quod ſi contigiſſet, facile quod mecum gerebat bellum, illi debellatum fuiſſet: ſed is qui lachrymabatur, effecit ne quid in nos grauius patrarent. Ac mihi quidem ita loquutus eſt: Annos natus, uti uides, ſexaginta, quũ antehac pie atque inculpate uixerim, haudquaquam uelim in hac tam grandi ætate, præſertim quum uxorem & liberos habeam, homicidio manus impiare, indicans uidelicet, cuius rei gratia nos ſuſcepiſſet, quæque ſibi mandaſſet Alexander. Expoſitis autem nobis in Aegialos, quorum etiam egregius meminit Homerus, retro legit curſum: ibi forte nactus præternauigãtes legatos quoſdam Boſporanos Eupatoris regis

nomine.

nomine in Bithyniam proficiſcẽtes, deportãdi uectigalis gratia, quod in ſingulos pendebatur annos: cum expoſuiſſem illis, quod me periculum circũuallaret, atq; illi ſe mihi commodos faciles q; præberent, receptus in nauigium, incolumis in Amaſtrim perueni: tantillum abfuerat ut perierim. Ex hoc nimirum tempore & ipſe aduerſus illum arma capiebam, omnemq; (quod aiunt) mouebam funem, quo hominem ulciſcerer, quẽ iam tum ante mihi ſtructas inſidias oderam, próq; ſummo ducebam hoſte, propter morum impietatem. Iamq; ad accuſationem intenderam animum, non paucis mecum facientibus, maximéq; qui erant ex Timocratis Heracleotæ ſchola philoſophi. Verũ qui tum Bithyniæ Pontóq; præſidebat: nos cohibuit penè ſupplicans & obſecrans uti deſiſteremus. Etenim ob neceſſitudinem quæ ſibi cum Rutiliano intercederet, nequaq; poſſe ſupplicio afficere: nec ſi manifeſto in crimine deprehendiſſet. Atq; ita quidem ab iracundia deſtiti, méq; repreſſi: nõ in tempore rem aggreſſurus, cum iudicem haberem ad eum modũ affectum. Sed quid? an non & hoc inter alia facinus audax Alexandri, à principe Romano poſtulare ut Aboni murus, cõmutato uocabulo, Ionopolis appellaretur? utq; nomiſma nouum ſignaret, altera quidem parte Glyconis obtinẽs imaginem, altera uero Alexandri, qui inſignia aui Aeſculapij, ac falcem illam Perſei, unde maternũ ducebat genus, teneret. Porrò cum eſſet de ſeſe uaticinatus, oraculo prodito, fatis decretum eſſe, ut annos uiueret centum & quinquaginta, dehinc fulmine ictum, interitu maxime miſerando periturum: nondum ſeptuaginta natus annos interijt, uidelicet (uti conueniebat Podalirij filio) pede ad inguen uſque putrefacto, & uermibus ſcatens. Quo tempore ſimul & illud deprehenſum eſt, quod caluus eſſet: quũ medicis caput humectandũ præberet, ad mitigandũ cruciatũ, id quod haudquaq; facere potuiſſent, niſi detracto galericulo. Hunc habuit exitũ Alexãdri tragœdia, atq; hæc fuit totius fabulæ cataſtrophe, ut res uideri poſſit prouidẽtia quadam eſſe geſta, quum caſu nimirum ad hunc modum euenerit. Reſtabat illud, ut & epitaphium uita acta dignum ei conſtitueretur, neque non certamina quædam agerentur ab ijs, qui in uaticiniũ coniurauerant, uidelicet impoſtoribus inſignibus ac præcipuis ad Rutilianum arbitrum ſeſe conferentibus, ut is pronunciaret, quem ex ipſis oporteret in oraculi ſucceſſionem capeſſendam eligi, atque ſacerdotali propheticáque corona redimiri. Erat autem in hoc numero ſimul & Pætus, qui artis profeſſione medicus, tum ciuis quum eſſet, iſta faciebat: neque medico, neque homine cano decora. At Rutilianus certaminis arbiter, incoronatos eos remittebat, ipſi ſibi diuinandi autoritatem ſeruans, poſteaquàm inde iam demigrauerat. Hæc amice ex

ce ex plurimis pauca, quo deguſtamentum hominis præberem, ſcri/benda putaui, cum uti tibi gratificarer, homini familiari atque amico, quemq; ego unũ omniũ maxime ſuſpicio: idq; pluribus nominibus, uel propter ſapientiam ſingularem, uel ob amorẽ ueri, uel ob morum manſuetudinem ac moderationem, uel ob uitæ tranquillitatẽ, poſtremo comitatẽ atq; humanitatẽ erga hos, quibus cum uiuis. Tum uero (quod quidem tibi fuerit etiam iucundius) ut Epicurũ ulciſcerer, uirum uere ſacrum, ingenióque diuino, quiq; ſolus quæ uere ſunt honeſta & nouerit, & tradiderit: quiq; ſolus extiterit, qui liberos reddere ſolitus ſit eos, qui ſecũ haberent conſuetudinẽ. Deniq; arbitror fore, ut iis qui in hanc lectionem inciderint, liber hic nõnihil utilitatis afferre uideatur, dum quædam redarguit, quædam in opinionibus horum, qui & recte ſentiunt, confirmat ac ſtabilit.

ALEXANDRI SEV PSEVDOMANTIS, DES. ERAſmo Roterodamo interprete, finis.

ORNATISSIMO VIRO

D. CHRISTOPHORO VRSEVVICO, ERASMVS ROTERODAMVS S. D.

Quidem hac mente ſemper fui ornatiſſime idemque humaniſſime Chriſtophore, ut à nullo prorſum uitio perinde abhorruerim atq; ab ingratitudine, nec unq; iſtos hominis uocabulo dignos iudicarim, qui alient in ſe meriti tempore ullo poſſent obliuiſci. Rurſus eos exiſtimauerim beatos, quibus tantum facultatis fortunæ commoditas ſuppeditaſſet, ut bene de ſe meritis, poſſent parem remetiri gratiã: beatiſſimos autem quibus liciſſet acceptum beneficium aliquo cum fœnore repẽdere. Proinde cum antehac ſæpenumero mecum repeterem, quantum in me nihil promeritum tua benignitas contuliſſet (nam collatum arbitror, quicquid ita delatum eſt, ut haud ſcio utrum per fortunam, an per meipſum: certe per te non ſteterit quo minus acceperim) circunſpectarem q; quonam argumento poſſem aliquam ſaltem erga te memoris gratiq; animi ſignificationem dare: neq; in tanta fortunæ meæ tenuitate quicq; occurreret, quod ulla ex parte, nõ dicam tuis meritis reſponderet, ſed quod uel animo ſatisfaceret meo: illud deniq; mihi uenit in mentẽ, ut ſaltem iſtos quoſdã nõ inurbanos homines imitarer, q floſculo quopiã inſigni, aut alio ſimili ſymbolio miſſo, uolũtatis propenſionẽ, prõptiq; animi ſtudiũ teſtificari ſolent: præſertim ipſi

tenues

tenues erga eos,quibus neq; res,neq; animus ſit alienorũ egens mune rum. Ergo Græcanica ingredienti μουσεῖα (nã muſarũ horti uel mediis uernant brumis) ſtatim inter multos uaria adblandiẽtes gratia,hic Lu ciani floſculus præter cæteros arriſit.Eum nõ ungue,ſed calamo decer/ ptum ad te mitto,nõ ſolum nouitate gratum,colore uariũ,ſpecie ue- nuſtum,nec odore modo fragrantem,uerumetiã ſucco præſentaneo ſa lubrem & efficacem.Omne tulit punctum (ut ſcripſit Flaccus) qui mi- ſcuit utile dulci.Quod quidem aut nemo,mea ſentẽtia,aut noſter hic Lucianus eſt aſſequutus,qui priſcæ comœdiæ dicacitatem, ſed citra pe tulantiam referens:deũ immortalem,qua uafricie, quo lepôre perſtrin git omnia,quo naſo cuncta ſuſpendit, quàm omnia miro ſale perfri- cat,nihil uel obiter attingens,quod non aliquo feriat ſcommate, præci pue philoſophis infeſtus, atq; inter hos Pythagoricis potiſſimum,ac Platonicis ob præſtigias: Stoicis item propter intolerandum ſuperci- lium,hos punctim ac cæſim, hos omni telorum genere petit:idq; iure optimo. Quid enim odioſius,quid minus ferendũ, quàm improbitas uirtutis profeſſione perſonata? Hinc illi blaſphemi, hoc eſt, maledici uocabulum addidere,ſed hi nimirũ,quorum ulcera tetigerat.Pari liber tate deos quoq; paſſim & ridet & lacerat,unde cognomen inditũ ἀθέου ſpecioſum profecto, uel hoc nomine,quod ab impijs ac ſuperſtitioſis attributum.Floruit (uti putant) Traiani ferme temporibus, indignus ita me deus amet)qui inter ſophiſtas annumeretur. Tantũ obtinet in dicendo gratiæ,tantum in inueniendo felicitatis, tantum in iocando le pôris,in mordendo aceti, ſic titillat alluſionibus:ſic ſeria nugis, nugas ſerijs miſcet:ſic ridens uera dicit,uera dicendo ridet:ſic hominũ mores, affectus,ſtudia,quaſi penicillo depingit: neq; legenda,ſed plane ſpe- ctanda oculis exponit, ut nulla Comœdia, nulla Satyra cũ huius dia logis conferri debeat,ſeu uoluptatẽ ſpectes,ſeu ſpectes utilitatem. Cæ terum ſi nominatim quæras huius argumentum dialogi,facit id quod ſemper facit. Pythagoram uelut impoſtorem ac præſtigiatorẽ taxat: Stoicorum faſtum & ſapientem barbam ridet:diuitum ac regum uita quantis ſit erumnis obnoxia docet:contra quàm expedita res peuper- tas hilaris,ſuáq; contenta ſorte. Quem uti legas attentius,te maiorem in modum rogo,ſi quando tibi per tua licebit negocia,frontem expor rigere.Audies enim Gallum cum hero ſutore confabulantem, magis ridicule quàm ullus poſſit γελωτοποιὸς, ſed rurſum ſapientius quàm theologorum ac philoſophorum uulgus nonnunq; in ſcholis magno ſupercilio,magnis de nugis diſputat. Vale optime atq; humaniſſime Chriſtophore,& Eraſmum inter tuos aſcribito clientulos,amore, ſtu- dio,officio ceſſurum nemini.Ex arce Hammenſi.An. M. D. III.

Luciani

LVCIANI SOMNIVM

SIVE GALLVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

Interloquutores, GALLVS. MICYLLVS.

MICYLLVS.

T te ſceleſtiſſime Galle, cum iſta tanta inuidentia, uocéq; tam acuta ipſe perdat Iupiter, qui quidem opibus affluentē me, ac dulciſſimo in ſomnio uerſantem, & admirabili felicitate fruentem, penetrabile quiddam & clamoſum reſonans expergefeceris, adeo ut ne noctu quidē effugere liceat paupertatem, uel te ipſo longe nocentiorem. Atqui ſi coniectandum eſt, tum è ſilentio quod etiamdū ingens eſt, tum è rigore frigoréq;, quod nondum me quemadmodum aſſolet, antelucano morſicat titillatq; (nam hic mihi certiſſimus gnomon aduentantis diei) ne medium quidem adhuc noctis eſt. Sed iſte peruigil, perinde quaſi uellus illud aureum ſeruet, ab ipſa protinus ueſpera uociferari cœpit. Verum haudquaq; impune: ſiquidem mox pœnas de te ſumam, fuſtéque comminuam, ſi diluxerit modo. Nam nūc negocium mihi faceſſeres, ſubſiliens in tenebris. GAL. Here Micylle, equidē arbitrabar me tibi gratum eſſe facturum, ſi quoad poſſem, alta nocte lucem anteuertiſſem, quo poſſes antelucano ſurgens, quàm plurimū operis conficere. Etenim ſi priuſq; ſol exoriatur, uel unicam feceris crepidam, iſthuc laboris lucro tibi acceſſerit ad parandū uictum. Quod ſi tibi magis libet dormire, equidē tuo arbitratu quietem egero, longéq; magis mutus fuero piſcibus. Cæterum tute uideto, ne per ſomniū diues, eſurias experrectus. MICYL. O prodigiorum auerſor Iupiter, ô malorum depulſor Hercules: Quid hoc mali eſt? uocem humanam ſonuit Gallus. GAL. Hoccine tandem tibi prodigiū uidetur, ſi eadē qua uos lingua loquor? MICYL. Quid? an nō hoc portentum? ſed auertite dij malum à nobis. GAL. At tu mihi uideris admodum illiteratus eſſe Micylle, nec euoluiſſe Homeri poēmata, in quibus equus Achillis, cui nomē Xantus, poſteaq; hinnitus longū ualere iuſſiſſet, medio in prælio conſtitit, diſſerēs, totoſq; uerſus ordine recitans: non quemadmodū nunc ego proſa oratione loquēs, quin etiā uaticinabatur ille, déq; futuris ædebat oracula, neq; quicq; prodigioſum facere uidebatur: neq; is qui tum audiebat, malorū auerſorem, ita uti tu facis, implorabat, quaſi rem abominandam & auertendam audiſſe ſeſe iudicaret. At quid tandem facturus eras, ſi tibi nauis.

cui nomen

cui nomẽ apud Homerũ eſt Argo,carina fuiſſet eloquuta, ita ut olim in Dodonæa ſylua phagus per ſe loquens oraculum ædidit? Aut ſi tergora direpta ſerpere uidiſſes,ſi carnes boũ mugire ſemiaſſas,coctasq́ uerubus tranſfixas? Ego uero quum Mercurij ſim aſſeſſor loquaciſſimi,deorũq́ omniũ facundiſſimi:præterea contubernalis uobis & conuictor,haud mirum uideri debet,ſi ſermonẽ humanũ edidici. Quod ſi mihi recipias taciturũ te,haud quaq̃ grauabor uerioré tibi cauſam aperire,unde factum ſit,ut eadem qua uos lingua loquar,& unde mihi ſuppetat huius orationis facultas. MICYL. Modo ne iſthuc ipſum ſit ſomniũ Galle,quod ita mecum loqueris,Sed dicito per Mercuriũ, ó præclare:quid etiam aliud rei tibi ſit in cauſa,ut iſtam linguã ſones? Nam ut taceam,neq́ cuiquã proferam, quid attinet te ſolicitum eſſe? Quis enim fidem mihi ſit habiturus:ſi cui narrem, me Gallum hæc loquentẽ audiſſe? GAL. Auſculta igitur,nam orationem ex me audies, omniũ (ſat ſcio) maxime nouam atq́ incredibilẽ. Siquidem hic qui nunc tibi Gallus appareo,non ita pridem homo fui. MICYL, Profecto & olim iſtiuſmodi quiddam de uobis inaudieram:Adoleſcentulũ quempiam fuiſſe Gallum, Marti adamatũ, atq́ hunc deo compotaſſe,colluſitaſſeq́,& in uoluptatibus geſſiſſe morem. Itaq́ cum Venerẽ adiret Mars cum ea cubiturus:hunc quoq́ Gallum unà ſecum adduxiſſe. Quoniã autem Solem potiſſimũ metueret,ne ſi è ſublimi cõſpexiſſet, Vulcano ſe proderet, foris ad oſtium adoleſcentulũ ſemper relinquere ſolitum,cuius indicio certior fieret,quando ſol emergeret. Deinde Gallum aliquando ſomno correptum,excubias deſeruiſſe inſcitem,Solemq́ nullo præſentiente imminuiſſe Veneri ac Marti ſecure dormienti,propterea quod cõfideret Gallum indicaturũ fuiſſe,ſi quis interueniſſet. Itaq́ Vulcanũ à Sole edoctum,eos deprehendiſſe implicitos atq́ irretitos ijs uinculis,quæ iam olim in illos fuerat fabricatus. Porrò Martem ſimulatq́ dimiſſus eſt,indignatum aduerſus Gallum fuiſſe,atq́ eum in auem trãſmutaſſe,ijſdem armis,ut in capite pro galea criſtam obtineret. Hanc ob cauſam quo uos Marti purgetis, quũ iam nihil opus,ſimulatq́ Solem exorientem ſenſiſtis,multo ante uocì ferari,atq́ illius exortum prænunciare. GAL. Ferunrur quidem & illa Micylle, At quod ego ſum narraturus,multo aliud quiddam fuit,atq́ adeo nuper admodũ in Gallũ tranſformatus ſum. MICYL. Quo nã modo? Nam iſthuc maximopere cupio cognoſcere. GAL. Audiſtin de Pythagora quodam Mneſarchida Samio? MICYL. Num ſophiſtam illum dicis & glorioſum:qui inſtituit,ne quis uel carnes guſtaret, nel fabas ederet,ſuauiſſimũ mihi edulium,ſalubre & parabile à menſa ſubmouens? Præterea autem qui mortalibus ſuaſit,ne intra quinque-

nium

BIBLIOTHEQUE NATIONALE IMPRIMÉS.

nium loquerentur? GAL. Scis nimirum & illud, quemadmodũ prius quàm Pythagoras esset, Euphorbus fuerit? MICYL. Præstigiatorẽ & prodigiorum artificem hominem aiunt fuisse, ò Galle. GAL. Ille ipse ego tibi sum Pythagoras. Quare parce, quæso mihi conuitiari, præsertim quum ignores, quibus sim moribus. MICYL. At hoc rursum multo etiam ꝯ illud portentosius: Gallus philosophus? Attamen expone Mnesarchi gnate, qui factum sit, ut ex homine auis, ex Samio Tanagræus repente nobis prodieris. Neq; enim ista uerisimilia, neq; omnino facilia creditu. Quandoquidẽ duas quasdam res iam mihi uideor in te animaduertisse, nimium alienas à Pythagora. GAL. Quas? MICYL. Alterum quidem, quod garrulus es, & obstreperus, quum ille silere in solidos quinq; annos (si memini) præceperit. Alterum uero planè cum illius legibus pugnat. Etenim cum non haberem, quod tibi obiicerem, fabas heri (sicuti nosti) ad te attuli. At tu nihil cũctatus protinus eas sublegebas: unde fit ut necesse sit, aut ementitum esse te Pythagorã esse, quũ aliud quiddã sis: aut si Pythagoras es, legem prætergressum esse te, iusq; uiolasse, quum fabas ederis, perinde ac si caput patris comederis. GAL. Non cognosti Micylle, quæ sit harũ rerum causa, neq; quæ ad unumquodq; uitæ genus conducant. Ego tum quidẽ non esitabam fabas, propterea quod philosophus essem. Nunc cõtra comesurus sim, quippe auicio congruas, neq; nobis repudiandũ pabulum. Verũ si molestũ non est, audi quemadmodũ è Pythagora cœperim esse id, qd̃ sum in præsentia, ꝯque in multis uitæ generibus ante hac uixerim. Et qd ex unaquaq; trãsformatione sim cõsequutus. MICYL. Narra quæso: nam mihi quidem auditu iucundissimum fuerit. Adeo ut si quis mihi deferat opinionem, utrum te ista narrantem audire malim, an rursum felicissimũ illud somniũ, quod paulo ante uidi, uidere, haud sciam utrum electurus sim, usq; adeo cognata germanaq; uidentur esse ista tua cũ suauissimis illis uisis, & ex æquo uos æstimo, te pariter ac prædarum illud insomniũ. GAL. Etiamnũ tu somnium illud quod dudum tibi uisum est, in animũ reuocas, & inania quædam obseruans simulachra, atq; (uti loquuntur poëtæ) euanidã quãdam felicitatem memoria ꝯiectaris? MICYL. Imò illud scias Galle, ne ullo quidem tempore unq; uisi illius mihi uenturam obliuionem. Tantum mellis somnium aufugiens in oculis mihi reliquit, ut præ illo uix queam palpebras attollere, rursus in somnũ coëuntes. Itaq; quale uoluptatem mouent pennæ in auribus uersatæ, talem titillationẽ mihi prebẽt ea quæ uidi. GAL. Nouũ quendã Hercule mihi nartas amorẽ insomnij, siquidẽ alatum quũ sit (sicut aiunt) metasq; uolandi præscriptas habeat somniũ, iamq; septa transilit, in oculis etiam uigilantis obuersans

obuersans,adeóq; mellitum & euidens apparet. Quare peruelim audire, cuiusmodi nam sit istud, quod te supra modũ delectat. MICYL. Gestio narrare. Nam dulce est hoc ipsum meminisse, & cõmemorare de illo quippiã. Verum heus Pythagora: quando tu narrabis de tuis transformationibus? GAL. Vbi tu Micylle desieris somniare, melq; illud ab oculis absterseris. Interim prior dicito, uti intelligam, utrum ne per portas eburneas, an per corneas tibi somniũ aduolarit. MICYL. Neq; per has, neq; per illas, ò Pythagora, GAL. Atqui duas has tantum cõmemorat Homerus. MICYL. Valere sinas nugatorem illum Poëtã, qui nihil de somnijs intellexit. Paupertina fortassis somnia per istas cõmeant portas, qualia uidebat ille: neq; id admodũ perspicue, quippe captus oculis. Mihi uero per aureas quasdam portas dulcissimum hoc aduenit somniũ, & ipsum aureum, & aureis undiq; circũamictum, & auri plurimũ secum adducens. GAL. Desine optime Mida de auro fabulari. Nam dubio procul ex illius uoto, istud tibi accidit in somniũ, & solidas auri uenas mihi duxisse uideris. MICYL. Multam auri uim uidi Pythagora, multam, quàm putas pulchri? quo fulgore coruscantis? Quid tandem Pindarus in illius laudem dicit? nam in memoriam redige, siquidem meministi, quum aquam præstantissimam dicens, postea aurum admiratur, idq; iure, statim in initio carminis unius omniũ bellissimi. GAL. Num illud quæris?

Aqua est illa quidem optima:
Cæterum aurum, uti candens
Ignis: ita enitens, noctibus eminet eximie unum
Cæteras supra opes: quæ
Gloriam ac decus addunt.

MICYL. Per Iouem, isthuc ipsum: perinde enim ac si insomniũ meũ uideat Pindarus: ita prædicat aurum, sed ut tandem cognoscas quale fuerit, ausculta iam sapientissime Galle. Meministi ut heri nullũ domi cibum acceperim: siquidẽ Eucrates dives ille forte mihi in foro factus obuiam, lotum me in tẽpore ad cœnam uenire iusserat. GAL. Isthuc equidẽ planè memini. Nam totum esuriebã diem, donec mihi profunda tãdem uespera domũ reuersus, subuuidus, uinoq; madens, quinq; illas fabas proferres, non admodũ opiparã cœnã Gallo, qui quondã fuerit athleta, quiq; olympia non seguiter olim decertarit. MICYL. Ast ubi reuersus à cœna fabas tibi obiecissem, obdormij protinus. Tum mihi, iuxta Homerũ, ambrosia sub nocte diuinũ quoddã haud dubie somniũ assistens. GAL. Sed prius quæ tibi apud Eucratem acciderint Micylle narra: & cuiusmodi fuerit cœna, quæq; super cœnã acta

sunt omnia. Nihil enim prohibet te denuo cœnare, si ueluti somnium quoddã eius cœnæ reducas, & quæ tum ederis, rursum cõmemoratiõe quasi rumines. MICYL. Credebã molestũ futurũ me, si hæc quoq; retulissem: uerũ posteaq; tu desideras, en id quoq; narrabo, quum nunquã antehac in uita cœnassem apud ullum diuitem, ò Pythagora: heri bona quapiã fortuna in Eucratem incidi: atq; ego quidẽ simulatq; dominũ illũ salutassem, ita uti consueuerã, subducebã me: ne pudori illi essem, si lacera in ueste fuissem assectatus. At ille: Micylle, inquit, hodie natalicia filiæ celebro, plurimosq; ad cõuiuium amicos inuitaui, uerum quoniã aiũt quendã ex his incõmoda esse ualetudine, neq; posse pariter ad conuiuiũ nostrũ accedere: tu eius loco uenito lotus, nisi ipse forte qui uocatus est, semet adfuturum renunciarit. Nam nunc quidẽ ambigit. Hoc ubi audissem, adorato diuite discedebam: oẽs obsecrans deos, ut algidam febrem aliquam, aut laterum dolorem, aut podagrã morbi auctarium immitterent ualetudinario illi: cuius ego sellæ occupator, cœnæq; uicarius, & hæres eram uocatus. Interim hoc spacij, qd usq; ad balnei tempus interceſſit, longissimũ seculum esse iudicabam: dum subinde respicio, quotquot pedũ esset litera, & quando illos iam lauisse consentaneũ esset. Hic ubi tempus tandẽ aduenisset, ocyus me corripio, atq; abeo, nitide amodũ cultus: sic obuerso palliolo, ut qua esset parte purissimũ, ea uideretur. Offendo autem ad fores, & alios cõplures, in quibus etiam illum (gestabatur autẽ à uiris quatuor) cuius eram subcõuiua uocatus: qui male habere dictus erat, atq; id etiã præse ferebat, quod afflicta esset ualetudine. Nam ex alto gemebat, tussiebátque, ac screabat, uelut ex abdito: quodq; ægre redderetur totus pallidus ac tumens, annos natus circiter sexaginta. Ferebatur autem philosophus quispiam esse, ex his, qui apud adolescẽtulos nugas deblaterant. At barba mire erat tragica, id est hircina, supra quàm credi posset tonsoris egens. Porrò increpante Archibio medico, quãobrẽ quũ ita esset affectꝰ, aduenisset: nõ oportet, inquit, promissa deserere, præsertim hominẽ philosophum, etiam si mille urgeant & instent morbi. Putauit eni Eucrates sese à nobis haberi ludibrio. Haud quaq;, inquã ego: imò collaudabit te, si domi potius apud te uelis emori, quàm in conuiuio animam unà cum phlegmate excreans. Atq; ille quidem prætarrogantia dissimulabat sese dicterium audisse. Haud multo post accessit & Eucrates iam lotus: conspectoq; Thesmopolide (nam id erat philosopho nomen) Præceptor, inquit, probè quidem factum abs te, qui ipse ad nos ueneris. Tametsi nihilo deterius tibi fuerat futurum. Siquidem etiam absenti omnia ordine missa fuissent. Hæc simulatq; dixerat: introgreditur, manus illi porrigens pariter & famulis innitẽti. Ego igitur

igitur iam abire parabam:uerum ille conuerſus, ubi diu ſecum hæſitaſſet, poſteaquam me triſtem admodum uideret:ades,inquit,tu quoq; Micylle,ac nobiſcum cœna.Nam filium in mulierũ conclaui unà cum matre conuiuium agere iubebo,quo tibi ſit locus. Ingrediebar itaq;, quum parum abfuerit,ut lupus fruſtra hians diſcederem,uerum ingrediebar,pudefactus quod Eucratis filiolum è conuiuio uiderer expuliſſe. Aſt ubi iam tempus eſſet ut diſcumberemus, primum tollentes Theſmopolim compoſuerunt,haud ſine negocio per Iouem, quinq; (ſi dijs placet) proceri iuuenes, ceruices illi ſupponentes undiquaq: quo nimirũ in eodem habitu permanere, ac longũ etiam tempus durare poſſet.Deinde ubi nemo iam tolerare poſſet,ut iuxta illum accũberet,me adductum reclinant,ut eadem in menſa eſſemus. Deinceps cœnabamus,ò Pythagora,opiparam quandã & uariam cœnam, multoq; in auro,multo item argento.Pocula erant aurea,miniſtri formoſi:tum cantores, & concitandi riſus artifices. In ſumma, iucundiſſima quæpiam erat uita:niſi quod unum quiddã me uehemẽter male habebat: Theſmopolis obſtrepens atq; obturbans, uirtutem neſcio quam mihi cõmemorans,docensq;, quod duæ negationes unicam efficerẽt affirmationẽ:quodq;,ſi dies ſit,nox non ſit. Nonnunq; & cornua mihi dictitabat eſſe,atq; id genus multa philoſophabatur erga me, quibus eiuſmodi nihil opus:planèq; uoluptatem interpellatione minuebat,quum non ſineret exaudiri eos,qui cithara,uoceq; canebant. Habes Galle de cœna.GAL.Nõ admodũ ſuaui Micylle:maxime poſteaquam cum illo deliro ſene ſortitus eras accubitum,MICYL. Audi nũc & inſomnium. Viſus enim mihi Eucrates ipſe, quum orbus eſſet liberis,neſcio quomodo è uita decedere,Dehinc ubi me accerſiſſet,ac teſtamentum cõdidiſſet, quo me inſolidum hæredem omnium ſcripſerat, paulo tempore ſuperſtes emori.Porrò ipſe uidebar adire facultates:& tum aurum,argentumq; ingentibus quibuſdã ſcaphis exhaurire, perpetuo ſubſcaturiens & affatim affluens:tum autem ueſtes,menſas,pocula,miniſtros,omnia mea,ut par erat,eſſe. Poſtea candido uehiculo uectabar reſupinus:cunctis qui intuebantur,conſpiciendus & admirãdus. Accurrebant permulti,ac circũequitabant: complures ſequebantur.Ego interim illius indutus ueſtitum,& annulos gerens circiter ſedecim digitis inſertos:epulum quoddam ſplendidum iubebam adornari,quo amicos acciperem.Iamq; illi,ita ut in ſomnio fieri conſentaneũ eſt,aderant:iam epulæ erant comporratæ,iam potus ex animi ſententia miniſtratus.In his quũ uerſarer,& aureis phialis præbiberẽ omnibus qui aderant amicis:quũ iam inferrentur bellaria: intẽpeſtiuo tuo clamore perturbaſti nobis cõuiuiũ,menſaſq; ſubuertiſti,ac diuitias il-

las ita dissipasti, ut in auras euanescerent. Num tibi uideor iniuria stomachatus in te? nam uel tris noctes perpetuas libenter adhuc somniũ illud quod mihi accidit, uidere cupiam, GAL. Adeo ne es auri cupidus, & opum auidus Micylle: idq; ex omnibus unum admiraris, ac felicitatem unicam esse iudicas, si plurimũ possideas auri? MICYL. Equidẽ haud solus ita cogito Pythagora: quũ ipse quoq;, tum quũ Euphorbus esses, auro atq; argento comis intexto, prodibas pugnaturus cum Achiuis: idq; in bello, ubi ferrum quã aurũ gestare satius fuerat. At tu etiãm tum uoluisti calamistris auro internexis in periculum descendere. Atq; ob eam (opinor) causam, Homerus comas tuas gratijs similes dixit, quod auro argentoq; reuincirentur. Etenim longe nimirum meliores atq; amabiliores uidebantur, quod essent auro religatæ, unáq; cum eo relucerent. Neq; isthuc nouum est Auricome, si tu Pantho patre prognatus, aurum in precio habuisti: quin & ipse deorum omnium, hominumq; pater ille saturno, Rheaq; progenitus, quum Argolicam illam puellam adamaret: ubi nihil inueniret amabilius in quod sese transformaret, neq; quo Acrisij custodias posset corrumpere: audisti uidelicet, ut aurũ sit factus: atq; ita per tegulas illapsus, potitus est ea quam deperibat. Iam uero quid tibi cõmemorem, quã multos usus præbeat aurum? Et ut eos quibus adfuerit, formosos, & sapientes, & potentes reddat, decus & gloriam illis concilians? utq; nonnũquam ex obscuris & infamibus, claros ac celebres repente efficiat? Nã nosti uicinum mihi & eiusdem artificij Simonem: qui paucis ante diebus apud me cœnauit: quum legumẽ coquerem saturnalibus, duasq; extorum cæsuras immittens? GAL. Noui Simonem illum breuem: qui fictilẽ ollulã, quæ nobis erat unica, suffuratus, peracta cœna abijt, sub ala gestans. Nam ipse uidi Micylle. MICYL. Atqui quum eam sustulerit, tam multos ille deos postea iurabat. Sed quur non prodebas: ac uociferabare tum, o Galle, quum nos furto spoliari conspiceres? GAL. Coccyzabam, quod mihi solum licebat id temporis: uerũ quid Simon ille? Nam uidebare de illo dicturus, nescio quid. MICYL. Ei consobrinus erat uir supra modum diues, nomine Drimylus: is quoad uiuebat, ne obolũ quidem donauerat Simoni: nam qui daret, quũ ne ipse quidem pecunias attingeret? At simulatq; mortuus est nuper: uniuersis illis opibus iuxta leges Simon ille, qui coria putria, qui patellam circumlingebat, gaudens potitur: purpura ostroq; circumtectus: famulosq; & currus, & aurea pocula, & mensas eburnis innixas pedibus possidet: ab omnibus adoratur: iamq; nos ne aspicit quidem. Etenim nuper quũ illũ procedentem conspexissem: Salue, inquã, Simon. At ille indigne ferens: Edicite, inquit, mendico isti, ne uocabulũ meum

dimi

diminuat: neq; enī Simon, ſed Simonides appellor. Porrò (quod eſt omniū maximum) mulieres etiam illius amore capiuntur. Atq; is quidem eludit eas, ac faſtidit: & alias quidem admittit, comemq; ſeſe præbet: aliæ porrò quæ negliguntur, necem conſcituras ſibi minitantur. Vides quantas cōmoditates pariat aurum: quandoquidem eos qui ſunt deformiſſimi, tranſfigurat, & amabiles reddit, non ſecus atq; æſtus ille poeticus. Audis inſuper & à Poetis dictum.

O aurum auſpicata res, & oſtentum optimum. Et rurſum,

Aurum eſt quod opibus imperat mortalium.

Sed quid interim riſiſti Galle? GAL. Quoniā tu quoq; per inſcitiam Micylle, ſimili modo falleris opinione de diuitibus, quemadmodum uulgus: uerum (crede mihi) longe etiam erumnioſiorē uitam uiuunt, quàm uos. Hæc autē loquor, qui ipſe & pauper, & diues aliquādo fuerim, atq; omne uitæ genus ſim expertus. Porrò paulo poſt ipſe quoq; hæc omnia cognoſces. MICYL. Per Iouem tempeſtiuū iam eſt, ut & tu referas quemadmodū ſis trāſfiguratus: & quod in unoquoq; uitæ genere perſpexeris. GAL. Auſculta, hoc tantū præmonitus, me neminē feliciorem uita, quàm tu ſis, unq; uidiſſe. MICYL. Quàm ego ſim o Galle? Hanc felicitatem tibijpſi imprecor. Nam uidere me tibi ridendum proponere. Verum age, narra, exordiens ab Euphorbo, quo pacto fueris in Pythagorā tranſformatus: Deinceps ordine ad Gallum uſq;. Conſentaneū enim eſt, te uarias res tum uidiſſe, tum tuliſſe: nimirum tam diuerſis uitæ formis. GAL. Quemadmodū initio ab Apolline profecta anima in terram deuolarit, & corpus humanū ſubierit, ut illic pœnā quandā depēderet, id longū dictu futurū ſit. Præterea neq; mihi referre fas es, neq; tibi eiuſmodi audire. Verū ubi Euphorbus factus eſſem, MICYL. Sed ego priuſq; eſſem is, qui nūc ſum: O præclare quiſnā erā? hoc mihi prius dicito? nūquid & ego uerſus fuerim itidē ut tu? GAL. Maxime. MICYL. Quis igitur eram? ſi quo modo potes dicere, puelim enim iſtuc cognoſcere. GAL. Tu formica fueras Indica, ex earū genere, quæ aurū effodiūt. MICYL. Et poſtea neglexi infelix, uel paucula fruſta in uitā iportare: quū illo eſſem alitus? Sed age qd poſt hæc futurus ſim dicito: quādoquidē cōſentaneū eſt ſcire te, Etenī ſi quid bonæ ſit rei, iam nūc ſuſpēdero me ab iſta pertica, in qua nunc ſtas. GAL. Iſtuc profecto nulla ratione poſſis cognoſcere. Cæterū quū Euphorbus eſſem (nā ad illa redeo) in Troia pugnabā: atq; à Menelao necatus, aliquanto poſt tempore in Pythagorā perueni. Porrō eouſq; abſq; tecto perdurabam, donec Mneſarchus aliquādo mihi domū ædificaret. MICYL. Obſecro te, num abſq; cibo potúq;? GAL. Maxime. Nihil enim iſtis rebus opus, niſi corpori duntaxat. MICYL.

Illud igitur prius dicito, ea quæ ad Troiam gesta sunt, num ita se habent, qualia fuisse dixit Homerus? GAL. Quinam ille scire potuisset Micylle: qui quidē dum ista gerebātur, ipse Camelus erat in Bactris? Cæterum ego tibi tantum effabor diuinitus, nihil id temporis eximium fuisse: neque Aiacem usq; adeo magnum, neque Helenam adeo formosam, quemadmodū arbitrantur: siquidem uidi candida quandam & procera ceruice, ut hinc cygno prognatam esse adsimularent. Cæterum uehementer anum, æqualem propemodum Hecubæ. Hanc Theseus primum raptam in Aphidnis possedit. Is uixit Herculis fermè ætate. Porrò Hercules prius Troiam ceperat, patrum nostrorum memoria, qui per id temporis maxime florebāt. Nam hæc mihi Panthus narrauit, se cum esset admodū adolescens, uidisse Herculem. MICYLLVS. Quid autem Achilles? Num talis erat, nempe quauis in re præstantissimus? An & istæc fabulamenta sunt? GALLVS. Cum illo quidem congressus non sum: neq; queā adeo comperte de rebus Græcorum dicere. Etenim qui scire potui, quum hostis essem? Certe Patroclum illius amicum, haud ita magno negocio peremi lancea dissectū. MICYLLVS. Deinde Menelaus multo minore negocio: uerū istis de rebus satis, Nunc res Pythagoricas refer. GALLVS. Illud in summa Micylle: sophista quispiam eram (oportet enim uidelicet fateri uerum, alioqui non imperitus, neque inexercitatus in honestissimis disciplinis. Profectus sum autē in Aegyptū: quo cū prophetis cōgrederer, de sapiētia cōmunicaturus. Hic adyta subij, atq; ibi Ori & Isidis libros perdidici. Post rursum in Italiam renauigabā, ac Græcos iuxta ea quæ in Aegypto didiceram, ita institui, ut me perinde ac deum suspicerent. MICYLLVS. Equidem inaudieram istæc: præterea quemadmodum creditus fueris, defunctus in uitam rediisse, utq; aureū femur illis subinde ostenderis. Verum illud mihi dicito, quid tibi uenit in mentem, ut legem statueres: uti neq; carnibus, neq; fabis uescerentur homines? GALLVS. Ne perconteris ista Micylle. MICYLLVS. Quamobrem ò Galle? GALLVS. Nam pudet hisce de rebus uerum fateri. MICYLLVS. Atqui non conuenit, uti id facere graueris apud hominem contubernalem & amicum: nam herum post hac, absit ut dixerim. GAL. Nihil sani, neq; prædari quicquā erat, uerū animaduertebā, si consueta modo, atq; eadē quæ uulgo tradunt à multis præcepissem: nō fore, ut mortales in admirationē adducerē, sed quo peregriniora, magisq; aliena proposuissem, futurū, ut hoc magis nouus, magisq; uiderer admirādus. Proinde instituerā in animo, nouæ quiddā rei designare, eiusmodi ppositō decreto, cuius causa esset inexplicabilis, quo uidelicet alijs

aliud

aliud cõiectantibus, omnes redderentur attoniti: quemadmodum in obſcuris oraculis ſolet uſu uenire. MICYL. Illud uide ut rides me tu quoq; non minus atq; Crotoniatas, ac Metapontícos, & Tarentinos: cumq; his alios, qui muti ſequũtur, tuáq; adorant ueſtigia, quæ tu calcata reliquiſti. Verum ubi Pythagorã exueras, quem poſt eum induiſti? GAL. Aſpaſiam Meletenſem illam meretricem. MICYL. Papæ, quid ego audio? Siquidem inter alia mulier quoq; fuit Pythagoras? Itáne fuit aliquando tẽpus, quo tu Galle generoſiſſime oua pariebas, cũq; Pericle rem habebas, iam Aſpaſia uidelicet: atq; ex illo grauida facta es? Præterea lanam tondebas, tramãq; deducebas? Poſtremo meretricum in morem geſtiebas, uultumq; componebas? GAL. Iſta quidem omnia feci, tametſi non ego ſolus: uerũ & ante me tum Tireſiãs, tum Elati proles Cæneus. Proinde quicquid in me cõuitij dixeris, tantundẽ & in illos dixeris. MICYL. Age igitur, utra tibi uita erat ſuauior, quum uir eſſes, an quum Pericles tecum haberet cõſuetudinem. GAL. Vides cuiuſmodi iſtuc eſt quod percontaris? nempe cui ne Tireſiæ quidem expedierit reſpondere. MICYL. Atqui ſi minus fateare tu: tamen iſtuc Euripides ſatis explicuit, quum ait: ſe malle ter ſub clypeo conſiſtere, q̃ parere ſemel. GAL. Imò præmoneo te paulo poſt puerperã fore: ſiquidem & tu mulier es olim futurus, idq; ſæpius longo nimirum ſeculorum orbe atq; recurſu. MICYL. Non tu pendebis, ò Galle, qui quidẽ omneis mortales Mileſios aut Samios eſſe ducas? Nam aiunt te etiam tum quum Pythagoras eſſes, uenuſta forma decorum, ſæpius Aſpaſiam fuiſſe tyranno. Verum age ſecundum Aſpaſiam, in quem uirum aut mulierũ denuo renatus es? GAL. In Cratem Cynicum. MICYL. O Caſtor, & ò pollux, quàm diſſimile, ex ſcorto philoſophus? GAL. Deinde rex: deinde pauper: paulo poſt ſatrapes: dehinc equus, graculus, rana, aliáq; innumerabilia: perlongum enim fuerit ſingula recenſere. Poſtremo Gallus, atq; id ſæpius, nam hoc uitæ genere ſum delectatus. Interea & alijs diuerſis mortalibus ſeruiui: regibus, pauperibus, diuitibus: poſtremo nunc tecum uiuo, rideóque quotidie, quum uideo te paupertatis tædio cõplorantem, eiulantemque, ac diuitum admirantem fortunas, propterea quod ignores quantum illis adſit malorum: alioqui ſi curas noris, quibus illi diſtringũtur, teipſum profecto riſeris, qui antea credideris eum, qui ſit opulẽtus, ſtatim feliciſſimũ eſſe omnium. MICYL. Ergo Pythagora, aut quid maxime gaudeas appellari, ne confundam orationem, ſi te nunc hoc, nũc illo nomine cõpellem. GAL. Nihil intererit, ſiue Euphorbũ, ſiue Pythagorã, ſiue uocaris Aſpaſiã, ſiue Cratẽ: quãdoquidẽ iſta omnia ſum unus, niſi quod rectius feceris, ſi (id quod in præſentiarũ eſſe uideor)

Gallum

Gallum me uoces,ne auem hanc parui ducere,contemnereq; uideare: præsertim quum tam multas contineat animas. MICYL. Ergo Galle, quandoquidem omnia penè uiuendi genera iam expertus es, atq; oia cognita habes,age dilucide mihi narrato, quæ sint peculiaria diuitum ad uitæ rationem,quæ paupercũ propria:quo uidelicet cognoscam,uere ne isthuc affirmes, me diuitibus esse feliciorem, GAL. En hunc ad modũ interim perpende Micylle. Te quidẽ non magnopere tangit cura belli,si quãdo rumor sit aduentare hostes:neq; sollicitus es, ne in agros incursantes populentur,neue hortum proculcẽt, proterantq;,aut uineas rastent:sed simulatq; tubam audieris,si tamen audieris, de tepso uno circũspectas,quo deflexus seruari queas,ac discrimen effugere. Contra illi tum de sese solliciti sunt,tum animo discruciantur,quum de mœnibus quicquid opum possidebãt in agris,id omne tolli,deportariq; conspiciunt. Ac siue inferendũ est aliquid in ærarium,soli accersuntur:siue in prælium exeundũ,periditãtur:aut peditum turmis, aut equitum alis præfecti. Tu interim uimineum gerens clypeum, expeditus ac leuis,ad saluti consulendum,paratus uictoriale conuiuium agere,siquando uictor exercitus sacra fecerit. Rursum pacis tẽpore,tu quidem quum de plebe sis,ingressus in concionem,tyrannidem in diuites obtines:illi uero trepidant,pauitantq;,ac largitionibus,choragiisq; te placant:siquidem quo tibi balnea,ludi,spectacula, reliquaq; id genus abunde suppeditent,ea omnia curant illi. At tu, censor & acerbus expensor perinde quasi dominus,ne alloquio quidem interdum dignaris illos,quod si tibi collubitum sit,ingentibus saxis in illos degrandinas,uel facultates eorũ publicas facis:ipse neq; calumniatorem metuis, neque latronem,ne tollat aurum,uel ædium conscenso fastigio, uel pariete perfosso:neq; necesse habes rationibus occupari, neque exactionibus, neq; tibi cum sceleratis dispensatoribus conflictandum est, neque tantas in sollicitudines distraheris:uerum simulatq; crepidam unam perfeceris,mercedemque retuleris septem obolos,sero surgis crepusculo:& si libuerit,lauaris,tum empto saperda quopiam,aut mœnide pisciculo,aut paucis ceparum capitulis,temetipse oblectas, canens plerunque, optimáque cum paupertate philosophans,adeo ut eas obres salubri sis, ualentiq; corpore,obduerisq; aduersus gelu: siquidẽ labores,qui te exacuunt,muniuntq;,certatorem haud quaquàm contemnendum reddunt aduersum eas res,quæ compluribus inexpugnabiles esse uidentur. Atque hinc nullus ex morbis illis grauioribus impetit te. Quod siquãdo leuis ceperit febricula:paulo negocio eam medicatus,protinus exilis:inedia temet inde excutiens. Illa porrò fugit illico:quippe metuens te,quem uideat etiam frigore ali,saturũq; fieri,ac

medi

medicorũ certis illis recurſibus longum plorare renunciantẽ. At illi ex aduerſo propter intẽperantiã uitæ, quid tandẽ mali non habent infelices? podagras, phthiſes, pulmonũ exulceratiões, aquas intercutes. Nã hæc omnia à ſumptuoſis illis conuiuijs naſcuntur. Proinde quicũq; ex his Icari in morem (ut ferè faciunt) ſeſe attollunt, propiuſq; ſe ſoli admouent, haud cogitantes, quod alas habeant cera adglutinatas, ingentem nõnunq; ſtrepitũ mouent. Cæterũ qui Dædali exemplo non admodũ ſublimia, neq; excelſa appetunt: uerum humilia, terræq; uicina, adeo ut cera nõnunq; ſalis aſpergine madeſceret, ñ tutò plerũq; ac citra diſcrimen tranſuolarũt. MICYL. Moderatos iſtos & cordatos narras. GAL. Verum aliorũ Micylle naufragia fœdiſſima cõſpicias: nempe ubi Crœſus reuulſis alis riſum exhiberet Perſis, conſcenſo rogo, aut Dionyſius quum abdicatus tyrannide, Corinthiorũ in urbe ludi literarij magiſtrum ageret, poſt geſtum tantum imperiũ, puellos compellens ut ſyllabas cõnecterent. MICYL. Dic mihi Galle: tu quum rex eſſes (nam ais te regem quoq; fuiſſe) cuiuſmodi tandem id uitæ genus experiebaris? Mirum tu tum felix eras, quandoquidẽ id quod eſt bonorum omniũ caput poſſidebas. GAL. Ne mihi in memoriã regeras, ô Micylle, uſq; adeo ſupra modum infelix tum erã. Nam quo ad res externas, quemadmodũ dixiſti, planè fortunatus eſſe uidebar: at intus innumerabilibus curis diſtringebar. MICYL. Quibus tandem curis? Nam rem prorſus abſurdam neq; credibilem narras. GAL. Equidem imperabam regioni neutiq; exiguæ Micylle, omnijugarũ rerum feraci, tum incolarum frequentia, neq; non urbium pulchritudine cum primis admirãdæ: præterea fluminibus nauigabilibus, ac mari portuoſo commodæ. Ad hæc exercitus ingens, equa ſpectatiſſima atque excellens, ſatellitium haud exiguum, triremes, pecuniarum uis maior quàm ut poſſet numerari, uaſorum argenteorum plurima copia, reliquáque omnis illa principatus tragœdia, ſtrepituſq; & apparatus, ſupra q̃ credi queat, extructus atq; accumulatus. Itaq; quũ prodirem, plerique adorabant, deum quempiam intueri ſeſe rati, aliiq; trudentes alios cõcurrebant, quo me conſpicerẽt, nonnulli conſcenſis tectis, magni æſtimabant, ſi plene contemplari licuiſſet quadrigam, ſtragulam, diadema tum anteambulones, & eos qui à tergo comitabantur. Ego inter hæc mihi cõſcius, quantæ me res diſcruciarent, uerſarentq; illos quidẽ propter inſcitiam uenia dignos iudicabam: at mei ipſius miſerebat, qui prægrandibus illis Coloſſis uiderer perſimilis: qualis uel Phidias, uel Myron, uel Praxiteles fabricatus eſt. Etenim illorũ quiſq; quo ad ea, quæ foris apparent, Neptunus ipſe eſt, aut Iupiter, mirifice decorus auro, eboréque compactus: & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuſcinam

ſcinam dextra ſuſtinet. Cæterum ſi immiſſo capite quæ ſunt intus inſpicias, uidebis uectes quoſdam, paxillos, & clauos introrſum prominentes, neque non uimina, cuneoſq; & picem ſublitam, & aliam item id genus deformitatē intrinſecus inhabitantem. Omitto recenſere muſcarum, muſtelarumq; uim, quæ nonnunq; in eis manſitant. Huiuſmodi quædā res nimirū regnum quoq; uidetur. MICYL. Nondū explicuiſti, lutum, & clauos, & uectes, quinam fuerint in imperio, neq; fœditatem illam plurimā quænam ſit, nam iſtum ad modū uectari, tam multis imperare mortalibus, ac numinis inſtar adorari. Hactenus quidem cum Coloſſi exemplo quadrat. Siquidem hoc quoq; diuinum quiddam & admirandū, nunc autem quæ ſint intra Coloſſum exponito. GAL. Quid primo loco tibi referam Micylle: utrū metus, curas mordaces, ſuſpiciones, odium, quo regem perſequuntur ij, qui cum illo uiuunt: inſidias, atq; eas ob res ſomnū rarum, & hunc ipſum pertenuem, ac plena tumultus inſomnia, cogitationes perplexas, ſpes ſemp improbas, an ocij penuriā, & occupationes, iudicia, expeditiones, edicta, fœdera, cōſultationes? quibus rebus fit, ut ne per ſomniū quidem aliqua re ſuaui frui liceat; uerū ut omnibus de rebus ſolus diſpiciat neceſſe eſt, milleq; negocia ſuſtineat.

Quippe nec Atriden Agamēnona dulcis habebat
Somnus, multigenas uerſantem pectore curas.

Idq; quum reliqui omnes Achiui ſterterent. Adde quod Lydum illū diſcruciat filius mutus: Perſam uero, Clearchus ad Cyrum deſciſcens, Atq; alium quempiam, Dion cum Syacuſanis nōnullis ad aurem cōmunicans. Rurſum alium quendā urit Parmenion collaudatus. Item Perdiccam Ptolemæus. Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoq; moleſtiam adferunt: amaſius peruim nō ſponte cōuiuens, concubina alio gaudens, tum ſi qui defectionem parare dicantur: aut duo, quatuorue ſatellites inter ſeſe conſuſurrantes. Porrò (quod eſt omnium grauiſſimum) amiciſſimi quiq; uel maxime ſunt formidandi, ſemperq; metuendum, ne quid magni mali ab illis exoriatur. Nam alius à filio ueneno necatus eſt: alius item ab amaſio. Aliūm ſimile quoddā fortaſſis mortis genus eripuit. MICYL. Apageſis. Atrocia, mitaq; ſunt iſta quæ narras ō Galle. Mihi igitur multo ſit tutius operæ cerdonicæ pronum incumbere, quàm ex aurea bibere phiala comiter delatum hauſtum: cæterū cicuta, aconitoq; temperatū. Nam mihi quidem hoc unū eſt periculi: ut ſi paulum aberret ſmilion, defectatq; à recta inciſione, ſummū ſecantis digitum exiguo ſanguine tingit. At iſti quemadmodum narras, letifera agunt conuiuia, atq; id innumerabilibus in malis conſtituti. Deinde ubi conciderint, perſimiles eſſe uidētur tragœdiarū hiſtrionibus

hiſtrionibus. Nã multi ſicut uidere licet, quoad Cecropes ſunt ſcilicet, aut Siſyphi, aut Telephi diademata geſtant, argenteiſq; capulis gladios, comamq; uentilantem, & auro intertextam chlamydem: quod ſi quis (qualia nimirum permulta ſolent accidere) impulſos illos media in ſcena præcipites det, riſum profecto moueant ſpectatoribus: uidelicet perſona una cum ipſo diademate cõtrita, uero autem actoris capite luxato, cruribusq; maximãq; ex parte renudatis: ut iam interioris amictus, & miſeri ſint panni fiat perſpicuum: ac cothurnorum quos pedibus induxerunt, appareat deformitas, haudquaq; ad pedis modum reſpondentium. Vide ut me iam ſimilitudines conferre docueris optime Galle. Cæterum tyrannis talis quædam res tibi uiſa eſt eſſe: uerum ubi equus eſſes, aut canis, aut piſcis, aut rana, quomodo eam uitæ rationẽ ferebas? GAL. Iſtum quem nunc ſuſcitas ſermonem & longior ſit, neq; huius temporis. Illud autem unum in genere dixerim: nullã ex omnibus uitam mihi non uiſam tranquilliorem uita humana, naturalibus dumtaxat cupiditatibus & uſibus circumſcriptam. Siquidem publicanum equum, aut ſycophantam ranam, aut ſophiſtam graculum, aut popinatorem culicem, aut cinædũ gallum, atq; id genus alia, quæ uos ſtudio cõminiſcimini, haudquaq; inter illos uidebis. MICYL. Quæ dicis, ó Galle, fortaſſis uera ſunt: uerum non me pudebit apud te fateri, quod mihi accidit. Haud unq; quiui dediſcere cupiditatem illam à puero mihi inſitam, uidelicet ut diues euadam. Quin nunc quoq; ſomnium illud ob oculos uerſatur, aurum oſtentans: potiſſimum autem ſceleſtus ille Simon excruciat, qui quidẽ tantas inter opes deliciet. GAL. At ego te iſto leuabo morbo Micylle, tametſi nox etiamdum eſt. Surge modo, ac ſequere me. Siquidem ad ipſum te Simonem adducam, atq; in aliorum diuitum ædes, quo nimirum uideas, quomodo res habeant apud illos. MICYL. Iſtuc quo pacto, clauſis foribus? Num me parietes tranſfodere cõpelles? GAL. Nequaq;, uerum Mercurius, cui ſum ſacer, hoc optanti mihi largitus eſt, ut ſiquis longiſſimã caudæ plumam, quæ ob molliciem inflectitur. MICYL. Atqui duas habes eiuſmodi. GAL. At dextram ex his auulſam cuicunq; ego geſtandam dedero, is quoad uoluero, fores omneis poterit apire, cũctáq; uidere, ipſe inuiſibilis. MICYL. Equidem ignorabã, ò Galle, te præſtigiarũ quoq; peritum eſſe. Porrò ſi mihi iſthuc ſemel præſtiteris, uidebis illico Simonis uniuerſas opes huc deportatas, nam eas huc rediẽs tranſferam. At ille rurſum circũrodet, ebibetq; putria coria, quibus cõſueuit ſoleas cõpingere. GAL. Atqui nefas ſit iſtuc facere. Siquidem Mercurius illud mihi mandauit, ut ſiquis pennam tenens, iſtiuſmodi quippiam patrarit, uociferans furẽ proderem. MICYL. Rem neutiq; ueriſimilem nar-

ras, nempe Mercurium quum ipse sit fur, non sinere alios, ut idem faciant. Sed tamen abeamus. Nam aurum auferam, si modo possim. GAL. Pennã prius reuellito. Quid hoc rei? ambas reuulsisti. MICYL. Tutius hoc quidem ò Galle, tum tibi minus fœdum sit futurum, ne altera caudæ parte mutilatus claudices. GAL. Age sanè, sed utrum Simonem prius adimus, an alium quempiam dituitum? MICYL. Haud aliò, imo ad Simonem, qui uidelicet pro dissyllabo, tetrasyllabus esse affectet, posteaq; diues euasit. Sed iam ad fores accessimus. Quid igit deinceps facio? GAL. Pennam fære admoue. MICYL. Ecce autem, dij boni, ostium perinde atq; claui resilijt. GAL. Perge porrò præcedens. Vides illum uigilantem ac supputantem? MICYL. Video per Iouem, & quidem ad obscuram siticulosamq; lucernulã. Præterea pallet, haud scio unde Galle, totusq; exaruit, atq; extenuatus est, mirum, ni curis. Neq; enim auditũ est illum alioqui male habere. GAL. Auscultra quid dicat siquidem intelliges, quibus de causis ad eum modum sit affectus. SIMON. Nimirum septuaginta illa talenta tuto admodũ sub lectica deffossa sunt, neq; quisq; alius omnino uidit. At uero, sedecim illa Sosylus equiso uidit me sub præsepi occultantem: itaq; de curando stabulo non est admodum sollicitus, quanq; nec alias admodũ laboris appetens, uerisimile est autem illum multo etiã his plũra sustulisse. Nam unde alioqui Tibius heri tã ingens salsamẽtum illi obsonio proposuisset? Tum autem aiunt, illum monile emisse uxori drachmis quinq. Heu misero mihi. Hi omnia mea dissipabunt bona. Quid qd ne pocula quidem sat in tuto mihi recõdita sunt, quum sint multa. Vereor enim, ne quis ea suffosso pariete tollat. Complures mihi inuident, atq; insidias parant, Præter cæteros autem Micyllus iste uicinus. MICYL. Ita per Iouem. Nam tibi sum similis, ac patellas sub ala gesto. GAL. Tace Micylle, ne protinus ipso in furto nos prodas, SIMON. Optimũ igitur fuerit, ut ipse insomnis seruẽ. Omnem obibo domum in orbem obambulãs. Quis iste? uideo te per Iouem. O parietum perfossor, posteaq; es colũna, bene res se habet. Pernumerabo denuo refossum argentum, ne quid forte dudum me fugerit. En rursum, obstrepuit mihi nescio quis. Nimirum obsideor, atq; insidijs appetor ab omnibus, ubi mihi gladius? Si quemq; deprehendero, rursum aurum defodiamus. GAL. Sic tibi habent ò Micylle, res Simonis. Sed abeamus ad alium quempiam, donec noctis adhuc aliquantulum supereſt. MICYL. O miser, cuiusmodi uiuit uitã? hostibus eueniat ad hunc modũ diuitem esse. Itaq; pugno illi in maxillã illiso, uolo discedere. SIMON. Quis me pulsauit? Latrocinio despolior miser. MICYL. Plora ac uigila auricq; similis corpore reddaris, quandoquidẽ illi affixus, deditusq; es.

Nos autem

Nos autem,si uidetur, Gniphonem fœneratorẽ uisamus. Nam necis procul hinc habitat,ipsæ nobis suapte sponte fores patuerũt. GAL. Vides hunc quoq; curis inuigilantem, & usurarum rationes iterantem digitis contortis? cui propemodũ relictis his omnibus sit in silpham,aut culicem,aut muscam abeundum. MICYL. Equidem uideo miserum ac uecordem hominem,ne nũc quidem multo meliorem uiuere uitam,q̃ silphæ aut culicis. Adeo totus & hic à curis & rationibus est extenuatus. Nunc ad aliũ eamus. GAL. Ad tuũ,si uidetur,Eucratẽ. En tibi fores p se patuere. Quin introimus? MICYL. Paulo ante hæc oia mea erant. GAL. At etiã nunc tu diuitias somnias? uides igit̃ Eucratẽ ipsum quidem à famulo,uirũ natu grandem. MICYL. Video profecto quiddã haudquaq̃ uirile. Porrò altera ex parte ipsam item uxorẽ à coquo cõstuprari. GAL. Quid ergo? Num optaris & horũ hæres existere Micylle,cũctáq̃ possidere,quæ sunt Eucratis? MICYL. Haudquaq̃ Galle. Imo fame citius interierim, quàm id genus quippiam patrarẽ. Valeat aurum & conuiuia. Duo oboli mihi potiores diuitiæ sunt, q̃ si à domesticis mihi domus perfodiatur. GAL. Sed iam nunc quãdoquidem dies fermè diluxit,domum ad nos redeamus. Reliqua rursus aliàs uidebis Micylle.

LVCIANI SOMNII SIVE GALLI FINIS. DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

ORNATISSIMO IV-

RIS VTRIVSQVE DOCTORI THOMAE Ruthallo Secretario regio, Nunc episcopo Dunelmensi, Erasmus Roterodamus, S. P. D.

IDE quãtum audaciæ mihi suppeditet singularis quædã ingenij tui, morũq̃ facilitas, humanissime Ruthalle: qui cũ neutiq̃ ignorem te inter Aulicos primores, uel autoritate, uel gratia, uel splendore, uel eruditione præcipuũ esse: tamẽ nõ uerear meas nugas rudes adhuc,uixq̃ è prima scheda repurgatas ad tuã excellẽtiam mittere. Sed quid facerem? Iam urgebat nauita, uentos & æstum nulli seruire clamitãs. Itaq̃ ne nihil mei apud hominẽ tam nostri studiosum relinquerẽ, id quod tum forte erat in manibus: Misanthropũ misi nimirũ ad uirum unum omniũ Philãthropotaton, Is est Luciani dialogus: quo uix alius lectu,uel utilior,uel iucũdior,uersus quidem ille iampridẽ ab alio nescio quo: sed ita uersus,ut interpres

hoc modo demõſtrare uoluiſſe uideat, ſeſe neq; græce ſcire, neq; latiſ
ne, nec temere adeo quis ſuſpicetur eum interpretem ſubornatum eſſe
ab ijs, qui Luciano male uolunt. Tu noſtram hanc audaciam boni cõ-
ſules: & Eraſmum in eorum numero pones, qui tui ſunt amantiſſimi.
Vale, Londini. An. M. D. IIII.

LVCIANI TIMON

SIVE MISANTROPVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

IVPITER Philie, hoſpitalis, ſodalitie, domeſtice, ſul-
gurator, iuſiurãdice, nubicoge, grãdiſtrepe: & ſi quod
aliud tibi cognomen attoniti Poetæ tribuũt, maxime
quum hærent in uerſu. Nam tũ illis tu multinominis
factus, carminis ruinã fulcis, metriq; exples hiatum.
Vbi tibi nũc magnicrepũ fulgur, grauifremum toni-
tru? ubi ardens, candẽs, ac terrificũ fulmen? Nam hæc omnia iam palã
apparet, nugas eſſe, fumumq; poeticũ, nec omnino quicq; præter no-
minum ſtrepitũ. Sed decantata illa tua arma eminus feriẽtia exprom-
ptáq;, neſcio quomodo penitus extincta ſunt, frigentq; adeo, ut ne mi-
nimam quidẽ ſcintillulã iracũdiæ aduerſus nocentes reliquã ob tineãt.
Itaq; citius quiuis ex his, qui peieraturi ſunt, extinctũ ellichnium me-
tuerit, q; flammã fulminis cuncta necãtis: uſqadeo titionem quempiã
in ſeſe uibrare te putãt, ut incẽdiũ aut fumum ab illo proficiſcens, nihil
quicq; formident: uerum hoc ſolũ uulneris inferri poſſe iudicent, ut fu-
ligine compleant. Quibus rebus factum eſt, ut iam Salmoneus tibi ſit
auſus etiã obtonare: neq; id admodũ ab re: quippe aduerſus Iouẽ uſq;
adeo ita frigidũ, uir ad facinora feruidus, audaciáq; tumidus. Quid ni
enim faciat, ubi tu perinde ac ſub mãdragora ſtertis: qui neq; peieran-
tes exaudias, neq; eorũ qui flagitia cõmittunt, reſpectum agas? Cæcu-
tis aũt lipitudine, & hallucinaris ad ea quæ fiũt: aures q; iam tibi obſur
duerunt, inſtar horũ, qui ætate defecti ſunt. Quãdoquidẽ quũ iuuenis
adhuc eſſes, acriq; aio, uehemenſq; ad iracundiã: permulta in homines
maleficos ac uiolentos faciebas. Neq; tum unq; tibi cũ illis erant indu-
ciæ. Sed perpetuo fulmẽ erat in negocio: perpetuò obumbrabat Aegis:
obſtridebat tonitru: fulgur cõtinenter iaculorũ in morem, dẽſiſſime ex
ædito loco deuolantiũ torquebatur. Terræ quaſſationes, cribri inſtar
frequentes: ad hæc nix cumulatim, neq; nõ grando ſaxorũ in morem:
atq; ut teũ grandius loquar, imbreſq; rapidi & uiolenti, ac flumẽ quo-
tidie exũdans. Hinc tantũ repente Deucalionis ætate, naufragiũ ortũ
eſt: ut omnibus ſub aqua demerſis, uix unica ſcaphula ſeruaret: quæ in

montem

moptem Lycorẽ appulit, humani generis quasi scintillulas quasdã seruans, unde sceleratius etiã genus in posterũ propagaret. Nimirũ igit dignum secordia præmiũ ab illis reportas: quũ iam nec sacta faciat tibi quisq̃, nec coronas offerat: nisi siquis obiter in Olympicis: ac ita ut ne is quidem rem admodũ frugiferam facere uideat: sed priscum quendã ritum magis referre, ac penè Saturnũ, ò deorũ generosissime, te reddũt, magistratu abdicantes. O mitto loqui, quoties iam templũ tuũ sacrilegio cõpilarint: quum tibi etiã ipsi in Olympiacis manus admoliti sunt. Atq̃ interea tu altifremus ille pigritabaris, uel excitare canes, uel uicinos aduocare: ut auxilio accurrentes illos cõprehenderẽt, quũ etiãdum ad fugam adornarent. Sed egregius ille, gigãtumq̃ extinctor & Titanum uictor sedebas: quũ tibi cæsaries ab illis circumtõderetur, decẽcubitale fulmen dextera tenens. Horum igitur, ò prædare, quis tandẽ erit finis, quæ tu adeo secure despicis? aut quando de tantis maleficijs pœnas sumes? Quot Phaethontes, aut Deucaliones, satis idonei sint ad expiandũ tam inexhaustã morum iniquitatẽ? Etenim ut de cõmunibus sileã: de ijs quæ mihi acciderunt dicã: quum tam multos Athenienses in sublime euexerim: ex pauperrimis diuites reddiderim: cunctisq̃ quotquot opus haberent, suppeditarim, imo semel uniuersas opes in amicos iuuãdos effuderim. Simulatq̃ his rebus ad inopiã deueni, iam ne agnoscor quidẽ ab illis, nec aspicere dignantur me, quidudũ reuerebantur, adorabant, meoq̃ de nutu pendebãt. Quod si quando per uiam ingrediens, forte fortuna in eorũ quempiam incidero, perinde ut euersam hominis iam olim defuncti statuã, ac tẽporis longitudine collapsam prætereũt, quasi ne norint quidem. Porrò alij procul cõspecto me aliò sese detorquent: existimãtes sese inauspicatũ, abominãdumq̃ uisuros spectaculum, quem non ita pridẽ seruatorem & adiutorẽ suum esse prædicabãt. Itaq̃ prementibus malis ad extrema redactus cõsilia, renone arrepto, terram exerceo, quaternis cõductus obolis: atq̃ hic cũ solitudine, cumq̃ ligone philosophor. Hoc interim lucri mihi uideor facturus, quod posthac non intuebor pleroscq̃ præter meritũ secundis fortunæ successibus utentes. Nam illud uel maxime urit. Iam igit tandem aliquãdo Saturni Rheæq̃ proles excusso profundo isto, grauiq̃ somno (nam Epimenidem quoq̃ dormiẽdo uicisti) denuo iactato fulmine, aut ex Oetha redaccenso, ingenti reddita flãma iram aliquã strenui illius ac iuuenilis Iouis ostẽde, nisi uera sint quæ à Cretẽsibus de te, tuáq̃ sepultura ferunt. IVPITER. Quis hic est Mercuri, quẽ audio sic uociferantẽ ex Attica, ad radicẽ mõtis Hymetti, horridus totus, ac squalidus, pelléq̃ hircina amictus? fodit aũt ut arbitror, nam pronus incũbit homo loquax & cõfidens, mirũ ni philosophus est, neq̃ em̃ alioqui

adeo impia,nefariáq; in nos fuerat dicturus. MERCVRIVS. Quid ais pater,an non nosti Timonem Enchecratidis filiũ Colyttẽsem? Hic nimirum est, qui nos sæpenumero in sacris legitimis conuiuio accepit, ille repente dives factus,ille qui totas Hecatombas, apud quem splendide Iouialia festa consueuimus agitare. IVPITER. Hem quænã ista rerum commutatio? hiccine honestus ille? diues,quem tam frequentes cingebãt amici? Quid igitur accidit ut hoc sit habitu? squalidus,erumnosus,fossor conductitius,uti conijcio,quum tam grauem ligonem gerat? MERCVR. Ad hunc modũ illum quodammodo probitas euertit, atq; humanitas,& in omnes quicunq; egerent misericordia. At re uera uecordia potius facilitasq; , nullusq; in suscipiendis amicis delectus, quippe qui neutiq; intellexerit,sese coruis lupisq; largiri. Quin magis quum à uulturibus tam multis misero iecur eroderetur , ob id amicos eos, necessariosq; iudicabat , quasi beneuolentia erga sese afficerentur, quum illos epulæ magis caperent. Ergo posteaq; ossa penitus nuda sssent, circumrosissentq;,deinde siqua medulla suberat, hanc quoq; admodum diligenter exussissent,aufugerunt, exuccum et radicitus desectum destituentes,adeo ut postea ne agnoscant quidem,aut aspiciant, tantum abest ut sint qui suppeditent,impartiantq;. Has ob res fossor, & sago,ut uides, opertus pelliceo urbem præ pudore fugiens, mercede terram exercet, aduersus ingratos atra bile stomachatur , qui quidem sua benignitate ditati, admodum fastuose nunc prætereant, ac ne nomen quidẽ an Timõ uocetur,nouerint. IVPIT. Atq; profecto uir neutiq; fastidiendus,neq; negligendus, & iure optimo indignatur, qui ijs tantis in malis agat. Quare sceleratos istos adulatores ipsi quoq; fuerimus imitati,si eum uirum neglexerimus,qui tantum taurorum & caprarum pinguissimas quasq; nobis in aris adoleuerit. Quarum nidor etiamdũ mihi in naribus residet. Tametsi propter negocia maximãq; turbam peierantium,tum ui,non iure agentium,neq; non aliena rapientium,præterea ob formidinem,quem mihi pariunt sacrilegi,qui quidem tum multi sunt, tũ obsertiatu difficiles, adeo ut ne minimũ quidẽ nos cõniuere sinãt. Iampridẽ profecto ad Atticã regionem oculos detorsissem, maxime posteaq; philosophia & de uerbis digladiationes, apud istos increbuerũt , ita ut pugnãtibus inter se istis,uociferãtibusq; ne exaudire quidem mortaliũ uota liceat. Vnde mihi necessum est,aut auribus obturatis sedere,aut dirũpi ab eis,cõficiq;,qui uirtutẽ quandã, & incorporea quedã, merasq; nugas ingenti uociferatione cõnectunt. hæc in causa fuerũt ut hunc quoq; neglexerim, quũ haud mediocriter de nobis sit meritus. Quod reliquũ est Mercuri, tu Plutum adducens, quantũ potes ad istũ abeas. Porrò Plutus unà secũ ducat & thesaurũ,

& utriq;

& utriq; apud Timonem pſeuerent. Neq; uſq; adeò facile demigrent, etiam ſi q̃; maxime rurſum illos per benignitatem ex ædibus exegerit. Cæterum de palponibus illis, atq; ingratitudine qua in hũc ſunt uſi, in poſterum cõſultabo: pœnasq; daturi ſunt, ſimulatq; fulmen inſtaurauero. Nam fracti ſunt in eo retuſa cuſpide duo è radijs maximi: quum nuper auidius in ſophiſtã Anaxagorã iacularer, qui ſuis familiaribus ſuadebat, nullo pacto eſſe ullos nos, qui dij uocaremur. At illum quidẽ errore non feriebam, propterea quod Pericles obtenta manu eum protexerit. Cæterum fulmen in Caſtoris ac Pollucis templum detortum, tum illud exuſſit, tum ipſum parum abfuit, quin ad ſaxum cõminueretur. Quanq; interim uel id ſupplicij ſatis magnum in iſtos fuerit, ſi Timonem conſpexerint egregie locupletem factum. MERCVRI. Quantum habet momẽti altum uociferari, & obſtreperum audacemq; eſſe? Idq; non ijs modo qui cauſas agunt, uerũetiam qui uota faciunt conducibile. En mox è pauperrimo diues euaſerit Timon, qui ſe in precando clamoſum & improbum præſtiterit, Iouemq; reddiderit attentum. Quod ſi ſilentio fodiſſet incuruus: etiam nũc foderet neglectus. PLVTVS. At ego Iupiter haudquaq; ad iſtum rediturus ſum. IVPITER. Quid ita non rediturus optime Plute, præſertim à me iuſſus? PLVTVS. Quoniam per Iouem iniuria me affecit ejjciẽs, & in multa fragmenta diſſecans: idq; quum illi paternus eſſem amicus, ac me, penè dixerim, fuſcinis ex ædibus extruſit, nec aliter q̃; ij, qui è manibus ignẽ abijciunt. Num rurſus ad iſtũ ibo: paraſitis, adulatoribus & ſcortis donandus? Ad eos me mitte ò Iupiter: q munus intellecturi ſint, qui amplexuri: quibus equidem in precio ſim, & maiorem in modum exoptatus. At hi ſtupidi cum inopia commercium habeant, quam nobis anteponunt: utq; ab ea accepta ſago pellíceo, ligonéq; ſat habeant, quum quatuor lucrantur obolos, decem talenta cõtemptim dono dare ſoliti. IVPIT. Nihil iſtiuſmodi poſthac in te facturus eſt Timõ, quippe quẽ ligo abũde ſatis corripuerit: niſi prorſus nullũ dolorẽ ſentiunt illius ilia. te uidelicet potius, q̃; inopiã eſſe præoptandã. At tu mihi querulus admodũ uideris eſſe, qui nunc Timonẽ incuſes, quod tibi patefactis foribus libere permiſerit uagari, neq; includens, neq; zelotypus in te. Porrò alias diuerſa de cauſa in diuites ſtomachabare, quũ diceres te ab illis repagulis, clauibus, ac ſignorũ obiectaculis impreſſis ita fuiſſe cõcluſum, ut ne ſpicere quidẽ in lucem tibi liceret. Id igit' apud me deplorabas, affirmãs p̃focari te nimijs tenebris, eóq; pallidus nobis occurrebas, & curis cõfectus, digitis etiãnum ex aſſiduo colligẽdi, coaceruãdi q; uſu cõtractis, cõtortiſq;, qd' ſiquãdo daretur opportunitas, aufugiturũ quoq; ab illis te minitabare. In ſumma, rem ſupra modũ acerbã iudicabas in

æreo ferreóue thalamo, Danaës exẽplo, uirginẽ asseruari, atq; à scelestissimis educari pædagogis, fœnore & cõputo. Proinde absurdè facere aiebas hos, quod te præter modũ adamarent: neq; (quũ liceret) frui auderẽt, neq; quũ ipsis esset in manu, amore suo secure uterent: sed uigiles obseruarent, ad signũ ac seram oculis nunq; conniuentibus, neq; usq; dimotis, semper intuentes, abunde magnũ fructũ arbitrantes: nõ quod ipsis fruendi facultas adesset, sed quod nemini fruẽdi copiam facerent, non aliter q; in præsepi canis, nec ipsa uescẽs hordeis, nec equũ famelicum id facere sinens. Quinetiã ridebas istos, qui parcerẽt, asseruarentq;, & (quod esset absurdissimũ) ipsi quidem sibi subtraherent, uererẽturq; cõtingere, non intelligerent aũt fore, ut aut sceleratissimus famulus, aut dispẽsator, aut liberorũ pædagogus furtim subiret, ludibrio habiturus infelicem & inamabilẽ herum, quẽ postea sinat ad fuliginosam, & oris angusti lucernulã, ac siticulosum scirpulũ usuris inuigilare. Quid itaq; an non iniquũ, quũ hæc quondã inculsaueris, nunc in Timone diuersa his criminari? PLVTVS. Atqui si rem uere perpẽderis, utrũq; me iure facere iudicabis. Nam & Timonis ista nimia lenitas, negligẽtia potius, haud beneuolẽtia, studiumq; quod ad me pertinet, merito uideat. At è diuerso, qui me ostijs ac tenebris inclusum seruabant, id agentes, quo scilicet crassior, saginatiorq;, ac uehemẽter corpulẽtia onustus euaderẽ: quũ interim neq; ipsi cõtingerent, neq; in lucẽ producerẽt, ne uel aspicerer à quopiam, hos dementes & cõtumelioso in me iudicabã, quippe qui me nihil cõmeritum tot in uinculis cogerẽt situ cariẽq; putrescere, haud intelligẽtes, quo mox demigrẽt, me alij cuipiã, cui fortuna fauerit, relicturi. Nec hos igit probo, sed ne illos quidem, qui nimiũ facile mihi manus admouent. Sed qui (quod est optimũ) mediocritate utant, uti nec prorsus abstineãt, neq; penitus profundant. Etenim illud per Iouẽ cõsidera Iupiter: Siquis ubi puellulã & formosam lege duxisset uxorẽ, postea neq; obseruet, nec ulla omnino zelotypia prosequatur, uidelicet sinens illã noctu atq; intẽrdiũ quocunq; libitũ sit ire, & quicũq; uoluisse cũ his habere rem, uel pdũcat potius ultro ut adulteret, fores aperiens, prostituruq;, & quoslibet ad illã inuitãs, num hic amare uidebitur? profecto hoc tu nequaq; dices Iupiter, qui sæpenumero amorem senseris. Rursum si ingenuã lege domum deducat, uti liberos legitimos progeneret, cæterũ nec ipse cõtingat florentẽ etate, decoramq; uirginẽ, nec aliũ sinat aspicere: sed inclusam, orbam, sterilemq; in perpetua uirginitate cõtineat, idq; præ amore se facere prædicet, & hunc quidẽ præferat, pallore corpore exhausto, oculis refugis, num fieri potis est, ut huiusmodi non desipere uideatur? quippe qui quum liberis oportuerit operam dare, fruiq; cõiugio, puellam adeo formosam atq; amabilem

sinat

sinat emarcescere, per omnem uitam tanq̃ Cereri sacerdotem alens. Huiusmodi & ipse indigne fero: quum à nõnullis ignominiose cædor calcibus, laniorq̃, atq̃ exhaurior à nõnullis contra perinde, ut stigmaticus fugitiuus compedibus uincior. IVPITER. Quid est autem quod aduersus illos indignerisquandoquidem utriq̃ pœnas egregias luunt. Alteri quidem dum Tantali in morem, neq̃ bibere sinũtur, neq̃ edere: sed ore sicco duntaxat inhiãt auro. Alteri uero dum his ceu Phyneo cibos harpyæ ipsis è faucibus eripiunt. Sed abi iã, Timone, multo post hac usurus cordatiore. PLVTVS. An ille aliquando desinet me ceu foraminoso cophino, priusq̃ omnino influxerim, data opera exhaurire, quasi conetur occupare, quo minus influam: ueritus, ne si copiosius infundar, ipsum undis obruã? Quo fit, ut in Danaidum dolium aquam mihi uidear illaturus, frustráq̃ infusurus, uase non continente liquorẽ: imo prius propemodum effuso quod influit, q̃ influxerit. Adeo latus dolij hiatus ad effusionem ac liber exitus. IVPITER. Proinde ni hiatum istum obturauerit, perpetuamq̃ perstillationem sistere studuerit: te propediẽ effuso, facile rursum sagum, & ligonem in dolij fæce reperiet: sed interim abite, atq̃ illum diuitem reddite. At tu Mercuri fac memineris: ut rediens Cyclopas ex Aetna, tecum adducas: quo fulmẽ cuspide restituta resarciant. Nam eo nobis acuminato opus fuerit. MERCVRIVS. Eamus Plute. Quid hoc? Num claudicas? Equidem ignorabam ò præclare: te non cæcum modo, uerũetiam claudum esse. PLVTVS. Atqui non hoc mihi perpetuum Mercuri: uerum si quando proficiscor à Ioue missus ad quempiã, tum nescio quo pacto tardus sum, & utroq̃ claudus pede, ita ut egræ ad metã pertingere queam: sene nõnunq̃ interim facto, qui me operiebat. Porrò quum discedẽdum est, alatum uidebis multo auibus celeriorem. Vnde fit: ut uix iam amoto repagulo, ego iam præconis uoce uictor pronuncier, saltu stadium trãsmensus, ne uidẽtibus quidem aliquoties spectatoribus. MECVRIVS. At ista quidem haud uera narras: imo ego tibi permultos commemorare queam, quibus heri ne obolus quidem erat, quo restim emerent: qui hodie repente diuites facti, splendide uiuant: albis quadrigis uehantur, quibus ante ne asellus quidem suppeditarit. Ii tamen purpurati, aurumq̃ manibus gestantes obambulant. Qui ne ipsi quidem opinor, credere possunt, quin per somnium diuites sint. PLVTVS. isthac alia res est Mercuri: neque enim tum meis ipsius ingredior pedibus: nec à Ioue, sed a Dite ad istos transmittor: qui & ipse nimirum opum largitor est, ac magna donans: id quod ipso etiam nomine declarat. Itaq̃ quoties est mihi ab aliò ad alium demigrandum: in tabellas iniiciunt me: ac diligenter obsignantes sarcinæ in mo-

rem

rem ſublatum tranſportant. Interea defunctus ille alicubi in ædium tenebricoſa parte iacet, uetere linteo in genua iniecto tectus, de quo feles digladiãtur. Porrò qui me ſperauerant obtinere, in foro operiuntur hiantes: non aliter, q̃ hyrundinem aduolantem ſtridentes pulli. Deinde ubi ſignum detractũ eſt, & lineus ille funiculus inciſus, apertæq; tabellæ, iamq; nouus dominus pronũciatus eſt, ſiue cognatus quiſpiam, ſiue adulator, ſiue ſeruulus obſcœnus, qui puerili obſequio fauorẽ emeruerit: etiam tum mento ſubraſo, pro uarijs & opiparis uoluptatibus, quas illi iam exoletus ſuppeditauerat, ingẽs ſcilicet præmium ferens generoſus quiſquis ille tandem fuerit, nõnunq; me ipſis cum tabellis arreptum, fugiens adportat cõmutato nomine: ut qui modo Pyrrhius, aut Dromo, aut Tibius: iã Megacles, aut Megabizus, aut Protarchus appelletur. Cæterum illos nequicq; hiantes, ſeq; mutuum intuẽtes relinquit: ac uerum luctum agentes, quod eiuſmodi Thynnus ex intimo ſagenæ ſinu ſit elapſus, qui non parum magnam eſcam deuorarit. At hĩc repente totus in me irruens: homo uitæ mundioris atq; elegantioris rudis, pingui, illotáq; cute, qui compedes etiãdum horreſcit: & ſiquis præteriens lorco increpet, arrectis ſtet auribus: quiq; piſtrinum, perinde uti templum adoret: non eſt deinceps tolerandus ijs, quibuſcum uiuit: uerum & ingenuos afficit contumelia, & cõſeruos flagris cædit: experiens, num ſibi quoq; ſimilia liceant, donec aut ſcortulo cuipiam irretitus, aut equorum alendorũ ſtudio captus, aut adulatoribus ſeſe permittens, deierantibus Nireo formoſiorem eſſe: Cecrope, Codróue generoſiorem, callidiorem Vlyſſe, unum autem uel ſedecim pariter Crœſis opulẽtiorem, momento temporis ſemel profundat infelix, quæ minutatim multis ex periurijs, rapinis, flagitijs, fuerant collecta. MERCV. Iſta fermè ſic habẽt uti narras: uerum ubi tuis ipſius ingrederis pedibus: qui tandem, cæcus quum ſis, uiam inuenire ſoles? Aut qui dignoſcis ad quoſnam Iupiter te miſerit, dignos illi uiſos qui diuitijs abundent? PLVTVS. Enimuero, credis me reperire iſtos ad quos mittor? MERCVRIVS. Per Iouem haudquaq;. Neque enim alioqui Ariſtide præterito, ad Hipponicum & Calliam acceſſiſſes, tum ad alios permultos Athenienſes, homines ne obolo quidem æſtimandos. Cæterũ quid facis quandoquidẽ es emiſſus? PLVTVS. Surſum ac deorſum circũcurſans oberro, donec imprudẽs in quẽpiam incurrero: hic autem quiſq; ille ſit, q forte primus me nactus ſit, abducit ac poſſidet, te Mercuri p lucro præter ſpẽ obiecto, uenerans atq; adorãs. MERCV. Num ergo fallit Iupiter: qui quidẽ credat ex ipſius animi ſentẽtia, ditari abs te hos, quos ille dignos exiſtimarit q diteſcerẽt? PLVTVS. Et iure quidem optimo fallit ô bone: quippe qui quũ me cæcum eſſe nõ ignoret

emittat

emittat uestigatum rem usq; adeo repertu difficilem, & iam olim è uita sublatam, quam ne Lynceus quidem facile inueniret, quæ nimirũ adeo obscura sit, ac minuta. Itaq; quum rari sint boni, improbi porrò in ciuitatibus omnia obtineant, oberrans facile in huiusmodi mortales incurro, ac retibus illorum illigor. MERCVR. At qui fit, ut quoties eos deseris, celeriter aufugias quum uiæ sis ignarus? PLVTVS. Tum demum acutum cerno, pedibusq; ualeo, ubi ad fugam tempus inuitat. MERCVR. Iam illud quoq; mihi responde, qui fit, ut quum sis oculis captus (dicendum enim est) præterea pallidus, postremo claudus, tam multos habeas amantes, adeo ut omnes in te defigant oculos? & si potiantur, felices uideantur, sin fruſtrentur, non sustineant uiuere? Ex his equidem nõ paucos noui, qui sic perdite te amarint, ut sese aereo è scopulo piscosi in æquoris alta, præcipites abiecerint, rati fastidiri sese abs te, propterea quod illos nullo pacto respexisses. Quanq; sat scio, tu quoq; fateberis, si quo modo tibi ipsi notus es, furere istos, qui eiusmodi amore sunt dementati. PLVTVS. At enim credis me, qualis sum, talem istis uideri, nempe claudum, aut cæcum, aut si quid aliud adest mihi uitij. MERCVRI. Quid ni, ò Plute? nisi forte & ipsi omnes cæci sunt. PLVTVS. Haud cæci quidem, ò optime, uerum insciti, errorq; quæ nunc occupant omnia, illis offundunt tenebras, ad hæc ipse quoq; ne per omnia deformis sim, persona uehementer amabili tectus inaurato, gemmisq; picturato, ac uersicoloribus amictus eis occurro: at illi rati sese natiui uultus uenustatẽ aspicere, amore capiuntur, dispereũtq; nisi potiantur. Quod si quis me toto corpore renudatum illis ostenderit, dubio procul futurum sit ut se ipsi damnent, qui tantopere cæcuierint, adamantes res neutiq; amandas ac fœdas. MERCVR. Quid ergo posteaq; eò peruentum est ut iam diuites euaserint, iamq; personã sibi circumposuerint, rursum falluntur? Adeo ut siquis illis detrahere conetur, penè caput potius, q; personam abijciant? Neq; enim uerisimile est etiam tum illos ignorare, auro bracteatam esse formam, quũ intus cuncta inspexerint. PLVTVS. Ad id non parum multæ res, ò Mercuri, mihi sunt adiumento. MERCVR. Quænam? PLVTVS. Simulatq; qui me primum nactus est, apertis foribus exceperit, clanculum unà mecũ introit elatio, uecordia, iactantia, mollities, uiolẽti[illegible]dolus, atq; alia item innumerabilia, à quibus omnibus posteaq; est animus occupatus, iam admiratur quæ neutiq; sunt admiranda, & appetit ea quæ sunt fugienda, meq; cunctorum illorum quæ introierãt malorum patrem stupet, illorum satellitio uallatum, quiduis potius passurus, q; uti me cõpellatur reijcere. MERCVR. Vt leuis ac lubricus es Plute, retentu difficilis, ac fugax, neq; ullam præbens ansam certam quo prẽsus

Alludit ad carmẽ Theognidis.

quo prensus teneare: sed nescio quomodo anguillarum ac serpentum in morem inter digitos elaberis. At è diuerso paupertas, uiscosa, prensu facilis, totóq; corpore mille uncos gerit hamos, ut qui tetigerint, illico hæreant, nec facile queant auelli. Verum interea dum nugamur, tem haud paruam omisimus. PLVTVS. Quam? MERCVRIVS. Nempe quia thesaurum non adduximus, quo uel in primis erat opus. PLVTVS. Isthac quidem ex parte bono sis animo. Nam nō nisi in terra relicto illo ad uos ascendere soleo: iussóq; intus manere foribus occlusis: neq; cuiq; aperire, nisi me uociferantem audierit. MERCVR. Iam igiṫ Atticam adeamus. Tu me consequitor chlamydi adhærens, donec extremam uiam attigerimus. PLVTVS. Recte facis Mercuri, quum me per uiam ducis. Etenim si me deseres: forsan oberrans in Hiperbolum aut Cleonem inciderem. Sed quis hic stridor ceu ferri saxo impacti? MERCVRIVS. Timon hic est, qui proxime montanū & petricosum fodit solum: Papæ: adest & Paupertas, & Labor ille, tum Robur, Sapientia, Fortitudo, atq; id genus aliorū turba: quorum omnium agmē Fames iungit longe præstantius, q̄ tui sint satellites. PLVTVS. Quin igitur q̄ocyssime discedimus Mercuri? Neq; enim ullum operæpreciū fecerimus cum homine eiusmodi uallato exercitu. MERCVR. Secus uisum est Ioui: quare ne metu deterreamur. PAVPERTAS. Quo hunc nunc Argicida manu abducis? MECVRIVS. Ad hunc Timonem, ad quem à Ioue sumus ire iussi. PAVPERT. Ita ne rursum Plutus ad Timonem? posteaq; ego hunc antea delitijs male corruptum suscepi: cōmendansq; Sapientiæ & Labori, strenuū, multiq; precij uirum reddidi? Adeo ne despiciēda, iniuriáq; idonea uobis Paupertas iudicor: ut hunc, quæ mihi unica erat possessio, eripiatis: iam exactissima cura ad uirtutem excultum? ut Plutus hic ubi denuo susceperit, per contumeliam & arrogantiam illi manu iniecta, talem reddiderit, qualis erat dudum, mollem & ignauum, ac uecordem: rursum mihi restituat, ubi iam nihili factus erit, & rejculus? MERCVRIVS. Sic ò Paupertas, Ioui placitū est. PAVPERTAS. Equidem abeo. At uos Labor & Sapientia, reliquiq;, cōsequimini me. Porrò hic breui cognoscet, qualis in se fuerim, quam nunc relinquet: nempe adiutrix bona, & rerum optimarum do[illegible] Qui cum donec habuit commercium, sano corpore, ualētiq; animo perseuerauit: uirilem exigens uitam, & ad se se respiciens: supervacua autē & uulgaria ista aliena, ita ut sunt, existimans. MERCVRIVS. Discedūt illi: nos ad eum adeamus. TIMON. Quinam estis, ò sceleste? aut qua gratia huc aduenistis homini operario, mercenarioq; negociū exhibituri? uerū haudquaq; læti abibitis. sceleste ut estis oēs: nam ego uos illico glebis & saxis petitos cōminuā. MERCV. Nequaq; ò Timō,

ne ferito

ne ferito,neq; enim feries mortales:uerum ego sum Mercurius,hic Plutus.Misit nos Iupiter,uotis tuis exauditis. Quare, quod bene uertat, opes accipe,desistens à laboribus. TIMON. Atqui uos iam ploraueritis,etiam si dij sitis ut dicitis.Siquidem odi pariter omnes,tum deos, tũ homines.Sed hunc cæcum quisquis is fuerit,mihi certum est ligone impacto cõminuere. PLVTVS. Abeamus per Iouem Mercuri: quandoquidem hic homo mihi uidetur non mediocriter insanire,ne malo quopiam accepto discedã. MERCVR. Ne quid ferocius Timon:quin exue potius penitus istam ferocitatem,asperitatemq;,ac manibus obuijs excipe bonam fortunam:rursum diues esto:rursum Athenienſium princeps,& ingratos illos despicito,quum solus florebis. TIMON. Nihil mihi uobis est opus,ne obturbate.Sat opum mihi ligo:præterea fortunatissimus sum,si nemo propius ad me accesserit. MERCVR. Adeó ne quæso inhumaniter?

Hæc ego sæua Ioui refero atq; immania dicta?

Atqui par erat forsitan homines tibi haberi inuisos, ut qui tam multa indigna in te cõmisissent deos odio te prosequi nequaq; erat consentaneum,quum illi tantopere tui curam agant. TIMON. At tibi Mercuri, Iouiq;,quod me respicitis,plurimam equidem habeo gratiam: cæterũ hunc Plutũ nequaquàm recepero. MERCVRIVS. Quid ita? TIMON. Quoniam pridem innumerabilium malorum hic mihi fuit autor, quũ me assentatoribus proderet,insidiatores in me inuitaret,cõflaret odiũ, illecebris corrumperet,inuidiæ obnoxium redderet:denicq; quũ repente me adeo perfide ac proditorie destituerit. Cõtra,paupertas optima, me laboribus uiro dignissimis exercens,mecumq; uere & libere conuiuens,& quibus opus erat suppeditauit laborãti,& uulgaria ista docuit contemnere,effecitq; ut mihi uitæ spes omnis ex me ipso penderet,demonstrans quænam essent opes uere meæ;nempe quas neq; adulator assentans,neque sycophanta minitans,neq; plebes irritata,neq; concionator suffragiorum autor,neque tyrannus intentis insidijs queat eripere. Itaq; iam ualidus effectus ob laborem,dum hunc agellum gnauiter exerceo,neque quicq; eorum quæ sunt in ciuitate malorum aspicio,abunde magnum & sufficientem uictum mihi ligo suppeditat. Quare tu Mercuri,quam uenisti uiam remetiens,recurre,unà tecum Plutum adducens ad Iouẽ.Illud mihi sat fuerit,si effecerit ut omnes mortales per omnem ætatem eiulent. MERCVR. Nequaq; ô bone:neq; enim oẽs ad eiulandum sunt accõmodi,Quin tu iracunda,puerilia que ista missa face,ac Plutum excipe,non sunt reijcienda munera,quæ à Ioue proficiscuntur. PLVTVS. Vin Timon ut contra te partes defendam meas,an grauiter feres si quid dixero? TIMON. Dicito,ne multis tamen, neque

cum proœmijs,quemadmodum perditissimi isti solẽt Oratores. Nam huius Mercurij gratia te feram paucis dicentem. PLVTVS. Atqui multis mihi potius erat dicendum,tot nominibus abs te accusato. Attamẽ uide:num qua in re te quemadmodum ais læserim: qui quidẽ dulcissimarũ quarumq; rerum tibi extiterim autor,opifexq;, autoritatis, præsidentiæ,coronarum,aliarum item uoluptatum:mea opera conspicuus eras,celebris & obseruandus. Cæterum si quid molesti ab adulatoribus accidit:nõ mihi potes imputare,quin ipse magis abs te sum affectus cõtumelia,propterea quod me tã ignominiose uiris illis execratis suppeditans:qui te mirabãtur, ac præstigijs dementabãt,mihiq; modis omnibus insidias struebant. Porrò quod extremo loco dixisti,te à me proditũ,desertumq; fuisse: istud criminis in te possum retorquere, quum ipse sim modis omnibus à te reiectus, præcepsq; exactus ex ædibus. Vnde pro molli chlamyde,sagum istud charissima tibi paupertas circũposuit. Itaq; testis est mihi hic Mercurius, quantopere Iouem oraverim ne ad te uenirem,qui tam hostiliter esses in me debacchatus. MERCVR. At nunc uides Plute,in cuiusmodi hominẽ sit cõmutatus. Proinde audacter cum illo consuetudinem age. Tu uero fode ita ut facis. Tu interim thesaurum sub ligonem adducito. Audiet enim si tu accersiueris. TIMON. Parendum est Mercuri,rursusq; ditescendum. Quid enim facias quũ dij compellant? tamẽ uide,in quas turbas me miserũ conijcies:qui quidem quũ ad hunc usq; diem felicissime uixerim,tantum auri repente sum accepturus,nihil cõmeritus mali,tantumq; curarum susceptурus. MERCVR. Sustine Timon mea gratia:tametsi graue est isthuc,atq; intollerandum:quo uidelicet palpones illi præ inuidia rũpantur. Ego porrò superata Aetna in cœlũ reuolauero. PLVTVS. Abijt ille quidem sicut apparet. Nam ex alarum remigio facio coniecturam. Tu uero hic operire,siquidem digressus Thesaurũ ad te transmittam, sed feri fortius,tibi loquor auri Thesaure, Timoni huic audiens esto,offerq; temet eruendum. Fodi Timon altius impingens. Cæterum ego à uobis digredior. TIMON. Age iam ó Ligo,nunc mihi tuas uires explica,neque defatigere,dum ex abdito Thesaurum in apertum euocaris. Hem prodigiorum autor Iupiter, amici Corybantes,ac lucifer Mercuri,undenam auri tantum? Num somnium hoc est? Metuo ne carbones reperturus sim experrectus. Atqui aurum profecto est insigne,fuluum,graue,& aspectu multo iucundissimum.

Pulcherrima Aurum faustitas mortalibus.

Quippe quod ignis in morem ardes,noctesq; & dies renides. Ades ó mihi charissimũ desideratissimũq;, nũc demũ credo uel Iouem ipsum olim aurũ esse factum. Etenim quæ tandẽ uirgo, non exporrecto sinu

usq;adeo

uſqȝadeo formoſum amatorẽ excipiat,per tegulas illapſum?ó Myda Crœſéqȝ,ac munera,Delphico in templo dicata:ut nihil eratis ſi cũ Timone,cumqȝ Timonis opibus conferamini:cui ne Perſarum quidẽ rex par eſt.O Ligo,ſagum chariſſimum uos huic Pani ſuſpendi commodum eſt.At ego quammaxime ſemotum mercatus agrum,turriculáqȝ ſeruandi auri gratia conſtructa, uni mihi affatim uixero: ſepulchrum item inibi mihi defuncto parare eſt ſentẽtia. Hæc igitur decreta ſunto, placitáqȝ in reliquum uitæ:ſeiunctio ,ignorantia,faſtidium erga mortales omnes.Porrò amicus,hoſpes,ſodalis,aut ara miſericordiæ, meræ nugæ.Tum cõmiſerari lachrymantem,ſuppeditare egentibus, iniquitas, ac morum ſubuerſio: at uita ſolitaria, qualis eſt lupis: unus ſibi amicus Timon: cæteri omnes hoſtes, & inſidiarum machinatores. Cum horum quopiam congredi,piaculum: adeo ut ſi quem aſpexero duntaxat,inauſpicatus ſit ille dies. In ſumma: non alio nobis habeantur loco,quàm ſigna ſaxea,æreáue:neqȝ fœcialem ab illis miſſum recipiamus,neqȝ fœdera feriamus. Solitudo terminus eſto.Cæterum tribules, cognati,populares: poſtremo patria ipſa, frigida quædam & ſterilia nomina,ſtultorumqȝ mortalium gloriæ:ſolus Timon diues eſto:deſpiciat omnes: ſolus ipſe ſecum oblectetur,liber ab aſſentationibus,& oneroſis laudibus diȝs ſacra faciat: epuletur ſolus,ſibi ipſi uicinus,ſibi particeps,excutiens ſeſe ab aliȝs. Ac ſemel decretum eſto:ut unus ſeipſũ comiter accipiat,ſi moriendum ſit,aut neceſſe habeat ſibi ipſi coronam admouere.Nullúmqȝ nomen ſit dulcius,quàm Miſanthropi,id eſt,hominum oſoris.Morum autẽ notæ,difficultas,aſperitas,feritas,iracũdia, inhumanitas:quod ſi quem conſpexero incendio conflagrantem, obteſtantemqȝ quo reſtinguam,pice oleóqȝ reſtinguere: rurſum ſi quẽ flumẽ undis abſtulerit,iſqȝ manus porrigens,imploret ut retineatur: hũc quoqȝ demerſo capite propellere,ne poſſit emicare,hunc ad modũ par pari relaturus eſt.hanc legem Timon tulit Echecratides Colyttenſis:& concionis ſubſcripſit ſuffragiȝs idem ille Timon. Age hæc decreta ſunto: hæc fortiter tueamur. Cæterum magno emerim ut id omnibus innoteſcat,quod opibus abundo:nam illa res illos præfocauerit.ſed quid illud?Hem quæ trepidatio?undiqȝ concurrunt,puluerulenti atqȝ anheli,haud ſcio unde aurum odorati. Vtrũ igitur hoc conſcenſo colle ſaxis eos abigo,è ſublimi deiaculãs: an hac tantum in re legem uiolabimus, ut ſemel cum illis congrediamur:ut magis angãtur,faſtiditi, repulſíqȝ? Ita ſatius eſſe duco.Itaqȝ reſtemus quo illos iam excipiamus.Age proſpiciam:primus eorũ iſte quis eſt?Nempe Gnathonides adulator, qui mihi nuper cœnam petenti, funẽ porrexit, quũ apud me ſæpenumero ſolida dolia uomuerit. Sed bene eſt quod ad me uenit:nã primus omnium ua-

nium uapulabit. GNATO. An non dixi Timonem uirum bonũ nõq; negle-cturos esse deos? Salue Timon formosissime, iucundissime, cõuiua-tor bellissime. TIMON. Scilicet & tu Gnatonides, uulturum omnium edacissime atque hominum perditissime. GNATO. Semper tibi grata dicacitas. Sed ubi compotamus? Nam nouam tibi adfero cantilenam, ex his quos nuper didici dithyrambis. TIMON. Atqui elegos canes, admodum miserabiles, ab hoc doctus ligone. GNATO. Quid istuc? Feris ó Timon? Attestor ó Hercules: hei hei in ius te uoco apud Areo-pagitas, qui uulnus dederis. TIMON. Atqui si cunctere paulisper, mox cædis me reũ ages. GNATO. Nequaq;, quin tu planè uulneri medere, paululo auri inuncto. Mirũ enim in modũ præsentaneum id est reme-diũ. TIMON. Etiam manes? GNATO. Abeo. At tibi male sit, qui qui-dem ex uiro cõmodo tam sæuus factus sis. TIMON. Quis hic est qui accedit recaluaster ille? Philiades, assentatorum omniũ execratissimus. Hic quum à me solidum acceperit fundum, tum filiæ in dotem talenta duo, laudationis præmiũ, quum me canentem reliquis silentibus, omni-bus solus maiorem in modum extulisset, deierans me uel oloribus ma-gis esse canorum, ubi me pridem ægrotum conspexisset: nam adieram oraturus ut mei curam ageret: plagas etiam egregius ille uir impegit. PHILIADES. O impudentiam, nunc demum Timonem agnoscitis: nũc Gnatonides amicus & conuiua: enimuero habet ille digna se, quã-doquidem immemor est atq; ingratus. At nos qui iam olim conuicto-res sumus æquales ac populares: tamen modeste agimus, ne insilire ui-deamur. Salue here, fac ut istos adulatores sacrilegos obserues, qui nus-quàm adsunt nisi in mensa: præterea à coruis nihil differũt. Neq; post hac huius ætatis mortalium ulli fidendum est. Omnes ingrati, & scele-sti. At ego quum tibi talentum adducerem, quo posses ad ea quæ uel-les uti, in uia accepi, te summas quasdam opes esse nactum. Proinde ac cessi his de rebus admonitũrus te, quanq; tibi forsitan me monitore ni-hil erat opus, uiro nimirum adeo prudenti, ut uel Nestori ipsi, si neces-se est, consiliũ dare queas. TIMON. Ita fiet Philiades, sed age, accede quo te ligone comitet accipiam. PHILIADES. Viri caput mihi cõminutum est ab hoc ingrato, propterea quod eum ea quæ in rem illius erant, ad-monui. TIMON. Ecce tertius huc orator Demeas se recepit, tabulas dex-tra gestans, aitq; se mihi cognatũ esse. Hic una die de meo sedecim talẽ-ta ciuitati dependit: nam damnatus erat, acuinctus. At quum soluẽdo non esset, ego misertus illum redemi. Porrò quum illi forte obuenisset, ut Erechteidi tribui distribueret ærarium, atq; ego adiens, id quod ad me redibat poscerem, negabat se ciuem nosse me. DEMEAS. Salue Ti-mon: præcipuũ generis tui præsidiũ, fulcimentũ Athenienſiũ, defensa-

culum

culum Græciæ. Profecto iamdudum te populus frequens, & utraq; curia opperit. Sed prius decretū audi, quod de te cōscripsi. Quādoquidē Timon Echecratidæ filius, Colyttensis uir, non modo probus & integer, uerumetiam sapiens, quantum alius in Græcia nemo, nunq; per omnem uitam destitit optime de Rep. mereri. Tum autem in olympicis uicit pugil. & lucta cursuq; die eodē, ad hæc solenni quadriga, equestriq; certamine. TIMON. At ego ne spectator quidem unq; in olympicis sedi. DEMEAS. Quid tum? spectabis posthac, sed ista cōmunia adi satius est. Tū anno superiore aduersus Acharnenses pro Rep. fortissime se gessit, & Peloponensium duas acies conscidit. TIMON. Qua ratione? Quippe qui nec unq; arma gesserim, neq; unq; militiæ dederim nomen. DEMEAS. Modeste tu quidem de teipso loqueris, nos tamen ingrati futuri sumus, nisi meminerimus. Præterea scribendis plebiscitis, & in consultationibus, & in administrandis bellis non mediocrem utilitatem attulit Reipu. His decausis omnibus uisum est, curiæ, plebi, magistratibus tributim, plebeijs singulatim, cōmuniter uniuersis, aureum statuere Timonem iuxta Palladem in arce: fulmen dextra tenentem: radijs tempora ambientibus, utq; septem aureis coronis coronetur, hæq; coronæ hodie in Dionysijs per Tragœdos nouos promulgentur. Siquidem hodie, illi Dionysia sunt agenda. Dixit hoc suffragium Demeas orator, ppterea quod cognatus illius propinquus, ac discipulus eius sit. Nam & orator optimus Timon: præterea quicquid uoluerit. Hoc igitur tibi suffragiū, sed utinam & filiū meū ad te pariter adduxissem, quem tuo nomine Timonem appellaui. TIMON. Qui potes Demea, quum ne uxorem quidem duxeris unq;, quantum nobis scire licuit? DEMEAS. At ducam, nouo ineunte anno, si deus permiserit, liberisq; operam dabo. Tum, quod erit natum (erit autem masculus) Timonem nūcupabo. TIMON. An uxorem tu sis ducturus, equidē haud scio, tāta à me plaga accepta. DEMEAS. Hei mihi. Quid hoc est rei? Tyranni dē Timon occeptas? pulsasq; eos qui sunt ingenui, ipse nec ingenuus planè, nec ciuis: uerum propediem pœnas daturus, quum alijs nominibus, tum quod arcem incenderis? TIMON. Atqui nō conflagrauit arx scelesta. Proinde palàm est, te calumniatorem agere. DEMEAS. Verū effosso ærario dives effectus es. TIMON. Atqui non effossum isthuc, unde nē hæc quidem probabiliter abs te dicuntur. DEMEAS. Verū effodietur posthac, sed tu interim omnia quæ in eo condita, possides. TIMON. Alteram itaq; plagam accipe. DEMEAS. Hei scapulis meis. TIMON. Ne uociferare, alioqui & tertiam tibi illidam. Etenim res planè ridicula mihi acciderit, si quū inermis, duas Lacedæmoniorū acies fuderim, unū scelestū hominē non protriuero. Tū frustra uicerim in olym-

pijs,& pugil & palæstrites.Sed quid hoc? An non philosophus Thrasycles hic est? profecto ipsus est, pmissa barba, subductisq; supercilijs, & magnũ quiddã secũ murmurans accedit, Titanicũ obtuens, cæsariẽ per scapulas fluentẽ uentilãs, alter quidã Boreas, aut Triton, quales eos Zeusis depinxit. Hic habitu frugalis, incessu moderatus, amictu modestus, mane mirũ q̃ multa de uirtute differit, damnans eos, qui uoluptate capiuntur, frugalitatẽ laudans, at ubi lotus ad cœnam uenit, puerq; ingentẽ illi calicem porrexit, meraciore autem maxime gaudet: perinde ut Lethes aquã ebibens, à dilucularijs illis disputatiõibus diuersissima quæ sint exhibet, dũ milui instar præripit opsonia, & proximũ cubito opposito arcens, mento interim cõdimentis oppleto, dũ canum ritu ingurgitat, prono incumbẽs corpore: perinde atq; in patinis uirtutẽ inuẽturũ sese speret, dumq; usq; adeo diligẽter catinos extergit indice digito, ut ne paululũ quidẽ reliquiarũ sinat adhærere; nunq̃ nõ querulus, tanq̃ deteriorẽ partem acceperit, uel si totam placentã, aut suem solus omniũ accipiat, qui quidẽ edacitatis & insatiabilitatis est fructus, temulentus, uinóq; bacchatus, non ad cantũ modo, saltationemq;, uerũ ad conuiciũ usq;, & iracundiam. Ad hæc multus inter pocula sermo (tum enim uel maxime) de temperantia, sobrietateq;, atq; ista quidẽ loquit, quum iam à mero male affectus ridicule balbutit. Accedit his deinde uomitus. Postremo sublatũ eum de cõuiuio efferunt aliqui, ambabus manibus tibicine inhærentem. Quanq; alioquin sobrius quidem ulli primariorũ cesserit, uel mendacio, uel confidentia, uel auaricia. Quin & inter assentatores primas tenet, peierat, pmptissime, anteit impostura comitatur impudentia. In summa prorsus admirandum quoddã spectaculum est, omni ex parte exactum, uariéq; absolutum: proinde non eiulabit clarius uidelicet quum sit modestus. Quid hoc papæ tandem nobis Thrasycles? THRASYCLES. Non hoc animo ad te uenio Timon, quo plerique isti, qui nimirum opes admirati tuas, argenti, auri, opi parorum conuiuiorum adducti spe concurrunt, multáq; assentatione deliniunt te, hominẽ uidelicet simplicem, faciléq; impartiẽtem id quod adest. Siquidẽ haud ignoras offam mihi in cœnã fat esse, tum opsoniũ suauissimũ cepe aut nasturciũ, aut siquãdo lubeat lautius epulari, pusillũ salis. Porrò potũ fons Athenis nouem saliens uenis suppeditat. Tũ palliũ hoc quauis purpura potius. Nã aurũ nihilo magis apud me in precio est q̃ calculi qui sunt in littoribus. Sed tua ipsius gratia huc me cõtuli, ut ne te subuerterit pessima ista, atq; insidiosissima res opulẽtia: q̃ppe quæ multis sæpenũero immedicabiliũ malorũ extiterit causa. Etenim si me audies, potissimũ opes uniuersas in mare præcipitabis, utpote quibus nihil sit opus bono uiro, quiq; philosophiæ possit opes q̃spicere.

cere. Ne tamen in altũ ô bone, sed fermè ad pubẽ usq; ingressus, paulo ultra solum fluctibus opertum, me quidẽ uno spectante. Quod si hoc non uis, tute igitur eas potiore uia ex ædibus eiicito, ac ne obolum quidem tibi facias reliquũ, uidelicet largiens ijs, quicũq; opus habent, huic quinq; drachmas, illi minam, alij talentum. Porrò si qui erit philosophus, hunc æquum est duplam aut triplam ferre portionem: quanquã hoc quidem mihi non mea ipsius gratia postulo, sed quo amicis, si qui egebunt, donem: sat est si modo peram hanc largitione tua expleueris, ne duos quidem modios Aeginiticos capientem. Nam paruis contentum, modestumq; conuenit esse eum qui philosophatur, neq; quicq; ultra peram cogitare. TIMON. Equidem ista quæ dicis probo Thrasycles: ergo si uidetur, priusquàm peram expleam, age tibi caput opplebo tuberibus, posteaquàm ligone sum mensus. THRASYCLES. O libertas, ô leges, pulsamur ab impurissimo libera in ciuitate? TIMON. Quid stomacharis ô bone Thrasycles? nũ te defraudaui? Atqui adijciam ultra mensuram Chœnices quatuor: sed quid hoc negocij? Complures simul aduenium, Blepsias ille, & Laches, & Gniphon, breuiter agmen eorum qui uapulabunt. Itaq; quin ego in rupem hanc conscendo, ac ligonem quidem iamdudum fatigatum, paulisper interquiescere sino? At ipse plurimis congestis saxis, procul eos lapidum grandine peto. BLEPSIAS. Ne iace Timon, abimus enim. TIMON. At uos quidem nec citra sanguinem, nec absq; uulneribus.

LVCIANI TIMONIS SIVE MISANTHROPI, DES. ERASMO ROTEROD. INTERPRETE, FINIS.

ERASMVS ROTERO

DAMVS RICHARDO VVITFORDO BRITANNO, docto & cum primis iucundo amico. S. P. D.

VIn annis iam aliquot totus Græcanicis in literis fuerim Richarde charissime, nuper quo cum literis Latinis redirem in gratiã, Latine declamare cœpi, idq; impulsore Thoma Moro, cuius (uti scis) tanta est facundia, ut nihil nõ possit persuadere uel hosti: tanta autẽ hominẽ charitate cõplector, ut etiam si saltare me, restimq; ductare iubeat, fimi nõ grauatim obtemperaturus. Tractat ille idem argumentũ, & ita tractat, ut nullus sit omnino locus, quem nõ excutiat eruatq;. Neq; enim arbitror (nisi me uehemens in illum fallit amor) unquam naturam finxisse ingeniũ hoc uno præsentius, promptius, oculatius, argutius, breuiterq; dotibus omnigenis absolutius. Accedit lingua ingenio par, tum

morum mira feſtiuitas,ſalis plurimũ,ſed candidi duntaxat, ut nihil in eo deſideres quod ad abſolutum pertineat patronum. Quare nõ hoc animo laborem hunc ſuſcepi,ut tantum artificem uel æquarem,uel uincerem,ſed uti cum amico omniũ dulciſſimo,qui cum libenter ſoleo ſeria ludicráq; miſcere,in hac ingeniorũ palæſtra quaſi colluctarer: idq; feci eo libentius,quod magnopere cupiam hoc exercitij genus,quo nullum aliud æque frugiferum,in ludis noſtris aliquãdo inſtaurari. Neq; enim aliud eſſe in cauſa puto, quod hac noſtra tempeſtate quum tam multi ſint, qui ſcriptores eloquentiſſimos euoluant, tam pauci tamen exiſtant,qui nõ infantiſſimi uideantur,ſi quando res oratorem poposcerit. Quod ſi tum Ciceronis Fabijq; autoritatem,tum ueterum exemplum ſequuti, ὑπ τοιαύταις μελέταις diligenter à pueris exerceremur,nõ eſſet (opinor) tanta dicendi inopia,tam miſeranda infantia, tam pudenda balbuties etiam in his qui literas oratorias publice profitentur. Noſtram declamationem ita leges,ut eam me pauculis diebus luſiſſe cogites,non ſcripſiſſe. Hortor autem autem ut & Moricam conferas, itaq; iudices,num quid in ſtilo ſit diſcriminis inter hos, quos tu ingenio,moribus,affectibus,ſtudijs uſqadeo ſimiles eſſe dicere ſolebas,ut negares ullos gemellos magis inter ſe ſimiles reperiri poſſe. Vtrunq; certe ex æquo amas,utriq; uiciſſim ex æquo charus. Vale meum deliciũ Richarde feſtiuiſſime.Ruri,ad Calendas Maias, M. D. VI.

LVCIANI TYRANNICIDA, DES. ERASMO ROTEROD. INTERPRETE.

ARGVMENTVM DECLAMATIONIS.

Quidam in arcem aſcendit,ut tyrannũ occideret,atq; ipſum quidẽ non repperit,uerum filium eius interemit, gladiumq; in uulnere reliquit.Adueniens tyrãnus,ubi filium extinctum conſpexit, eodem enſe necem ſibi conſciſcit. Is qui aſcenderat, tyranniq; filium peremerat, præmium tanquam tyrannicida petit.

DECLAMATIO.

Vum duos eodem die tyrãnos occiderim iudices,alterũ quidem ætate iam affecta, alterũ æuo florentẽ, & ad ſcelerũ ſucceſſionẽ capeſſendã paratum, unicũ tamẽ pro ambobus præmiũ petitum uenio,qui quidem unus omniũ quotquot unq; tyrãnicidæ fuerũt, unico uulnere duos maleficos fuerim amolit9,neciq; dederim,filium uidelicet enſe, patrem indulgenti charitate qua filium adamabat.Itaque tyrannus pro his quæ commiſit, abunde magnas

pœnas

pœnas nobis dependit, quippe qui & uiuus aſpexerit, filiũ prius morte ſublatum: & quod eſt omniũ maxime nouũ, compulſus ſit denique ipſe ſui tyrannicida fieri. At filius illius mea quidem manu peremptus eſt, cæterũ occiſus, alterã ad cædẽ operã mihi ſuã cõmodauit, dum qui uiuo patri ſcelerum ſocius fuerat, eiuſdem poſt mortẽ (quatenus licuit) extitit parricida. Ego itaq; ſum is qui tyrannidem ſuſtuli, pariterq; mecum gladius, quo cuncta confecta ſunt, meus: tametſi cædis ordinem cõmutarim, ac morem modumq; nouarim cõficiendi ſceleratos. Nempe hunc qui ualentior erat, ac ſeſe defendere poterat, ipſe perimens: porrò ſenem ſoli gladio reſeruans. His igitur de cauſis & amplius quiddã à uobis me conſequuturũ arbitrabar, præmiáq; laturum, quæ numero æquarent eos qui eſſent interempti: utpote qui non præſentibus modo malis uos leuarim, uerũetiam futurorũ formidine, quiq; ſtabilem pepererim libertatem, nullo relicto qui ſcelerum capeſſat ſucceſſionẽ. Verum interim tantis rebus ſtrenue peractis, in diſcrimen adducor, ne præmio fraudatus à uobis diſcedam, ac ne ſolus nõ feram mercedem, quã leges à me ſeruatæ præſtituunt. At qui contradicit, is mihi uidetur non Reip. ſtudio (quẽadmodũ ait) hoc facere, ſed quod extinctos eſſe illos grauiter ferat, atq; eum qui illis mortis autor extitit, ulciſci conetur. Vos igit' iudices mihi pauliſper attendite, dum tyrannidis mala tãetſi ipſi optime noſtis, cõmemoro. Siquidem hoc pacto futurum eſt, ut & beneficij mei magnitudinẽ intelligatis, & ipſi plus capiatis uoluptatis, reputantes nimirũ quibus ſitis leuati malis. Neq; enim quẽadmodum aliis quibuſdã ſæpenumero accidit, itidem & nos ſimplicem tyrannidẽ atq; unicam ſeruitutem ſuſtinebamus, nec unius domini uiolentiam tolerabamus, uerum ſoli omnium quos ſimilis habuit calamitas, duos pro uno tyrannos habebamus, & in geminas contumelias diſtrahebamur infelices. Porrò ſenex multo erat moderatior, quippe ad iras lentior, ad ſupplicia ſegnior, & ad cupiditates tardior: utpote cui iam ætas uehementiam impetus cohiberet, uoluptatumq; cupiditates refrenaret. Quin ad ſuſcipienda maleficia filij inſtinctu nolens impelli ferebatur, ipſe alioqui non admodum tyrannicus, niſi quod illi morem gerebat. Siquidem indulgens in filium ſupra quàm credi queat erat, id quod re declarauit, ita ut filius illi eſſet omnia. Illi parebat, per uim faciebat quicquid ille iuſſerat: ſupplicio afficiebat quoſcunq; præceperat, ac prorſus in omnibus illi obſequundabat. In ſumma, filius in patrem tyrannum quendam agebat, pater filij cupiditatum ſatelles erat. Tametſi huic propter ætatem honorem cedebat adoleſcens, ſolóq; imperij nomine temperabat, tamen res & caput tyrannidis erat ipſe. Et quanq; tutamentum præſidiumq; principatui ab illo mutuaretur,

aretur,ſcelerum tamen emolumentis ſolus fruebatur. Ille erat qui ſatel lites continebat,qui cuſtodias obtinebat, qui tyrannidem affectantes è medio tollebat,qui inſidias formidabat, ille qui caſtrabat ephebos, qui coniugia uiolabat,illi uirgines producebantur. Tum ſi quæ cædes, ſi qua exilia,ſi quæ pecuniarum expilationes, delationes, contumeliæ, ea omnia iuuenis temeritate gerebātur.Porrò ſenex illi obſequebatur, comiteḿq; ſcelerum ſeſe præbebat,ac comprobabat duntaxat filij ſui flagitia.Itaq; quū ea res nobis erat intoleranda, propterea quod quū animi cupiditatibus ex imperio poteſtas accedit,nullum flagitijs modum imponunt,tum illud in primis diſcruciabat,quod proſpiceremus diuturnam,uel æternam potius ſeruitutē eam futuram,& per ſucceſſionem alij poſt alium domino tradendam Remp.populumq; homini ſceleſto hæreditatis inſtar obuenturum. Nam id aliis ſpem non exiguam facit,quod apud ſeſe reputant,quod inter ſe dicunt:at mox coërcebitur,at mox demorietur,paulo poſt liberi ſumus futuri. Verum de his nihil eiuſmodi ſperabatur,quin potius iam intuebamur, paratum tyrannidis hæredem. Vnde factum eſt, ut ne aggredi quidem quiſq; fortium ciuium, & qui eadem quæ ego animo ſtatuiſſet,auderet. Sed deſperabatur ab uniuerſis libertas,atq; inexpugnabilis tyrannis uidebatur:quippe quū eſſet cum tam multis confligendum ac dimicandū. At me nihil iſta deterruerūt,neq; perpenſa negocij difficultate refugi, neq; ad ſuſcipiendum diſcrimē trepidaui,uerum ſolus:ſolus,inquam, aduerſus adeo ualidam uariamq; tyrannidem:uel non ſolus potius, ſed gladio comite conſcendi:quippe qui mihi ſit auxiliatus, mecumq; ex parte tyrannum interemerit,quū mors mihi interim ob oculos obuerſabatur:At è diuerſo perpendenti, quod publicam libertatem mea cæde redempturus eſſem. Ergo ubi in primam irruiſſem cuſtodiam, neq; mediocri negocio ſatellites ſubmouiſſem:occidens interim,in quē incurriſſem,& quicquid obſiſteret amoliens,ad ipſum negocij caput ferebar,ad unicum tyrannidis robur,ad noſtrarū calamitatum fontem, atq; irrupto arcis propugnaculo, quū uiderem illum fortiter tuentem ſeſe,multisq; uulneribus reſiſtentē,tamen occidi. Et iam tum erat ſublata tyrannis,iam tum mihi confectum facinus. Ex eo tempore liberi omnes,niſi quod reliquus adhuc erat ſenex ſolus,inermis,nudatus cuſtodijs:iamq; amiſſo magno illo ſuo ſatellite deſertus, neq; deinde dignus forti dextra. Ibi nimirum mecum ipſe iudices,hæc animo reputabam. Cuncta mihi pulchre habent,cuncta cōfecta ſunt,cuncta eò quò deſtinaram,perducta. At cum qui reliquus eſt,quo tandem modo pœnas dare conuenit? Me quidē meaq; dextera nequaq; eſt dignus,præſertim ſi poſt ſplendidum facinus iuuenile atq; magnificum interima-

tur.

tur,ptiorem illam cædem dedecoraturus. Carnifex aliquis quærendus est illo dignus, uerum post calamitatem,ne uel hanc ipsam lucrifaciat uideat,discrucietur,appositum habeat ensem,huic reliqua mãdo. Hæc ubi mecũ statuissem,ipse quidem illinc discedo:at ille peregit id quod ego prædiuinaueram,tyrannum occidit,summamq; meæ imposuit fabulæ.Adsum igitur,popularem administrationem uobis adportans, cunctisq; bono iam ut animo sint edicens, ac libertatem annuncians. Iam meis fruimini factis:uacua,sicut uidetis,sceleratis hominibus arx: imperat nemo,quin & magistratus creare liberũ est,& causas agere,& ex legibus cõtradicere. Atq; hæc omnia uobis mea contigerunt opera, meáq; fortitudine,uidelicet ex una illa cæde,post quam pater iam uiuere non quibat. Aequum itaq; censeo,ut his pro meritis debitum mihi à uobis præmiũ donetur,non quod lucri auidus,aut sordidus quispiam sim,nec is qui mercedis gratia de patria benemereri statuerim, uerum quod præmio cupiam officia mea comprobari, neq; repudiari,aut inglorios fieri conatus meos,si uelut irriti præmióq; indigni iudicentur. At hic contradicit,negatq; æquũ facere me, qui decorari munere,præmiumq; ferre cupiam. Neq; enim tyrannicidam esse me, neq; quicq; à me pro legis sentẽtia confectum esse,uerum facinori meo deesse quiddam,ad hoc ut præmiũ postulem. Percontor igitur illũ, quid præterea requiris à me? nónne uolui? nónne ascendi? nónne occidi? nónne libertatem peperi? num quis imperat? num quis iubet? num quis minitat dominus? num quis nocentium manus effugit meas? haudquaq; dixeris,sed omnia plena pacis,omnes restitutæ leges,libertas manifesta, Democratia stabilis,inuiolata connubia,pueri tuti,uirgines absq; periculo,publicamq; felicitatem solennibus feriis celebrat ciuitas. Quis igitur horum omniũ autor? quis est qui illa sustulit? hæc peperit? Etenim si quisq; præ me dignus honore sit,cedam præmiũ,desistam à petẽdo munere. Quod si solus omnia peregi,audens,periclitans,ascendens,interimens,excrucians,alterum ultus in altero,quid mea calumniaris officia? quur facis ut populus parũ erga me gratus existat? At enim num occidisti tyrannum? Porrò lex tyrannicidæ præmium decernit. Verum dic mihi,nunquid interest utrum ipse interimas,an mortis causam ministres? Mea profecto sententia,nihil:uerum hoc solum spectauit legis conditor,libertatem,Democratiam,sceleratorum sublationẽ. Huic honorem decreuit,hoc præmio dignũ iudicauit,quod quidem inficiari nõ potes,quin mea contigerit opera. Etenim si occidi eum, quo occiso, ille nõ poterat uiuere,nimirum ipse cædem peregi,ego occidi,sed illius manu. Itaq; ne discepta de cædis modo,neq; illud expende quemadmodum interierit,uerum an iam perierit, & an quod periit, id â me sit profectum.

profectum. Quandoquidem & illud excussurus mihi uideris, atq; his aduersus bene de Rep. meritos calumnijs usurus. Si quis nõ gladio, uerum lapide lignóue, aut alio quouis pacto peremerit. Quid porrò si fame tyrannũ obsedissem, ad mortis necessitatem compellens: num ibi quoq; requisiturus eras à me cædem, méa ipsius manu peractam: aut desiderari adhuc quiddam diceres, ad id ut legi factum à me satis uideatur: atq; id quũ scelestum acerbius etiam atq; atrociore mortis genere trucidassem: Vnũ hoc duntaxat specta, hoc require, hoc excute. Quis nocentiũ reliquus: aut quæ metus expectatio: aut quod calamitatum uestigiũ: Quod si purgata omnia, si pacata, profecto sycophanticum est, modum rei gestæ calumniantẽ præmio frustrari uelle, quod ijs quæ uirtute confecta sunt debeatur. Equidem & illud memini dissertum in legibus, nisi forte propter diutinam seruitutem oblitus sum eorum quæ ab illis dicũtur: Causam mortis esse duplicem: puta, si quis ipse occidat, aut si non ipse quidem occidit, neq; manu facinus peregit, uerum compulit, præbuitq; mortis occasionem. Ex æquo & hũc quoq; lex censet supplicio affici oportere, idq; iure optimo. Neq; enim statuit minus ualere oportere audaciã quàm facinus: ac postea superuacaneũ est cædis rationem uiamque spectare. Deinde hunc qui sic occiderit, tanquã homicidam pœnas oportere dare censebis, ac nequaq; absoluendum esse. At me qui per omnia consimili modo Remp. iuui, non censes ea capere oportere, quæ ijs debentur qui beneficio iuuerunt. Neq; enim illud dicere possis, me quidem imprudentẽ fecisse, sed exitum quendam cõmodum fortuitu fuisse consequutũ præter animi sententiã. Nam quid præterea iam formidassem, eo qui ualidior erat interempto: Quur autem gladiũ in uulnere reliquissem, nisi planè quod erat euenturum, id ipsum prædiuinassem: Nisi forsan illud dices, hunc qui extinctus est, tyrannũ non esse, neq; hanc appellationem in illum competere: neq; uos multum præmij hoc nomine, si ille fuisset occisus, decreturos fuisse. Atqui istud dicere nõ queas: an tyranno interempto, ei qui cædis causam ministrauit, præmium negabis: O curiositatem, de illo laboras quo pacto interierit, quũ interim libertate fruaris: aut ab eo qui Democratiam restituit, nescio quid superuacaneũ præterea requiris: Atqui lex (uti fateris) caput rei gestæ spectat. Quæ uero ad id cõducunt, ea omnia missa facit, neq; iam ultra curiosius excutit. Quid enim, an si tyrannũ exegerit quispiam, nõ is iam tyrannicidæ præmiũ cepisset: cepisset opinor, idq; iure optimo: siquidẽ & hic pro seruitute libertatem peperisset. At id quod à me patratum est, non exilium habet, non in posterum instaurandæ tyrannidis metum, uerum absolutam sublationem, totiusque generis internitionem, omnéque malum

radicitus

radicitus exciſum.Et mihi per deos,iam ab initio ad finem uſq; (ſi uidetur)rem totam perpendite,nunquid eorū quæ ad leges ptinent ſit prætermiſſum,& num qd in me deſideretur ex his,quæ Tyrānicidæ oportebat adeſſe.Principio mentem prius oportet ſuppetere fortē,& amantem Reip.quæq; pro cōmunibus commodis periculum adire non recuſet,quæq; priuato ſuo interitu multitudinis incolumitatem auſit redimere. Nū hac parte quicquàm mihi defuit? Num frāgebar animo? Num quum præſcirem per quæ pericula mihi perrumpendū eſſet, per ignauiam refugi? Profecto non potes dicere.In hac interim parte tantum cōmorare,atque æſtima,an non uel uoluiſſe tātum iſta,ac ſtatuiſſe,præclarum facinus futurum fuiſſe uideatur.Ac putato me ſolius animi,uoluntatiſque argumēto præmium poſtulare, tanq; qui beneficio iuuerit.Tum ſi uoluntati meæ facultas defuiſſet: uerum alius poſt me Tyrannum occidiſſet,dic mihi:num abſurdum aut præter æquum fuerat dare præmium? Maxime.Si dicerem, ciues uolui , ſtatui, aggreſſus ſum:uoluntatis experimentum dedi,ſolus dignus ſum qui præmiū feram: Quid tum reſponſurus fueras? Nūc porrò non hoc dico,ſed inſuper aſcendi,periclitatus ſum,atque innumerabilia priuſq; iuuenem occiderem,patraui.Neq; enim uſq; adeo facilem,factuq; procliuem eſſe rem exiſtimetis,cuſtodias perrumpere,ſatellites opprimere,unumq; hominem tam multos amoliri.Quin iſthuc penè maximū eſt omniū quæ ſunt in Tyrannicidio,totiuſque negocij caput.Nam ipſe iam Tyrannus non magna res eſt,neque expugnatu,neque confectu difficilis: uerum ea quæ tuentur continentq; Tyrannidem, quæ quidem ſiquis ſuperarit,is nimirum cuncta quæ deſtinauit,peregerit,& perpuſillū eſt, id quod ſupereſt.Sed ad Tyrannos peruenire nunq; mihi contigiſſet, ni prius qui illum cingūt cuſtodes oppreſſiſſem, omneſq; ſatellites ante debellaſſem.Nihil adhuc addo:uerum in his rurſum immoror.Cuſtodiam oppreſſi,ſatellites ſuperaui: Tyrannū incuſtoditum, inermē, nudum reddidi.Vtrum his rebus confectis,non tibi uideor honore dignus? an adhuc cædem ipſam à me requires? Quinetiā ſi cædem quæris,ne ea quidem deſiderabitur.Non ſum incruentus:uerū cædem peregi,magnam ac ſtrenuam : nempe iuuenis ætate ac uiribus florentis, atq; omnibus formidandi,per quem ille ab inſidijs erat tutus,cui uni fidebat,qui complurium ſatellitum inſtar erat.An non igitur, quæſo te, præmio dignus uideor,ſed tātis rebus geſtis honore fraudabor? Quid enim ſi ſatellitem unum,atq; adeo quid ſi Tyranni miniſtrum quenpiam interemiſſem? Quid ſi ſeruum aliquem charū? an nō hoc quoq; magnum uiſum fuiſſet,conſcendiſſe,mediáque in arce,medijs in armis, aliquem è Tyranni familiaribus iugulare? Nunc & hunc ipſum qui occiſus eſt

ciſus eſt,cuiuſmodi ſit conſidera.Filius erat Tyranni,uel Tyrannus potius,crudelior,dominus intolerabilior,ad ſupplicia dirior,ad contumelias uiolentior,quodq; eſt maximum,hæres ac ſucceſſor omniũ, quiq; in longum noſtras calamitates poſſet prorogare. Vin hoc ſolum mihi confectum eſſe? Ipſum uero Tyrannum uiuere adhuc,fuga ereptum? Iam horum nomine præmium poſtulo.Quid dicitis? Nõ dabitis? An non & illum uerebamini? An non dominus,an non grauis,an non intolerandus erat? Porrò nunc negocij caput, denicq; ipſum perpendite. Etenim quod hic à me requirit,hoc quàm fieri potuit,pulcherrime confeci. Tyrannumq; aliena cæde occidi,non ſimpliciter,nec uulnere uno, id quod fuerat optatiſſimum illi,uidelicet tantorum facinorum ſibi cõſcio,ſed poſteaq; illũ prius multo dolore excarnificaſſem,tũ quo nihil habebat charius,miſerabiliter proſtratum coram oculis oſtendens:puta filium in ipſo æui flore,tametſi ſceleſtum quidem illum: attamen & ætate uigentem,& patri ſimilem,ſanguine tabóq; oppletum. Hæc nimirum ſunt parentum uulnera,hij gladij uerorum Tyrannicidarũ,hæc mors digna crudelibus Tyrannis,hæc ultio tantis ſceleribus congruit. Cæterum protinus interire,protinus excidere ſibi,neque huiuſmodi ullum ſpectare ſpectaculum,profecto nihil habet Tyrãnico ſupplicio dignum. Neque enim ignorabam uir egregie,non ignorabam, inquam, neque quenq; alium latuit,quanta ille charitate filium ſit proſequutus, adeo ut illo extincto,ne paululum quidem temporis ſibi in uita morã dum eſſe fuerit ducturus. Atqui haud ſcio,an omnes patres hũc ad modum affecti ſint erga liberos:uerum hic etiam ultra reliquos habebat quiddam,idq; merito,quippe qui conſpiceret illum unicum eſſe qui curaret,ſeruaretq; Tyrãnidem,quiq; ſolus pro patre pericula ſuſciperet, & tutamen imperio adderet. Itaq; ſi non ob charitatem,certe ob rerum deſperationem ſciebam illum protinus exiturum è uita, perpenſurum enim,iã nihil eſſe quur uelit uiuere,adempto tutamine, quod illi filius miniſtrauerat. Nimirum effeci,ut hæc omnia illum agminatim circũſiſterent,forma,dolor,deſperatio,formido,quiq; in poſterum imminebant metus,his aduerſus illum auxilijs ſum uſus,atq; ad id extremum illud conſilium adegi. Interijt itaq; uobis orbus,excruciatus,plorans,lachrymans. Luxit luctum,non illum quidem diuturnum,uerum qui ſatis magnus eſſet patri. Poſtremo quod eſt omnium acerbiſſimum,ipſe ſibi necem conſciuit,quod quidem mortis genus, præ cæteris miſerrimum,multóq; atrocius,quàm ſi per aliũ inferatur. Vbi mihi gladius? Num quis alius eum agnoſcit? Num cuius alterius hoc geſtamẽ erat? Quis eum in arcem induxit? Ante tyrannum quis eo eſt uſus? Quis eũ ad illum miſit? O enſis particeps, ſucceſſorq; meorũ egregie factorũ.

poſt

post tanta pericula,post tantas cædes cõtemnimur, & indigni præmio iudicamur.Nam si huius tantum nomine præmium à uobis postularem:si sic dicerem iudices:Tyrannum quum mori uellet,quum id temporis inermem se deprehendisset,meus hic illi gladius inseruiuit, & ad consequendam libertatem auxilio fuit uniuersis,hũc quoq; laude, præmióq; dignum iudicassetis.Porrò domino tam popularis rei non gratiam retulissetis?Nónne inter eos qui de Rep.benemeriti sunt, scripsissetis?Nónne gladium inter sacra monumenta consecrassetis?Non illum secundum deos ueneraremini?Nunc mihi considerate, quæ uerisimile est fecisse Tyrannũ,quæ dixisse,priusq; sibi mortem conscisceret.Quũ iuuenis à me trucidaretur,ac multis etiam uulneribus cõfoderetur,idq; in his corporis partibus,quæ conspicuæ magis,magisq; sint oculis obuiæ,uidelicet ut q̃maxime discruciaret eũ,qui genuerat, quóq; primo statim conspectu perturbaret,miserabiliter inclamabat,parentem implorans non adiutorem,nec opitulatorem:quippe qui senex iam esset, atq; inualidus:uerum domesticarum cladium spectatorem.Nam ego interim discesseram,autor qui fueram totius tragœdiæ,relinquẽs actori cadauer, scenam,gladium,reliqua quæ ad actum fabulæ pertinebãt. At ille astans,ubi filium conspexit,quem habebat unicum: semiuiuũ, sanguinolentum,cæde cosperſum,tum uulnera perpetua,plurima ac letalia,hunc ad modum exclamauit:O nate extincti sumus,interempti sumus,tanq; Tyranni iugulati sumus. Vbi mactator? Cui me seruat? Cui me relinquit? qui quidem iamdudum propter occisum te fili sum extinctus,nisi forte me tãq; senem contemnit,ac lento supplicio me cõficit:producitq; mihi mortem,redditq; mihi cædem longiorem.Atque hæc loquutus,ensem quærebat.Nam ipse inermis erat, ꝓpterea quod per omnia filio fideret:uerum ne is quidem deerat, ut qui iamdudum fuerit à me paratus,atq; ad facinus futurum relictus.Euulso igitur è cæde gladio,atq; è uulnere exempto,ait:Dudum me occidisti,nunc finem malis impone gladio.Ades patri lugenti solamen, senilemq; manum & infelicem adiuua,iugula.Tyrannum occide,luctu libera:utinam prior in te incidissem,utinam in cæde priorem occupassem locum.Occidissem quidem,sed tanq; Tyrannus duntaxat,sed qui crederem mihi superesse ultorem,nunc autem tanq; orbus occumbo,nunc tanq; cui desit etiam mactator.Atq; hæc ubi diceret,gladium adegit,tremens neq; sat potens.Cupiebat quidem:uerum non suppetebant uires ad facinus exigendum.Quot hic supplicia? Quot uulnera? Quot mortes? Quot Tyrãnicidia? Quot præmia? Postremo spectastis omnes iuuenem dudum prostratum,nec exiguum profecto,neque mediocriũ uiriũ opus, ac senem huic circũfusum,atq; amborum sanguinẽ cõmixtum,libertatis illam

tis illam & uictorialem uictimam,meiq; gladij facinora. At gladius ipse in medio amborum:declarans quàm non indignum se domino præstitit:testansq; quod mihi fidam nauasset operam. Id si à me ipso fuisset patratum,minus fuerat futurum. Nunc aũt illustrius est ipsa nouitate. Atq; ego quidem sum is,qui tyrannidem sustuli. Cæterum actio in multos est distributa,quemadmodum in fabulis fieri consueuit. Ac primas quidem partes egi ipse. Secundas autem filius. Porrò tertias Tyrannus ipse. Nam gladius omnibus inseruiuit.

LVCIANI TYRANNICIDAE, DES.
ERASMO ROTERODAMO
INTERPRETE,
FINIS.

DECLAMATIO

DES. ERASMI ROTERODAMI, NON ILLA QVIDEM VERSA, SED QVAE SVPERIORI DECLAMATIONI E LVCIANO VERSAE RESPONDEAT.

I MIHI CAVSA hæc iudices,apud concionem popularem,quæ studijs potius,quàm exacto rerum iudicio duci consueuit,esset agenda,ac non magis apud iudices ex honestissimus ordinibus delectos, nimirum grauissimos sapientissimosq;,nonnihil profecto uererer, ne omnium animis noua hac & insperata lætitia gestientibus,atq;(ut ita dixerim)exultãtibus,nec satis attentos,nec dociles essem auditores habiturus. Porrò fauẽtes,beneuolosq; multo minus:quippe qui frontem modo,quasiq; personã huius negocij intuentibus,non faciem ipsam propius contemplantibus uideri fortasse possim,in cõmuni totius ciuitatis gaudio:tum autem in causa tam populari,uelut importunius obstrepere atque obturbare. Enimuero quum omnis affectus inutilis est ad recte iudicandum,tum ingens,intemperans,atque exundans lætitia,non solum iudicium omne funditus tollere solet,uerumetiam nostri sensus non raro nobis eripere: præsertim(si quemadmodum hæc nostra)post graues diuturnasq; calamitates, ac ueluti tempestatem sæuissimam,repente præterq; spem (quasi portus quidam)fuerit obiecta. Quid autem tam acerbum liberæ multitudini, quàm seruitus? Quid tam dulce,quid tam exoptatum,quàm libertas? Itaq; non rebus modo ipsis,sed uel inanibus harum rerum uocabulis, plebis animã queant ad quidlibet impelli:maxime primis his aliquot diebus

diebus,dum gaudiorum adhuc uelut æſtus quidam impotens, omnia ſurſum ac deorſum miſcet,dum lætitiæ temulentia,dum gratulãdi dulcis quædam ebrietas pectus occupans,animum ad cogitandum inſtituere non ſinit. Verũ ueſtra iudices ſingularis ſapiẽtia, perſpicacitaſq́, non hoc tantum ſcrupulo me leuat,uerum & hanc mihi fiduciam ſuppeditat,uti ſperem futurum,ut hoc contradicendi munus,quod equidẽ nec inuidentia,nec fauore in Tyrannidem (ſicut iſte calumniabatur)ſed ſolita mea,&(ut opinor)nota Reip.charitate ſuſcepi,uobis non modo nõ inuidioſum,ſed fauorabile,plauſibileq́ uideatur.Etenim poſtq́ uiderem manifeſta quadã deorum beneuolentia,poſt diuturnam ac miſerrimã illã ſeruitutem,toties Reip.uotis expetitam libertatẽ aliquãdo contigiſſe,nihil prius curandũ nobis eſſe iudicaui,q́ ut gratos nos exhiberemus in eos, à quibus nobis tã egregia felicitas eſſet ꝓfecta, quo uidelicet munus ſuum huic urbi propriũ, perpetuumq́ facere uellent, & conſtabilire,tueriq́ quod largiti non eſſent grauati. Meminiſſemq́ iſdem in manu eſſe,ut eriperent ingratis,quod optantibus dediſſent. Sunt autem uel primæ gratitudinis partes,intelligere uidelicet,cui beneficium acceptũ ferre debeas.Et hac una ratione mortales diuinæ beneficentiæ gratiam referre poſſumus:ſi beneficiũ acceptũ agnoſcamus: ſi celebremus,ſi ad illos autores referamus.Neq́ mihi cõmittendũ putaui,ut dum nimium candidi in ciuem eſſe uolumus,in deos ingrati,impijq́ reperiamur.Neq́ enim iſthoc nomine nũc perinde laboratur, ne hoc præmij pereat ærario,& huius lucris accreſcat(quanq́ id quoq́ longa iam Tyrannide exhauſtius eſt,quàm ut inde temere dari præmia cõueniat immerentibus)Illud agitur,ne dijs immortales qui huius male conſulta,nobis uerterunt bene,hoc tantũ munus à nobis tãq́ ingratis repoſcant.Si quod ipſis ſolis debetur honoris,laudis, gratiæ,id illis fraudatis,in hominẽ contulerimus.At quem hominẽ obſecro? Nempe,qui quum priuatus contra leges iuuenem occiderit,atq́ hac temeritate ſua reſtitutæ libertatis periculoſam occaſionem modo præbuerit, idq́ adeo imprudens(uti mox docebimus)non ueretur pulcherrimũ Tyrannicidæ titulũ dijs eripere,ſibi arrogare: Reip. diẽ dicere, ac leges ipſas in ius uocare, ciuitatẽ ingratitudinis ream agere,niſi ſibi totã hãc felicitatem ferat acceptam.Nullum quidem iudices facinus ſpecioſius Tyrannicidio,nullum dijs dignius:uerum hoc impudẽtior, qui ſibi laudem tam eximiam uſurpat immeritus.Nullũ præmium honeſtius illũ ſtriuſq́,quàm quod Tyrannicidæ debetur.Sed hoc impenſius,accuratiuſq́ ſpectandũ,ne temere decernatur indigno. Permulta ſiquidem, permulta ad id requirũtur,ut hoc tam egregio titulo,ut hoc tã diuino præmio dignus quis eſſe uideatur:quorum nihil in hunc cõpetere, pau

lopoſt euincemus. Proinde quũ non tolerandæ improbitatis mihi uideatur, qui legibus tum homicidij, tum temeritatis pœnas debeat: eum à legibus præmium omnium maximum petere: petere dixi, imò flagitare: & ita flagitare, ut etiam ſi unum ex huius arbitrio depẽderint, tamen multa inſuper iſti creditori ſunt debituræ. Quæ cuncta quum poſtulare iure potuiſſet: maluit tamen homo uerecundus, unico perſoluto, reliqua ſibi deberi: ut haberet nimirum, quod obnoxiæ Reipu. quoties libido ſit, poſſit improperare. Tum illud utrum riſu potius, an odio dignum exiſtimem: quod in tribunalibus, quod apud ornatiſſimum ſe ueriſſimorũ iudicum conceſſum, Thraſonem quendam nobis è comœdia retulit? Senſiſtis iudices, ut è corona plerique riſũ tenere nequierint, dum perſonatus iſte Hercules tragœdiam illam ſuam nobis recitabat: de ſeſe terq́ quaterq́ Tyrannicida, de ſapiente illo gladio cõmilitone ſuo, qui per ſe prudens ſenem interemit: digno uidelicet, qui inter ſydera collocetur, domino in deorum numerũ relato. Dij boni, quibus phaleris, quibus fucis, quibus ampullis facinus illud nobis ſuum ornauit, iactauit, exaggerauit? quã militari iactãtia, quã Stentorea uoce, quàm faſtuoſo uultu, q̃ arrogantibus ſupercilijs, quàm ſtupidis oculis, ſuum ipſe uobis encomium detonabat? Quæſo iudices, ut etiam nunc hominis uultum diligenter attendatis: nónne uobis minitari uidetur? nónne dicere? ni mihi præmiũ decreueritis, haud feretis impune, incolumi diuino illo meo, ac fortiſſimo gladio, qui uel ſine me, meas uices ubi lubebit, acturus eſt. Quis tandem iſtam ferat iactantiam, uel in eo, qui uere Tyrannum occidiſſet? Hæc quoq́ me cauſa iudices (neq́ enim inficiandum eſt) commouit, ut huius obſiſterem petitioni, uel magis, ut immoderatam arrogantiam, ut odioſam huius imputationem retunderem. Videbam iam inde ab initio, quum certatim uniuerſa ciuitas dijs libertatis autoribus grataretur, ut hic ſeſe ira tumens in medium ingeſſerit, q̃ indigne tulerit uictimas dijs ſeruatoribus immolatas. Sibi hunc honorem eripi, ſeſe unicum eſſe reſtitutæ libertatis autorẽ proclamitabat, leges, aras, focos, omnia publica, priuatáq́, ſuæ dextræ, ſuo magnifico gladio deberi. Agite quid futurũ deniq́ iudices auguramini, ſi ad huius intolerabilem iactantiam, ueſtra autoritas, ueſtra comprobatio, ſi præmium quaſi pignus acceſſerit? Quid, niſi ut Tyranno ſubmoto, alter quidã huic ciuitati paretur, qui uentoſæ linguæ, gloriæq́ quaſi Tyrannidem quandam exerceat? Qui quotidie nobis odioſam iſtam ſuã Tragœdiam ingerat, quotidie dextram iſtam Herculanam, & gladiũ prodigioſum minitetur? Vtrum eſt hoc iudices Tyrannide liberari, an mutare Tyrannum? Videtis ipſi quàm minaci fronte me iam obtueatur. Quid mihi ſuccenſes? Quid minitaris oculis? Quid terres ſupercilio? An

lio? An mihi non licebit libertate in contradicendo (tuo ſcilicet mune-
re) uti, quum tu ſic abutare? qui liberum tibi putaris (id quod etiam in
proſcenio leges fieri uetant) crimen tam atrox, tã capitale in ciuem im-
pingere, tantum quia lubuit, idq; apud iudices iuratos, in tam frequen-
ti ciuium corona, quod nequeas uel leuiſſimo confirmare argumento?
Siquidem quàm reliqua glorioſe, tam illud impudenter dicebas, mihi
nullam fuiſſe cauſam, quare tibi contradicendi partes ſuſciperem, niſi
quo Tyranni necem, quæ me diſcruciaret ſcilicet, ulciſcerer. Quo quidẽ
tuo exemplo ſi uiciſſim in te liberet uti, mox intelligeres quàm atrocia,
quanto probabilius id te poſſint retorqueri. Nam tuum iſtud tam inui-
dioſum (quemadmodum tu quidem exiſtimabas) conuiciũ, me longe
minus etiam territabat, quàm (quod uulgo dicunt) ex pelui redditum
fulgur. Etenim præterq; quod neq; affinitas, neq; cognatio, neq; neceſ-
ſitudo, neq; emolumentũ, neq; prorſus alia res ulla mihi cũ Tyranno
interceſſit: quur mea referret illũ uiuere, ſine quibus rebus nullã in quẽ-
q; criminis hærere ſuſpicionem, tu quoq; ſcires, niſi nũq; tribunalia ui-
diſſes, ac niſi hodie deuium te lucelli ſpes feciſſet iureconſultũ? Equidẽ
arbitror, meam fidem, integritatem, pietatem, totamq; meam uitam ſic
huic Reip. ſpectatã eſſe, ut iſto crimine tibi potius improbitatis odiũ,
quàm mihi ſuſpicionẽ ullam conciliaris. Vides q; multis adductus ſim
cauſis, ut tibi obſiſterem. Deniq; (ſi ſcire uis) bona ciuium pars id à me
enixiſſime flagitauit, ut ſui patrocinium aduerſum te capeſſerem, negã
tes ſibi uideri Tyrannide liberos eſſe, niſi te à Tyrãnicidæ præmio dei-
cerem. Non quod pudeat homini debere hanc felicitatem: tametſi id
quoq; durum, ei debere qui ſic imputet. Sed debere arroganti, ſanè q;
moleſtum eſt, at debere, cui non debeas: iſthuc uero non grauiſſimum
modo, uerumetiam ſtultiſſimum. Equidem ne lenoni quidem, uel uer-
bo refrager, ſi modo is promereatur, ſed obnoxium eſſe tam importu-
no imputatori, tũ qui nihil iuuerit, id uero bis miſerũ eſt, bis ſtultũ eſt.
Nullus enim inſolentius exprobrat beneficium, quàm qui quod nõ de-
dit, id uult dediſſe uideri. Sed finge mihi nullam eſſe cauſam quur tibi
me opponerem, niſi quia ſic animo lubitum ſit meo, profecto nihil ha-
bes quod mihi iure ſuccẽſeas. Etenim quum apud iudices tam ſanctos
agatur: ſi uere præmium meruiſti, non tibi honorem eripio: uerumetiã
uehementer illuſtro, quando non paulo magnificentius eſt tyranni-
dæ præmium euiciſſe, quàm tuliſſe. Sin minus, æquus ueniam dabis, ſi
boni ciuis fungor officio, ſi nullo meo emolumento Remp. debiti præ
mij ream defendo, ſi ſtultitiæ crimen, ſi imprudentiæ infamiã à ciuitate
depello, ſi non ſino, ut noſtro omniũ periculo hæc urbs in deos exiſtat

ingrata: Postremo si deorũ immortaliũ causam ago, quibus honorẽ debitum tu conaris interuertere, uel hinc sat liqueat, quanta religione reliquam causam egeris, qui statim ingrediens tam impudẽter sis calũniatus. Contradicit igitur, contra Remp. fauet Tyranno. Quanquàm ego illud quoq; liberæ ciuitatis esse iudico, hoc loco uel Tyrannorum causas citra fraudem agere licere. Neq; tamen à uobis postulo iudices, ut uel mihi prosit in causa hoc meum erga Remp. studium, uel huic obsit tam insolens arrogantia: imò non deprecor inuidentiæ suspicionem, nõ refugio uel atrocissimã illam, quam iste mihi conabatur impingere, inuidiam, ut Tyranno fauisse uidear, nisi certioribus, quàm ut à quoq; refelli possint, argumẽtis euinco, nisi demum & aduersario persuadeo, modo ne tergiuersetur, ut q̃maxime ciuiliter quis agat, nullum ei deberi præmium: Sin exactius, seueriusque, pœnam etiam ab ipso deberi. Quæ quidem dum quàm potest breuissime facio, quæso iudices, ut me attentis animis atq; auribus audiatis. Meministis Iudices, ut iste inter dicendũ subinde nobis conatus sit ob oculos ponere, id unũ spectare iusserit, quantis malis Tyrannide simus leuati. Hoc passim inculcabat, hac re bonam orationis partem occupabat, nihil nos aliud perpendere uoluit, nisi quod grauem seruitutem toleraremus, nunc optata libertate frueremur. Nimirum id tantum uos spectare uoluit, quod ad hoc iudiciũ nihil attinebat. Neq; enim hoc in quæstionem uenit, q̃ misera sit Tyrãnis, q̃ optanda libertas. Sed de illo cognoscitis iudices, quũ libertas huic urbi sit restituta, quãta hinc laudis portio hui⁹ uirtuti debeat, an id & quod euentu cũ huius facto coniunctũ est, idẽ cũ eius merito coniunctum uideri oporteat. Relegam autem eadem uestigia, quibus ipse in causam ingressus est, quod equidem refellendi genus simplicissimum esse puto, sequarq; partes illas, quibus iste rem secuit, id nimirũ agens, ut quemadmodũ ingenioси conuiuatores ẽjsdem carnibus alio atq; alio modo coquendis, condiendisq; efficiunt, ut multa opsoniorum genera uideantur, itidem iste nobis ex unico homicidio multa faciat tyrãnicidia. Repetam igitur ordine gradus illos, quibus iste facinus suum sibi uisus est mirifice attollere, & in quibus identidem restitabat. Quod si me deturbante, uel in uno quolibet consistere poterit: tum ipse sese uictorẽ pronũciet licebit. Quot tyrannicidia, inquit, quot præmia? Primũ quod uolui, deinde quod conat⁹ sum. Tũ aũt quod filiũ occidi pluscq; tyrannũ. Postremo, quod pater ob mortẽ huius sibi necem conscisiuit. Principio qd̃ uoluit iudices, qs nõ leuius esse uideat, q̃ ut sit refellendũ? nisi quod iste tãta uoce intonabat, toties inculcabat, quod Tyrãnũ uoluisset occidere, atq; id (ut nihil iã accederet) tamẽ præmio dignũ affeuerabat. Quid autẽ tam ridiculũ, q̃ nudæ uolũtatis præmiũ à lege flagitare?

flagitare? quæ adeo nihil ad se ptinere putat, quid uelint, aut in animo statuant homines, ut neq; pœnam irrogent, siquid uelis modo perperam, neq; præmium ostendant, siquid officiose uelis: uerum id unumquenq; uoluisse interpretatur, quod nulla ui coactus effecerit. Ergó ne, inquies, non magna facti pars est uoluisse, quod quidem arduis in rebus uel solum sufficere solet? Recte sanè. Sed apud deos modo: quippe quibus solis perspicuum est quid nolis aut uelis: ab his præmiū expectandum, siquid præclarum animo conceperis. Lex hominum uices agit, & quid in obscuris illis sinuosi cordis specubus mortales agitent, adeo sua referre nihil putat: ut (non dicam) abdita aut suspiciosa, sed ne ea quidem admittat, quæ populari sunt opinione, famáq; iactata. Postremo ut non nisi comperta recipiat, non audiat nisi quæ sunt certissimis argumentis deprehensa, probata, euicta. Cedo quod est facinus tã nefarium, cuius simplex uoluntas in crimen unq; est uocata? Ista iudicia Aeaci, Rhadamantiq; tribunalibus seruantur. Hic mihi non quid uolueris, sed quid feceris adferto. Quod si nulla lex ulli flagitio supplicium minatur, quod in animo statueris, quæ tandem est impudentia, pro merito quod præstare uolueris dũtaxat, perinde quasi præstiteris, à lege quasi præmium postulare? Quæ quidem quum ad id unum sit comparata, ut maleficia uel deterreat, uel coërceat, multóq; magis ad eius partes pertineat, nocentibus erogare pœnam, quàm bene merentibus largiri præmia (id quod mox copiosius demõstrabimus) posteaq; in criminibus non accipit insimulationem meræ uoluntatis, quæso te, in petendis præmijs ostentationem uoluntatis admittet? Quis autem est ciuium uel quantumlibet ignauus, qui non uelit Tyrannum occidere, si tuto liceat? Quis non uel leno, saltem emolumenti causa uelit? Denicq; quis non facile simulare possit uoluisse se: uidelicet quo præmium gratis auferat? Vis itaq; dicam, quantum hoc totum habeat momẽti, uoluisse occidere? Nempe perinde est, quasi te somniaris occidisse. Par pari pensari conuenit. Qui præstitit beneficiũ, ei lex beneficiũ rependit at qui bene uoluit tantum, ei quid debetur, nisi ut uicissim bene uelit Resp? I nunc, & hoc in gradu nos iube cõsistere. Rem tam eximiam, inquis, animo uersaui, statui, decreui: an præmium negabitis? Non fraudaberis præmio, si isthoc nomine postules: uerũ illud interim præmij feres: uelut homo nimium perfrictæ frontis, irrisus, explosus, exibilatus discedes, quem non puduerit id à lege postulare, quod ne leno quidem ausit à quoq; petere, ut rem pro uolũtate auferat: nemo tã uecors q cõcedat, ut uoluntatẽ nescio quã, hoc est minus q̃ uerba precio redimat. At nõ uolui tantũ, inquis: uerũ & periclitatus sum, ascendi, submoui satellites. Primum isthuc tu quidẽ consulte facis, quod de gradu illo desilisti,

listi,in quo nimis profecto incõmode stabas,quãqꝫ ne in hoc quidem multo cõmodius constiteris. Nam etiam si paulo minus absurdum uideatur,haud ita multo minus impudens tamen est,quũ lex palàm præmium decernat ei,qui factũ præstiterit,tẽ quod conatus modo sis, præmium poscere. Ergo ne hoc quidem iuris erit apud te legibus,quod per illas est ciui priuato cum ciue priuato? Age quid siquis ciuiũ tecũ iniisset contractum,ita ut ille pecuniam stipulatus,tu conditionem pactus esses, mirum ni suo uterque periculo, atqꝫ is nondum præstita conditione, nummos his uerbis abs te petat: Cedo mercedem, conatus sum,tentaui,adnisus sum,an non protinus impudenti homini respondebis: Cedo conditionem? Nam de tuo conatu quid mea refert? quandoquidem effectum abs te pactus sum,non conatũ. Puta totidem uerbis tibi nunc respondere legem: Agnosco contractũ, non muto pacta, debeo præmium,sed si tu conditionem præstitisti,si Tyrannum occidisti. Verbis aut obligantur,aut absoluuntur homines. Si conato pollicita sum præmium,nõ grauabor dare,sin ei qui facinus peregisset, quod tandem ius est te ferre quod es stipulatus,me non ferre quod sum pacta. In priuatis ac minutis contractibus nemo tam improbus inuenit, ut lucrum conditione promissum postulet,non præstita conditione,nemo tam stultus ut det,si quis postulet,& tu à Rep. maximum omniũ præmium postulas,quod conatus modo sis? Nihil mihi nisi nugas adfers,donec illud unum audiam,quod te præstare oportebat. Volui,inquis,ascendi,perrupi custodias,submoui satellites,quantulum iam est illud quod superest? Quid adhuc desideras? Nempe nihil in te desidero præter illud,cui soli debebatur præmium. An nõ intellexisti in istiusmodi contractibus duplex esse periculum: quorum alterũ ad hunc tantum,alterum ad illum proprie pertineat: uidelicet persoluendæ mercedis,& præstandæ cõditionis. Ego meo periculo præmiũ depẽdẽdi onus recipio,neque tua referre putes,neqꝫ refert quàm angusta mihi res, unde corradendũ quod debeam precium. Tu itidem conditionem tuo suscipis periculo,neqꝫ mea quicqꝫ interest,quo sudore,quo periculo sit ea tibi præstanda. Totam istam curam,totũ hoc negocium tibi relinquo. Quod si ego iam præstita abs te conditione,cõmemorem tibi in agris meis male proueniisse segetes: merces naufragio periisse, nihil auelli à malis debitoribus,non sine graui dispendio conflari posse pecuniam, quam tibi debeam,dic obsecro, nónne nugas agere mẽ dices, negans horum quicquàm ad te pertinere? Hoc uno modo posse satisfieri tibi, si pecunia nũeretur. Neqꝫ quisqꝫ est iudex tam iniquus,quin te tuo uti iure fateat. Et mihi pulchre satisfactũ existimas,si tu mihi tragœdiã adferas,quantũ adieris piculi,qꝫtũ sudorũ,quãtũ uigiliarũ exhauseris,dũ studes

ſtudes præſtare conditionem? Res eſt (mihi crede) calumnioſior, ſcrupuloſior q̃, quàm ut legibus tam occupatis conueniat, alienam expendere uoluntatem, alienos penſiculari conatus: quorum ſuos quiſq̃ nimio ſolet æſtimare, non ſuos difficile eſt adamuſſim perpendere. At facti, facilis eſt æſtimatio. Proinde ea in legis cognitionem cadit: hunc reliqua omnia conſueuit metiri. Tametſi non piget interdũ æqui boniq̃ rationem habere. Verum in his litibus, quæ de uetere illa formula pendent, inter bonos bene agier oportet, at in contractibus, quæ neque ui, neque dolo coierunt, quid eſt quod à præſcripto recedatur, niſi quis uélit omnino à pactis diſcedere? Quid uis? Circũſpice, & ſi potes uſq̃ inuenire exemplum, nõ nego præmium. Sæpenumero in pugilũ Olympicis, ſæpe in certamine ſpectator (opinor) ſediſti. Cedo, num quando uidiſti quenq̃ tam impudentem, qui palmam ſibi hoc nomine uendicaret, quod ſtrenue certaſſet? Non arbitror, atq̃ id in re penè ludicra, certe ad uoluptatem comparata. Et tu in tam ſerio, omniumq̃ ſplendidiſſimo negocio, id tibi poſtulas, quod in ſcenicis illis pudeat uel impudentiſſimũ tentare? Age quoties & illud uidiſti euenire, ut qui ſeſe fortiſſime, doctiſſimeq̃ geſſiſſet in curſu, is à præmio longiſſime abeſſet, & ignauiſſimo faueret euentus? Habeat ille ſanè, quod cauſetur, excidiſſe habenas, conſternatum equum, fractam rotam, iactet ſe uel arte, uel uiribus tanto præcellentiorem, quanto Therſitæ præſtitit Achilles, niſi metam prior attigerit, profecto poſtulandi præmij ius nullum habebit, fortunam ſuam incuſare licebit. Cæterum Agonothetæ non indignabitur: propterea quod hoc animo in certamen deſcenderit, ut eius uteretur conditione, id eſt, ita demum præmium ferret, ſi uirtuti fortuna fauente uiciſſet. Alioqui ſi conatui, non tantum effectui præmiũ deberetur, tot palmis eſſet opus, quot in Olympicũ certamen ueniſſent. Quanq̃ in huiuſmodi ludis, qui ſolennitatis, uoluptatiſq̃ gratia proponuntur, fit interdum, ut uictis quoq̃ præmia ſtatuantur, non honoris, ſed ſolatij gratia: uerum ſerijs in rebus atq̃ adeo periculoſis, quæ nã obſecro lex unq̃ mercedem ſtatuit, niſi ſiquis facinus peregiſſet: & ita peregiſſet, ut omnis numeros implerit? A quo tu quantum abſis, mox audies: nam nunc de conatu tantũ agimus. Lex igitur ciuicam promittit coronam ei, qui ciuem in bello ſeruarit. Quis unq̃ ad hunc honorẽ uel aſpirauit, quod ſe telis obiecerit, quod nõ ſine multis uulnerib⁹ diſceſſerit? Profecto niſi ciue ſeruato, nemo ciuicã petit. Quis unq̃ his uerbis muralẽ petijt. Acriter cõtendi iudices, ut mœnia ſuperarẽ. Oia feci, ſed depulſus ſum. Quãtũlibet eniſus ſit, niſi cõſcenſo muro, nemo tã inuere cũd⁹, ut muralẽ coronã ſibi deberi dicat. Obſidionalẽ nemo flagitat, niſi depulſa obſidiõe. Poſtremo nullus honos petit, niſi ab eo q̃ id effecerit, ad

rit,ad quod honor inuitat. Qui nauim in tẽpeſtate deſertam, ad littus perduxerit,huic ex lege uendicatio eſt earum rerum,quæ naui uehebã/tur. Quorſum attinet hic tuam iactare peritiam,ludores,pericula, conatus? Nihil non feceris,quo nauem in tutum reduceres,ſed uictus tẽpeſtate deſeruiſti,audebis quicquàm ex his quæ ſunt in naui,tibi uendicare? Aut ſi auſis,futurum ſperas,ut quiſquàm te uel pilum ſinat attingere? Non opinor. Siquis unq̃ ouationem,ſupplicationem,triumphum obtinuit,quod ad uictoriam omnibus neruis eſſet eniſus, quod graui ter ſe geſſerit in bello,niſi ſuperior diſceſſerit,niſi præſcriptum à lege numerum hoſtium fuderit,aude & tu tibi præmiũ promittere, quod tyrannicidium ſis aggreſſus. Quod ſi nemini hominum memoria contigit,deſine tibi noua ſpe blãdiri,deſine inaudito exẽplo poſtulare,quod ſperare ſit improbiſſimum,dare poſtulanti ſtultiſſimũ. Noli nobis cõmemorare,quanto capitis periculo murum arcis conſcenderis,qua uirtute ſatellitium Tyrannicum perruperis,alios depuleris,alios occideris: quorum maximam partem tibi liberum eſt fingere. Ad obtinendũ tyrannicidæ præmium,duobus duntaxat uerbis eſt opus: Tyrannum occidi. Quantumuis conatũ exaggeres,alleues,attollas,non niſi tyrannicidæ debetur præmium. Alioqui quid dices ſi eodem illo die, quo tu arcem cõſcendiſti,permulti pariter aggreſſi,ſua quiſq; uirtute freti: quorum nemo tamen tyrannum interemiſſet: utrũ omnes tyrannicidæ præmio potientur ex æquo,nempe quia conati? Age quid ſi multis ſtrenuerem aggreſſis,uni cuipiam,qui ſit omniũ ignauiſſimus (ut non ſemper uirtuti reſpondet fortuna) eũ cõtingat interficere,an nõ præteritis reliquis hic unus honorem auferet? Quamobrem tandem? Nõ quia plus adierit periculi,ſed quoniam id confecit,cui lex honorem decreuit. Hic tu fortaſſe rurſus incipies deplorare,fruſtra ſumptam operam,negabis æquum eſſe uirtutis egregios conatus merito fraudari præmio,niſi fortunæ ſuffragio adiuuentur. Sed quæ tandem poteſt eſſe iniqua conditio,quam nemo compellitur accipere,niſi cui cordi ſit? Quantũlibet iniqua conditio proponitur: eam nimirum facit æquiſſimam,quiſquis ſuapte ſponte recipit. In aleæ ludo (ſi fas eſt hoc exemplum conferre) quid iniquius,quàm uel ſummũ artificem ab imperitiſſimo ſuperari, ſi modo iactus cõmode cadat? Atque id adeo nemo tanq̃ iniquum cauſatur; propterea quod cui luſus huius lex non probatur,ei liberum erat non ſuſcipere. Itaq; lex quid præſtari uelit,id palàm atq; in medio proponit. Quid abs te præſtari poſſit,id tibi relinquit expendendum. Illa nihil mauult,quàm ut res q̃optime cadat: quod ſi poſtea q̃ nihil iam intentatum reliqueris,quo minus effeceris, per fortunam ſtetit, intelligis (opinor) nihil habere te,quod legi ſuccenſeas. Fortunam, ſi ita lubet, in

ius uoca,

ius uoca, cum lege nihil tibi rei: quæ ut nihil promittit, ita nihil debet, niſi præſtanti. Neq; uero exiſtimemus iudices, iſtud à maioribus qui hanc legem tulerunt, ſine ſumma ratione fuiſſe factum, ut conato præ mium non eſſe ſtatuendum putarint: uidelicet illud cauerunt, non tan tum ne ancipites iſtas & inexplicabiles huiuſmodi de conatu lites inui tarent, uerũetiam quod intelligerent tyrannicidij conatum non poſſe, niſi ſummo ciuitatis periculo ſuſcipi. Vnde futurum proſpiciebant, ut ſi conatui præmiũ ſtatuiſſent, temeritate conantium Reſp. ſubuertere tur potius quàm reſtitueretur. Etenim tyrãnis quid aliud eſt quàm gra ue capitaléque ciuitatis hulcus? huic ſi quis medeatur, ei merces digna propoſita eſt, quam ita demum ferat, ſi remedium præſentaneum attu lerit. Verum huic malo neminem oportet admoliri manũ, niſi certum artificem, qui ſua diligentia peritiáq; fretus, nõ ſinat hoc licere fortunæ, ut dum ipſe ſalutem dare conatur, illa uitam penitus eripiat. Quid? utrum tu igitur in eiuſmodi diſcrimine conatum præmio iudicas inui tandum eſſe: an potius pœna deterrendum, niſi quod conatus eſt qui ſpiam, idem præſtiterit? Nec illud te ſubleuat, quod mihi uidebare ra tiocinando colligere, quũ lex in maleficijs pœnam irroget ſimplici ſcele ris molitioni, par eſſe ut multo magis in benefactis conatus habeat ra tionem: nam oportere legem multo propenſiorem uideri ad compen ſandam uirtutem, quàm ad retaliandam culpam. Atq; uide quàm hic tota erras uia. Principio non animaduertis hoc tyrannicidij facinus to to genere à reliquis diſcedere, propterea quod aliorum molitio cũ pri uato molientis periculo modo cõiuncta eſt: huius cum publico Reip. diſcrimine copulata, ut temere moliri tyrannicidiũ nihil aliud ſit quàm temeritate priuata rem omniũ prodere. Deinde lex nec in quouis cri mine, nec qualẽcunq; conatum in quæſtionem uenire ſinit, uerum in paucis dũtaxat, quæ uel propter inſignem atrocitatem hoc odij meren tur, uel eiuſmodi ſunt, ut prius exitium adferant, quàm conatus dent ſignificationem: quod genus parricidium, ueneficium, proditio. Poſtre mo non uides nihil eſſe ſimile, totáq; natura rationéq; diſcrepare, pœ næ legitimam irrogationem, & honoris largitionem. Nam alterũ qui dem proprie legum munus, alterum quaſi quædam de iure conceſſio, legiſq; candor (ut ita dixerim) quidam eſt. Hoc ita habere ſic demũ in telliges, ſi reputes quàm multa ſint quæ lex iubeat, addita pœna ni pa reas: quàm multa item uetet niſi obtemperaris, ſupplicium minitans: contra, uix unũ atq; alterum eſſe, ad quæ præmio ſollicitet. Quædam enim eiuſmodi ſunt, ut durum ac ſeruile uideatur ad ea metu mali adi gi: quo de genere ſunt, uxorem ducere, operam dare liberis. Hic lex ni mirum urbanius ac uerecundius tecum agit, patris, nõ magiſtratus ſu-

mit habitū,precio ad id inuitat,quod alioqui gratuito te præstare decebat. Rursus alia tametsi id genus sunt,ut à quouis nō improbo ciue præstari uelle oporteat,tamen & fortiora uidentur, quàm ut à multis præstari queant:& periculosiora, quàm ut multi uelint susciperenam inhumanū uidetur cuicp uitæ suæ contemptum imperare:ad hæc igitur præmio animat,quasicp calcar addit uirtuti. Proinde non oportet hanc legum indulgentiam longius trahere, quàm ad quæ semet ipsa astringit.Nec mirandum est si attentior,si uigilantior,si exactior est in proprio naturalicp munere suo,quàm in eo in quo ꝑ tēporis ratione in alienas partes descendit.Huic astipulatur illud,quod nouis etiā criminibus exemplum,aut nouū noua lege solet institui,aut à simili lege mutuo sumi.Necp tamen idem fieri consueuit,si quis quid noui facinoris cum laude patrauit,ut præmiū à consimili cōstitutione decernatur, nisi lex extet,quæ nominatim honorē statuat eius facto:quod roget, uix habebit:quod postulet,haudquaquā . Quur enim legi necesse sit passim ciuiū suorum officium mercede redimere? quādoquidem ne sit impunita improbitas,id publicitus omniū refert:at probus esse nemo gratis potest.Quid autē est quod non uel gratus patriæ debeat ciuis? cui si uel animam impenderis, quid mirandum,si quod acceperas, id restituis? Vt supplicio dignus sis,nisi parenti pietatis officium persoluas,non præmiū illico tibi debeatur,si persoluas. Itidem,si quid in leges cōmittas,non potes effugere supplicium:at nō statim illæ tibi præmium debituræ sint,si quid cū officio feceris. Nam si ciues omnes sese in officio continerent, ne opus quidem esset ullis legibus:quippe quæ non ad bonos mores comparatæ, sed malis è moribus natæ sunt, id quod uere uulgo dictitant,ac pharmaci uice fungātur. Finge itacp nullas esse leges,quemadmodum de aureo Saturni seculo fabulantur poëtæ,suo quēcp sponte fungi officio:an tu hic damabis perire benefacta, quod nulla lex præmiū decernat? Vti lex non minatur nisi improbis, ita non pollicetur optimis ciuibus. Quorsum enim opus promisso, quū uirtus absoluta abunde seipsa contenta sit? Proinde petere quod illa non sit pollicita,profecto plus quàm impudentissimū est:improbe flagitare quod ea candide ciuilitercp promiserit,ciuis est probitatis nō satis spectatæ. Tu quid merueris, paulo post excutietur:interim finge sanè præcipuā quandam utilitatem attulisse,cui tamen ex lege præmiū non debeatur. Vtrum protinus clamitabis infrugiferum fuisse officiū, ciuitatem in ius uocabis, plebem ingratam uociferabere,minitabere iudicibus,nisi tibi mercedem ex animi tui sentētia decernant? An potius ipsam uirtutem abunde magnū sui præmiū iudicabis? Oblectabis te cōscientia recti. Hūc esse maximū fructum officij duces, quod de alijs

citra

citra tuũ emolumentum benemerendo ad deorum benignitatẽ uidearis accedere? Nimirum hæc tibi futura sunt satis, si modo ciuis sis optimus. Quod si nó contentus istis, aliud adhuc nescio quod præmiũ desideres, certe maximo proximũ est gloria: hoc tu iam propemodũ tulisti. Quanto metiris precio, uolitare per ora mortalium, celebrari, laudari, digitis notari mille, oculos omniũ in te coniectos circũferre? Ista, inquam, uel maxima præmij pars, nam pecunia sanè quàm exiguũ momentum adfert. Tu conatus duntaxat es, permagna portio, uel caput potius ipsum tuo deest facinori. At quũ interim his rebus frueris, dum non occiso tyranno, tamẽ uelut tyrannicida celebraris, quæso te, quam tula pars abest à tuo præmio quod laturus eras, etiam si tyrannũ occidisses? Postremo isthuc ipsum præmiũ, penè dixerim, inuidendũ mihi uidetur, quod iam tibi licuit toties Reip. tyrãnicidiũ imputare, quod in celebri iudicio tibi cõtigit honestissimũ præmiũ flagitare, & in tam frequenti theatro spectante Rep. magnificam istam tuam tragœdiam peragere. Mihi uidetur iudices, beneficij tulisse gratiã, quisquis exprobrare beneficium potuit. Tu fortunæ, tu deorũ munus imputas ciuitati, & sunt fortassis qui tibi libertatẽ acceptam ferant. An hæc tanta præmia contemnis? quæ uel uero tyrannicidæ sufficere debuerant, nisi lex maluisset præmio conatum ab effectu distinguere. Quanqꝫ nullũ me hercle præmiũ magis congruit ei, qui tyrannũ conatus sit occidere, nec occiderit, quàm ut illi contingat tyrannicidæ præmiũ sperare, nec ferre tamen. Hiccine erat ille gradus, in quo nos tecum cõmorari iubebas? Quanqꝫ hoc nomine tuus conatus minus promeretur præmiũ, quod aliorum proposito fortuna modo defuit, tibi uoluntas, ut ais. Effecisti quod uoluisti: id quod erat necesse, nec fecisti, nec uoluisti. Sed iamdudum alium gradum (ut uideo) circũspectas, in quem te recipias: nam in hoc quàm citra omnẽ præmij spem consistas, intelligis. Age sequemur te per omnia, & aliunde aliò fugitantẽ persequemur, nec usqꝫ sinemus consistere. Atqui non tantum aggressus sum, inquis, uerũetiam occidi, nempe filium, atqꝫ id facinus in duo secas tyrannicidia, & quod filium sustuleris pluscqꝫ tyrannum, tum tyrãnidis successorem: & quod parenti, necato filio, mortis causam ministraris. De illo mox, nunc hoc cuiusmodi sit inspiciamus. Parentem ais abs te, iugulato filio, eadem occisum opera: negas em̃ referre, qua uia peremeris, modo sustuleris: imò splendidius istuc uideri uis, quod tuo quidem ense, uerum ipsius dextera sit interemptus. Hæc tam honesta iudices oratio possit parum attentum fallere, præsertim hoc rẽ fucis illis suis & phaleris uenditante, dum nobis ob oculos ponit ualidũ illũ florentemqꝫ iuuenẽ, sic patri adamatum, crebris uulneribus cõfossum: parentẽ senẽ miserũ, illi circũfusum,

eodem exanimatum enſe,ſanguinem utriuſq; inter ſe confuſum. Iſta quidē dictu ſplendida,ſed quid ad tuam cauſam attinent? Nemo tam cæcus qui non uideat,nemo tam effrons qui neget, ſpectaculum illud multo omniū iucundiſſimū extitiſſe ciuitati,quū ſenem tyrannum iuueni uideret incumbentē,exanimē exanimi, & in altero gauderet ſeſe leuatum malis præteritis,in altero futurorū metu. Hæc quū per ſe maxima,quū Reip.ſint gratiſſima,quid attinet uerbis exaggerare? Illud unū in hoc iudicio uertitur,utrū tibi acceptū ferri operteat,quod pater ſine controuerſia tyrannus occiſus eſt,an fortunæ ſuperûmq; dexteritati. Quod enim tuo gladio peremptus eſt,id uero quàm eſt futile nihiliq;. Quid ſi tuo gladio ab eo qui eum utendū abs te rogaſſet,tyrannus eſſet necatus,num tu protinus tyrannicidæ præmiū petitum uenires? Lex occiſori pollicetur honorē,tu eum iugulaſti, de quo certe controuerſum eſſe poterat,tyranni nomine cenſendus eſſet nécne,eum de quo nihil erat dubitationis reliquiſti. Si prudens, prudens excidiſti à præmio:ſin metu, multo minus etiam cauſæ eſt poſtulandi muneris. Verum illud tute uehemēter urgebas,uti prudens uolensq; reliquiſſe uiderere. Sed quod tandem erat iſtud tuū conſilium,quū tibi ſic in manu eſſet non toto metu liberare Remp.ſed ultorem tui facinoris, & uerum certumq; tyrannū relinquere? intelligebas (ut ais) omne negociū confectum extincto iuuene, propterea quod modis omnibus futurū præſcires,ut ſenex illico ſibimet eodē gladio necem conſciſceret. Videte iudices in manifeſtiſſimo mendacio,qua rima conatur elabi,niſi diuinandi ſcientiam cōmentus fuiſſet,nō poterat hinc explicare ſeſe. Siquidem hæc uel augur,uel haruſpex,uel uates diceres, fortaſſe nonnullos inuenires qui iſta prædicanti fidem eſſent habituri. Nunc quid impudentius? quid uanius? quid ueri diſſimilius? quàm aſſeuerare, id certū præſciſſe te,qd̄ tale ſit ut quiuis alius exitus potius fuerit expectādus? An cōiecturis es aſſequutus id euenturū quod euenit? At quid aliud effici cōiecturis poterat,niſi ut uel ſperares,uel ſuſpicarere? Porrò in re tam ancipiti,quæ dementia erat ſpem incertam ſequi,diſcrimē certum negligere? Sed audiamus obſecro certas illas coniecturas, quibus hic noſter uates præſenſit inopinatum omnibus exitum. Iam ætate feſſus erat,inquis,iam uiribus defectus,nec obtineri iam autumabat poſſe tyrannidē adempto filio. Tum indulgētius amabat,quàm ut filio uellet eſſe ſuperſtes. Nónne ſentis hæc adeo non eſſe naturæ rerum conſentanea,ut iam omnibus uideantur eſſe confutata, uel priuſq; refellantur? Vtrū ſeni mentē ullam fuiſſe putas,an nō putas? Si nō putas,fieri potuit ut illi tutum uideretur,quod neutiq; erat tutum, atq; ita protinus toto falleris augurio:ſin putas ſapuiſſe,quur erat quod uſq;adeo diffiderat?

derat? Quasi uero tyrannus uiribus duntaxat unius hominis, ac non multo magis ingenio, uersutia, calliditate, largitione, crudelitateq; contineatur, quæ omnia si magis in senẽ quàm in adolescentẽ competunt, quur tu in diuersum torques auguriũ? An nõ illa ætas usu rerũ callentior est? an nõ altius dissimulat? an nõ cauet diligentius? an nõ prospicit oculatius? irascit implacabilius? tenacius iniuriæ meminit? meliúsq; in longinquũ consulit? His solis rebus imperiũ tyrãnicum administratur. In militiæ duce quãtulum est illud momentũ, quod corporis uires adferunt? at in tyrannide profecto multo minus. Cur magis illum terreret ademptus filius, quàm extinctus satelles quispiam audacior? quũ arx supereſſet approbe munita, supereſſent opes, arma, satellitũ ingens agmen, tot in ciuitate factiosi potentesq;, qui nõ solum tyranni partes adiuuabant, uerũetiam tyrannos agebant: quos equidẽ spero nunc nobis non esse metuendos (nolim enim infausta ominari) at ita tamen, ne nimiũ secure negligantur. Vsqadeo ne senem cruda uiridiq; (quod omnes norunt) senecta callidum, animosum, ambitiosum, non stultũ, una filij mors consternauit, ut rebus desperatis protinus è uita sibi migrandum duxerit? præsertim quũ ille patris dominatum nihilo reddiderit tutiorẽ, sed multo inuidiosiorem, idq; ob libidinẽ, atq; ætatis insolentiam temeritatemq;, adeo ut expedierit propemodũ illi ad stabiliendam tyrannidẽ filium è medio tolli. Etenim quo propius ad iusti regni speciem accesserit tyrannis, hoc minus est inuidiæ obnoxia, magisq; tuta. Iuuenis ille solũ hoc augebat, quod maxime tyrannos solet euertere. Vera illa tyrannidis munimẽta in callidi senis pectore erant collocata. Sed tenerius adamabat filiũ, quàm ut defuncto posset superesse. De matercula quapiam priuata loqueris, an de uiro sene, callido, crudeli, denicq; tyranno? Quid ego iudices in eo sermone argumentis coarguendo sumam operam, quem ipsa natura, quẽ mos, quem communis omniũ sensus repudiat? Quis unquã isthuc audiuit? tyrannũ usqadeo pio in liberos fuisse animo, ut nõ dicam cõmori uoluerit, sed cõuiuere cõmode quiuerit? Credite mihi, priuatorũ isti sunt affectus. Tyrannus neq; quid natura, neq; quid pietas, neq; omnino quid sit officium nouit. Exuit hæc omnia, simulatq; tyrannum induit. Omnia commodis, omnia metu, omnia necessitate metitur. Solos hos amat (si quos tamen ille amat, qui uel deos ipsos odit) quos aut metuit, & tollere nõdum expedit, aut quorum opera ministerióq; ad fulciendum imperium indiget. Quod si ullos ille posset amare, similes certe sui diligeret, impios, uiolentos, rapaces, scelestos, quando nihil ad conciliandam charitatem efficacius morum similitudine. Atqui ne improbi quidem illi chari sunt, nisi quatenus adiuuãt, adeo ut præposterum, uel peruer-

ſum potius quendam Stoicum tyrānus exprimat. Neq; enim quiſq; tam Stoicus fuit,ut æque uacarit omnib⁹ affectibus atq; tyrānus:hoc modo illos diſcernit,quod philoſophus honeſto metitur ſua conſilia, hic commodo.An ille ullum pietatis igniculum in quenq; mortalium ſentire potuit,qui in patriam uitæ parentem altricémq;,qui in cœlites omniū bonorum autores tam ſit impius,ut illam crudeliſſima opprimat ſeruitute,horum phana deſpoliet,iura contemnat? Verum ut largiamur tibi nónihil,ſinamuſq; te priuatos affectus in tyrannicum pectus,hoc eſt,ignem in flumē transferre, an tandem perſuadebis illud, uſq;adeo indulgenter illum adamaſſe filium, uſq;adeo in eum omnes uitæ ſuæ ſpes,uoluptates,opeſq; ſemel conculiſſe,ut illo ſublato,ne minimam quidem uitæ cauſam ſibi reliquam eſſe putaret? Repete,nó dicam ex hac ciuitate,uerū ex uniuerſo mortaliū genere:non ex hoc ſeculo,ſed ab orbe cōdito,& ab ipſo(ſi uis) Promethei ſimulacro. Quotus qſq; fuit pater, quota quæq; matercula, quæ ob liberorū necē ſibi fatū accerſiuerit? Naturalis hic dolor,& quē nemo ferè non modeſte ferat. Priuatis parentibus uel indulgentiſſimis,mulierculārū intemperatiſſimis affectibus mediocris luctus ſufficit,tyranni in filium charitati non niſi ſolam mortē ſatisfacturam eſſe tu Lynceu præuidebas? Age,hoc quoq; tibi donamus,uicerit homo tyrānus priuatorū in liberos pietatem,uicerit indulgētia materculas omneis,qui tibi cōpertū eſſe potuit, utrò ſe dolor paternus inclinaret? In rabiem,an in deſperationē? Quo diligebat impotētius,hoc erat pbabilius,ut ſenex natura ferus,ciuibus infenſus,uel maxime uellet eſſe ſuperſtes:uel ob id deniq;,quo ueterē illā iram,nūc filij nece acerrime exaſperatā,irritatamq; Reip. ſupplicijs ſaturaret. Quod ſi aliâs uitæ pertæſum fuiſſet, hæc nimirū una cauſa poterat illum in uita retinere. Quid autem ſenili animo uindictæ cupidius? An neſcis quàm impotentes ætas illa concipiat impetus,quo rapiatur æſtu,quo flagrare ſoleat incendio,ſi quādo atroci inſigniq; contumelia laceſſatur? Quæ uero potuit eſſe atrocior, quàm filij cædes ſic amati,ut tu quidem ais? Hæc nimirum quicquid in illo fuerit unquam crudelitatis,quicquid fœuitiæ, quicquid immanitatis:ſi qua ſanguinis ſitis,ſi qua ſuppliciorum fames,deniq; ſi quid tyrannicum,id omne ſemel de integro poterat excitare quaſiq; renouare. Mitiora etiā animalia,datæ orbitatis iniuria,in rabiem ſolet agere,& tu tyranno (quo nullum animal immitius)nihil tale metuendū eſſe certiſſimus augur exiſtimaſti,quod in Tigribus uidemus euenire? Quod ſi tibi uni compertū erat tyrāno ſic in delicijs eſſe filium,quid igitur aliud tua fiebat opera, niſi ut fœuiſſima illa Tigris, rapto catulo, in rabiem uerſa, in miſeram hanc ciuitatē dilaniandam diſcerpendamq; inſiliret? Id ſi non euenit,

magna

magna dijs gratia, tibi magnũ debetur malum: qui quantũ ad te perti
net, tam diram beluã in nostra capita fortunasq; immiseris. Elige nũc
utrum malis, an uerum fateri, nihil fuisse tyranno cũ nostris affectibus
cõmune, an confingere sic adamasse, ut matercularũ quoq; uicerit deli/
cias. Certe neutro modo tua constabit diuinatio: quæ nisi constiterit,
nõ est quod ad eius rei laudem aspires, quæ fortunæ cõmoditate te im
prudente euenerit. Postremo donemus & hoc tibi, ut præsciueris, & cer
tum præsciueris, deo uidelicet quopiã te certiorẽ faciente (nam alioqui
fieri nequaq; potuit) perinde est ac si non præscieris, quũ præscientiæ
tuæ fidem legi facere nõ possis. Profer quibus prædixeris id euenturũ
quod euenit: doce quis deorũ quando isthuc tibi prænunciarit, nihil
habes quod dicas. Verum posteaq; rem feliciter eueniisse uideres, tum
demũ post factum uates esse cœpisti, quemadmodũ uulgo tum fieri,
tum dici consueuit, post eũentum stultos etiam sapere: & quo fortunæ
beneficiũ uerbis in te transmoueres, tragœdiam istam nobis cõminisci
cœpisti, causas reperisti, quibus præscisse uideare. Sed dij boni, quàm
non bonũ poëtam te præstitisti, qui tam inconsistentia, tam cũ natura
pugnantia finxeris, sæuissimũ tyrannũ ob pietatem erga filium ultro
uitam fugisse: ob unius capitis necẽ tutum sibi non putasse in uita com
morari, quũ omnia superessent, quibus tyrannis & paratur & obtine/
tur sublato eo, in quo omne tyrannidis præsidiũ collocarat, repente re
bus suis diffisum, ad inferos abijsse. Age, mitto nunc argumenta, hæc
omnia uera, nõ ficta credemus esse, tametsi ne fucum quidẽ ullum ha/
bent ueri. Si mihi ex omni hominũ memoria uel unũ tyrannũ potes
nominare, qui liberos suos sic adamarit, ut nõ spadones ac pellacas lon
ge prætulerit: qui sic illis indulserit, ut non suspectos haberet obserua-
retq;: qui sic illis sit fisus, ut non in barbaris quibusdã latronibus, ac ser
uis stigmaticis plus quàm in illis fiduciæ posuerit. Ego tibi permultos
referre possim, qui filios sic oderint, ut uiuos esse pati nõ possent: adeo
metuerint, ut ne cibũ quidẽ unà capere uellent: adeo diffiderent, ut tum
demũ se tutos esse putarent, si quis illos è medio submouisset. Nullus
inutilior tyrãni satelles q̃ filius. Ex extrema barbarie conductitios ma
uult ille sicarios, fugitiuos, homicidas, sacrilegos: his uitã suam mauult
cõmittere, qui sua patria frui nõ possint, & alienã euertere gaudeãt, qui
barbaricis ferinisq; uiribus antecellant, & gigantes illos impios referãt,
qui ꝓpter animi cupiditatẽ nõ difficile ad quiduis periculi suscipiendũ
perducũtur, & ꝓpter ingenij feritatẽ à nullo facinore abhorrẽt. Hi sunt
idonei tyrãnorũ ministri, hi fiducia, munimentũ, præsidiũq; tyrãnidis
multo tutissimũ: hos si qs ademerit, causam uideat dedisse, quur rebus
tyrãnus diffidat. Nã filius qua tandẽ ratione dñatũ sustinebat? Aeta/

te: at utilior ætas grandior. Robore: unus erat. Prudẽtia: magis ſapit ſenecta. Cuſtodijs quas obtinebat: at ſi aduerſum patrem obtinebat, mors illius ſeni etiam optanda. Si patris nomine, quid niſi unus ſatelles ademptus erat: Nã cuſtodiæ quò deficerent, niſi ad eum cui alebantur: Tutior igitur erat futurus tyrannus amoto filio. Res enim tyrãno ſuſpecta, filius uiolentus & inſolens, propterea quòd reliqui illi Barbari ſolo lucro contenti ſunt. Filius illud præmium ſpectat, tyrannidis ſuæ ceſſionem. Nec ullus pietati locus, ubi mentẽ poſſidet dira regnandi libido. Ibi cõtemptis naturæ legibus, & filium horret pater, & patris interitum optat filius. Sed dicturis iamdudũ, neſcio quid, mane, præſenſi. nihil inexpugnatum omittam, urges. Niſi præter modum adamauit filium, niſi diffiſus eſt, quur ſibi mortem conſciuit: Iſthuc uero merito demirandũ, quippe quod præter omniũ, ac tuam etiam ſpem euenit. Verũ ego nihil ad me pertinere puto, ut tibi rationẽ reddam, quid illi dij in mentẽ immiſerint, ut ſibi uim adferret: hoc tantũ euincere ſat eſt. te nullis cõiecturis hunc exitum certo præſcire potuiſſe, quantumlibet amarit filium: tametſi cauſa non admodũ obſcura. Iam deorum ſi qui fuerunt huic infenſi Reip. iras diuturna noſtra calamitas ſatiauerat. Iam propitios noſtra uota, noſtra ſacra cõmouerant: aderat illud fatale tempus, quũ impius ille ſenex dijs atq; hominibus dignas admiſſorum pœnas daturus erat. Iam aderãt ultrices Erynnes, aderant Furiæ, facibus & hydris omnibus armatæ, hæ illi mentẽ ademerunt, hæ uanã formidinem incuſſerunt, hæ attonitum ad ſpontaneam ſui cædem impulerunt. Nihil minus arbitrabatur quàm fugiſſe, qui filiũ peremerat, quàm una cæde contentũ fore, qua quidẽ una in re iure potes gloriari, quod tyrannũ uehemẽter fefelleris. Virũ eſſe putabat, qui hoc facinus peregiſſet. Credebat eſſe talem, quales audierat eſſe ſolere tyrãnos, qui magno ſuæ uitæ cõtemptu, tyranni caput impeterent: qui nõ adoriretur facinus, niſi ratione probe perſpecta, qua poſſent perficere. Hanc ſuſpicionẽ Pan ille, aut ſi quis alius eſt deus, nouis terriculis exagitabat. Arbitrabatur inſtare ſibi carnificem, ſenſit adeſſe neceſſitatẽ illam fatalem, quã nemini nocentiũ uitare licuit. Itaq; quod huius urbis pietati, qd' deorũ bonitati debetur, quur tu id phaleratis dictis in te trãsferre conaris: Vbi diſcrimen erat ſubeundũ, ibi fugitabas: nũc ubi res præter ſpem pulchre cecidit, tutumq; putas, fortunæ laudem in te deriuas. Sed finge diuerſum exitũ fuiſſe cõſequutum, pone tyrãnũ ira percitũ, paſſim ciues ad exquiſita ſupplicia rapere, pſcribere, iugulare, in exiliũ agere, poſſeſſionibus exuere. Quid hic dices: nõ ſines, opinor, eorũ malorũ cauſam in te tanq; in autorẽ referri, & fortunæ argumẽto culpam deprecaberis. Negabis tibi imputandũ eſſe, ſi qd fortuito præter propoſitum,

positum euenerit. At nunc nónne iniurium est,ut quod boni,fortunæ cõmoditate præter spem euenit,id totum in te uelut autorem uelle tra ducere? Etẽ te nihil expectasse minus,quàm id quod euenit,uel ipsa res clamitat. Si hoc animo cõscendisses arcem,ut filiũ, non patrem occi disses,credi poterat te talem quandã spem animo concepisse, nũc casu nescio an metu potius in iuuenẽ incidisti,& tũ denicp diuina ista mens & futurorũ præsaga,sed quæ non nisi post euentũ sua prodat oracula, te corripuit. Quũ esset fugiendum, ibi demũ iudices in re tam tumultuosa,secũ uelut ociosus consultare cœpit,utrũ senem sua dextra dignũ existimaret,ibi demum præuidere cœpit fore,ut pater ipse sibi manus adferret. Et quo cõmentũ tam impudens iudices efficiat paulo probabilius,quæ nec uidit,nec uidere potuit, ea perinde descripsit,nimirũ (ut iactat)poëta,quasi spectator astiterit,quid in mentẽ uenerit tyranno, quid dixerit,quid fecerit,quomodo ferrũ strinxerit. Eiusdem profecto impudentiæ: fingere præsciisse se, quod esset euentu consequuturũ, & quod nó uideris,id ita narrare quasi uideris. Quanto melius tuo commento,id est,fabulæ sua fides constitisset,si ita finxisses,te quũ perempto iuuene,stricto gladio ad senem ire destinasses,repente à tergo adfuisse Palladẽ illam Homericam,& iam euntẽ capillis reuocasse te: uetuisse ne tam luculentũ facinus senili cæde obscurares,sese citra tuã operã curaturã,ut ille suapte manu, sed tuo gladio peremptus, gloriæ tuæ nihil tenebrarũ offunderet,sed multũ etiã adderet lucis: dehinc abditũ te per rimã cõtemplatũ,uel(quod est te dignius)repente deã sepsisse te nebula, ut tyrãnicæ necis tutus & ociosus spectator assisteres,nec prius illinc discessisse,quàm negociũ omne confectum uidisses. Hæc si confinxisses, paulo minus malum poëtã te præstitisses. Sed ociũ,opinor, nó suppetebat ad oẽs fabulæ parteis cõmode tractãdas, uidelicet lucri cupiditate te protinus ad præmiũ postulandũ rapiente. Nunc uel ipsa te prodit inconstantia,figmenticp coargit. In arcem ascendisti,quo tyrannũ occideres, necp tum præuidebas, quod sole ipso clarius uideretuis. In medio negocio subito nescio quis deus oculos tibi restituit,ut uideres futurũ id quod accidit. Porrò si ueris fidẽ facere uoluisses, narrare debueras quẽadmodũ nocturnus explorator furtim arcem conscenderis, in ædes clanculum irrepseris, forte fortuna obuio nemine, non dicam ut tolleres aliquid, sed ut experireris, si quod tuto facinus posses designare: hæc molienti cõmodum fauisse fortunam: itaq; quũ adolescentẽ solum atq; incustoditũ offendisses (ut est ea nimirũ ætas securior,periculicp minus cogitans: præterea diuturna tyrãnis iam magnam metus partẽ exuerat)tum haud scio(ut mores illius erant)multo uino sepultum,atq; immodica libidine defessum,fortiter iugulasse scilicet,

cet,& ſomnum illi cum morte,id eſt,germanum (ut ait Homerus) cum germano coniunxiſſe:deinde ubi iam cardines procul ſtridere cœpiſſent,exaudito uidelicet morientis gemitu,ibi te metu exanimatum ita fugiſſe,ut non uacarit gladium è uulnere tollere, quem nec parricidæ nec ſicarij ſolent relinquere ne deprehendantur: Interea domi latitaſſe te, iamdudum de fuga cogitantem, & longinquas aliquas,ſemotaſq; mũdi latebras animo circũſpectantem,in quibus abditus poſſes iritati patris fœuitiam fallere: Iamq; te ad ſpontaneum exilium accincto,repente imuulgus exijſſe famam,liberam eſſe ciuitatem,tyrannum una cum filio iugulatum,reliquos metu fugiſſe,autorem ignorari facinoris: Ibi repente ad nouã tuæ fabulæ cataſtrophen,immutaſſe te animum,& qui prius de ſalute fueras ſollicitus, protinus ad præmij ſpem erectũ fuiſſe,lucriq; auiditate,priuſq; tibi ſatis eſſet excogitata ratio, qua totam huius inopinati euentus laudem in te traduceres, proſiliſſe in medium:id quod uidimus,clamitaſſe tuum illum eſſe enſem, tuũ facinus,non unum præmium tuæ uirtuti fore ſatis. Hæc nemo non crediſſet,ſunt enim rerum naturæ conſentanea,uſu comprobata, omniũ opinione receptа. At tu dum ſedulo quidem,ſed tamẽ parum ex arte, tuam nobis præſcientiam niteris perſuadere,quãm multa commentis,non dicam tota facie à uero diſtantia, uerũetiam cum ſenſu cõmuni,cum more, cum natura penitus pugnantia? primum tyrannũ tam materne filium adamaſſe,ut ſine eo uiuere noluerit: ſic ob unius mortem metu fuiſſe cõſternatum,ut in uita manere non ſit auſus: ſic illi toto pectore fiſum,ut ipſe nullas circum ſe cuſtodias haberet: adeo fracti animi fuiſſe, ut tam chari pignoris truculenta cæde nõ potuerit adulcionẽ inflãmari: tam inualidũ,ut tua dextra fuerit indignus: tam inermẽ,ut ni tu illi gladiũ reliquiſſes tuũ,defuturũ fuiſſe,quo ſe iugularet. Non uides q̃ nõ cõpetat tam inſignis in tyrannũ pietas, tam ſecura in eam ætatem fiducia, tãtus metus in hominẽ,excepto filio,reliquis omnibus præſidijs munitũ,tanta cõſternatio in hominẽ tot periculis exercitatiſſimũ,tãta imbecillitas in iratũ? Quid igit erat,quur tu ſenẽ illum tantopere cõtempſeris,ut indignũ habueris,qui tua iſta magnifica dextera iugularetur? Tu ne indignũ iudicabas quem occideres,quũ eum Reſp. nõ putarit indignũ quẽ formidaret, quẽ maximo ſuo cũ dolore ferret? Nõ talem illũ iudices,nõ talem ſenſimus,ut cuiq; cõtemnendus uideri debuerit. Neq; tu eũ unq; cõtempſiſti,niſi forte cõtemnere eſt, miſere formidare. Sciebas arcẽ armis refertã, ſciebas ſupeſſe ſatellites, quorũ uel unus(ſi ſeni uires deerãt)ſufficiebat iugulãdo tibi. Nõ ignorabas(id q̃d nemo noſtrũ neſcit) quantũ uiriũ illi partim exercitatio, partim ingenij feritas etiam in illa ſenecta reliquerat. Tum non te fugiebat,

giebat,frigidum illud ſenium ſic interdū acri dolore inflammari,ut iuuenibus etiam ualidiſſimis fæpenumero fuerit intolerandū,ſi quando ſolitū illud robur quod ætatis gelu uelut obtorpuerat, magno aliquo animi motu recanduit. Quis autē tam inualidus eſt,ut non illi pudor, ira,dolor ingēs uires ſuppeditet? Hoc erat uidelicet,quur tu filiū quàm patrē malueris occidere,quod illum inopinantē,inermem, dormientē fortuna obiecit. Cum hoc pugnandum erat,armato,uallato,irato denicq. Hoc erat quur gladium relinqueres,ratus ne tantiſper quidē morari tutum dum reciperes,metuēs uidelicet ne tantillum ſarcinæ te redderet in fuga tardiorem. Reliquiſti inuitus,quo tyranno prodi poſſes: ſed prodi maluiſti quàm deprehendi. Neq; ego nunc formidinē tuam accuſo,imò miror magis quod pedibus conſiſtere,quod fugere potueris,quū audires moueri tyrannicā familiam, ſtridere arma:intelligeres tibi non cū puero,ſed cum uigilantibus uiris,accinctis,armatis,ſobrijs, irritatis:denicq; cum rabioſo patre dimicandum eſſe, non quod illum uſqueadeo filij mors cōmoueret,ſed quod arbitraretur,& haud ſcio an uere ſe petitum fuiſſe,dexteram tuam erraſſe tantum in filio. I nunc & ſpera,non dicam hos iudices uiros omniū perſpicientiſſimos,ſed uel è media plebe quenq; eſſe tam muccoſis naribus,cui non ſuboleat, imò qui non planè odoretur,perſentiatq; totam hanc fabulam abs te confictam. Et quod poëtæ ſolent,quum hærent in explicando tragœdiæ argumento, hanc ueluti deam diuinationē arte quadam induxiſti, quo præſenſionem tuam iudicibus probares,ſine qua uidebas præmiū obtineri non poſſe. Sed occaſionē,inquit,miniſtraui paternæ mortis, qui gladium quo ſe feriret reliquerim:atq; id ſolum nō modo ſatis eſſe putat ad petendum præmium, uerumetiam meritum eſſe, ut ipſe enſis inter arma deorum conſecretur,dominus pro deo præſenti colatur. O hominem ſuauem,ſi has ſpes uere concepit:impudentem,ſi quū non ſperet,poſtulat. Ità ne tyranno gladius erat defuturus, niſi tuum illum reliquiſſes? Tu in arcem arma,hoc eſt,in ſyluam ligna portanda putaſti? Niſi forte tuū illud ferrum magicis precaminibus erat imbutum, ut ultro ad mortis adegerit neceſſitatem: an uero nihil referre putas, quam præbeas occaſionem,quomodo, quo animo? Primū, gladium reliquiſti,quo nihil minus deeſt tyranno:nunquam ferrum abeſt,non in cubili,non in triclinio,non in ſacris: reliquiſti metu trepidus. Tua quidem in re illud interim demiror, qua fronte eum gladium tuum auſis appellare, quem habueris pro derelicto. Metu,inquam, exanimatus reliquiſti,quem poſtea receptum optabas: reliquiſti rem anceps. Quid ſi tyrannus illum eundem enſem in ciuium iugulos diſtrinxiſſet? quid ſi eodē lectos aliquot ex huius urbis iuuentute adoleſcentes

ſcentes filio ſuo inferias mactaſſet? Si tyrannũ occidiſti, quia tuo occiſus eſt gladio,& horum omniũ indigna cædes ad te pertinebit: quippe cuius enſe peracta eſt. Id ſi non euenit, nihil ad te pertinet, nam anceps occaſio quam in partem cadat, id dijs in manu eſt: ſi bene uerterit, nihil gratiæ debetur ei qui dedit imprudens: ſin male, temeritas imputatur. Neq; enim culpa uacat, qui periculoſam miniſtrat occaſionem: quæ ſi feliciter, mirentur omnes: ſin infeliciter, merito accidiſſe dicant. At quanto probabilius erat futurum, ut tyrãnus tuo enſe alios in uſus abuteretur. Scio me iudices hæc pluribus refellere uerbis, quàm neceſſe uideatur, quippe tam friuola: uerum id mihi propoſitum eſt, nullum illius argumentum non excuſſum, non exagitatum, nõ reuictum prætermittere. Quare quæſo ne pigeat ita ut antehac feciſtis, patiẽter atq; attente cognoſcere, dum hunc ab gradu firmiſſimo deijcio. Hic ſibi uehementer fidebat, hunc acriter urgebat locum. Negabat uitari poſſe, quin præmium deberetur quod patri necis cauſam miniſtraſſet, ſi non relicto gladio (nam hoc opinor argumentũ iam habet pro derelicto) certe necato filio. Nam ita in legibus diſſertum aiebat, nihil intereſſe utrum manu ſua quis occidat, an mortis cauſam præbeat. Addebat, æquum eſſe, ut quũ in maleficijs cauſam datam imputarent leges ad ſupplicium, multo magis idem obſeruarent in benefactis ad præmiũ. Hæc aiebat meminiſſe ſeſe in legibus eſſe diſputata, illud addẽs Thraſonicum, niſi ſibi diuturna ſeruitus legum memoriã obliteraſſet. Non tu legum oblitus propter diutinam deſuetudinem, ſed nunc̃q; quid ſibi uelint leges inquiſiſſe uideris. Bis enim hic erras, qui neq; cauſæ datæ rationem, neq; dantis animũ diſcernas, id quod legibus traditũ eſt, nec animaduertis longe diuerſam eſſe rationẽ maleficij & beneficij imputandi. Quid ais noue iuris interpres? itá ne ſatis eſſe iudicas uel ad pœnã, uel ad præmiũ, qualẽcunq; quomodocunq; cauſam dediſſe? Nihil igitur refert, Hector an Aiacem occiderit manu, an gladiũ illum dederit, quo ſe poſtea confodit? Atqui hanc laudem nunc̃q; ille ſibi uindicaſſet: tametſi probabile uideri poterat, in eum uſum hoſti ab hoſte datum fuiſſe ferrum. Quin ergo fabros ærarios omnes uel ad pœnam uocamus, uel ad præmium, quoties armis in eorum officina perfectis, aut iugulantur ciues, aut ſeruantur? Poſtremo quur hoc quod tu petis præmium, non enſis iſtius tui opifex petit potius? Tyrannus gladium erat habiturus, te non porrigente: tu porrigere non poteras, niſi huius induſtria tibi miniſtraſſet. Age ſi telo inter uenandum temere miſſo, forte tyrannum uicinum interfeciſſes, clamares tibi tyrannicidæ deberi præmium? an potius nihil tibi deberetur laudis, quod imprudens & inſcius iaculum torſiſſes? Imò in ius potius uocandus eſſes, qui miſſi

teli

teli temeritate ciuem (quod in te fuit) occideris: nam quod in tyrannũ incidit, id nihil ad te. Quid si caupo uinũ lene ac suaue, quale Polyphemo dedit Vlysses, tyranno uendidisses, atq; ille eius dulcedine captus, auidius sese ingurgitasset, eáq; re concepta febri decessisset, auderes ne caupo, uini titulo tyrannicidæ præmiũ flagitare? At quis non te cum tua flagitatione, ut temulentũ, uinoq; madidũ exploderet? Cæterum quanto frigidiore titulo nunc idem postulas? Vtcũq; coniecturis præcipi poterat: ut ætas uinosa tam illicibili uino auidius, intemperantiusq; frueretur, crapulam cõsequeretur morbus, præsertim in sene: morbum mors. Vulgo hæc eueniunt. Tu eam tyranno mortis causam dedisti, cuius nullum extat in hominũ memoria exemplũ. Quis enim antehac ob filij necem sibi manus intulit? Accedã propius. Finge te tyranni coquũ esse: probe callere palatũ domini, medicos interdicere cibum, quo tamẽ ille oppido q̃ lubens uescatur: interminari morbum capitalem, ni temperet, id te non fugere, eum cibũ tu arte tua, cupedijsq; & condimentis magis ac magis illecebrosum reddis? Consequitur edẽtem morbus, quem prædixerant medici: emoritur tyrãnus, liberatur ciuitas. Hiccine coquus è culina in forum prosiliens, & adhuc iure madens, fuligine niger, tyrannicidæ præmium postulabis? Mortarium, tonsillum, & ollas ostentabis, arma scilicet quibus tyrannidem expugnaris? Non eris (opinor) tam impudens in ea causa, qua tamẽ ista tua multo est absurdior. Nam illi uoluntas occidendi non defuit, probabilẽ præbuit causam. Tu nec in hoc iugulasti filiũ, quo pater ultro uitam relinqueret, & causam dedisti, ad quiduis potius q̃ ad istud idoneã. Accipe exemplũ tuo similius, q̃ ouum sit ouo (quod aiunt) simile. Quid si tyranni amicam, quã ille misere ac perdite deperisset, occidisses: eáq; cognita re tyrannus sibi uitam abrũperet, auderes ad præmiũ aspirare: auderes dicere, te certũ præscisse, fore, ut tyrannus sponte fugeret è uita? Certe quanq̃ plures amicas extinctas sequuti sunt, q̃ filios, nemo tamẽ tibi crederet, nemo tibi præmium decerneret, tuũ factum periculosum & anceps dicerent: omnes fortunæ gratias haberent, cuius cõmoditate res ea feliciter cessisset, Tibi abũde magnũ præmium existimarent, si cõmissi uenia donatus discederes. Primũ igitur diuersam imputandi maleficij, & asscribendi beneficij rationem cõueniet distinguere, deinde causæ æqualitatẽ, postremo animum: atq; ita demum liquebit, quid tibi lex debeat. Nam quod aiebas legem prolixiorem esse oportere ad reddendũ præmium, q̃ ad infligendam pœnam, id in priuilegijs, quæ in exemplũ non uocantur, fortasse locũ habet. In iure cõmuni longe secus est. Siquidẽ (uti superius demonstrauimus) nulli nocenti lex non minatur pœnam: paucis benefactis præ

mium oſtẽdit. Tum in maleficijs etiam conatũ ſimplicẽ ſupplicio proſequitur, in benefactis ſemper exitum requirit. Nec mirũ, nec iniquũ, ſi lex eſt diligentior in eo negocio, ad quod unum eſt nata, atq; inſtituta, quàm in eo, in quo temporis ratione tanquam alienas ſibi ſumit partes. Ergo in utroq; cõmuniter ſpectat, ut cauſa ſit idonea: deinde ut animus adſit, nõ tantũ caſus. Hoc rurſum intereſt, quod in benefactis nec cauſa idonea, nec animus idoneus ſatisfacit legi, niſi his acceſſerit euentus item idoneus. In malefactis, ſi quid nocendi animo tentes, non expenditur nec euentus, nec cauſa: ſed ex animo factum tuum lex metitur. Sic enim iudicat tibi nihil ad ſcelus defuiſſe, præter fortunam: qua te ſubleuari, quod tandẽ ius ſit? In euentu ſimul & cauſam datam & animũ expendit. Si animum uitioſum comperit, nihil moratur cauſam, quàm ſit idonea, putat animũ & euentum ad pœnam cõmerendam ſufficere. Sin animo ſimplici data eſt cauſa mali idonea, & non cõſequitur euentus: lex quaſi conniuet ad id, & non putat ad ſuam cognitionem magnopere pertinere. Sin euentus eſt cõſequutus, etiam ſi de animi uitio doceri nõ poteſt: tamen temeritatis & negligentiæ nomine pœnam irrogat: partim ꝓpter ſuſpectam dantis uoluntatem, partim ut hæc latebra peccantibus eripiatur, imprudens feci, diſcantq; homines uel ſuo periculo cauere, quod alieno faciant periculo. Ergo qui prudens & ſciens, certam atq; euidentẽ noxæ cauſam dederit: eum perinde lex cenſet, quaſi facinus manu peregerit. Veluti ſi quis hoſtẽ opibus, copijſq; iuuerit, perinde eſt ac ſi ipſius arma contra ferat. Siquidẽ id ſuppeditauit, ſine quo bellum geri non poterat, Aut ſi quis inimicũ ſuum per dolum nauigio ſolutili imponendũ curet, ut naufragio intereat, aut in conclaue penſili teſtudine inducat, ut ruina opprimat: aut iuxta lectulum ægroti, loco pharmaci uenenũ ponat, futurum ſperans ut eo hauſto pereat. Tametſi non bibit ægrotus: tamẽ ueneficij poſtulari poteſt qui poſuit, propter uitioſam animi uoluntatem. Nam uehementer erat probabile id euenturũ, quod ille moliebatur. Huic ſi detrahas nocendi uoluntatem, nihil illi cum lege rei futurum eſt. Si detracta nocendi uoluntate, apponas euentũ: non effugiet temeritatis crimẽ, niſi illum inculpata ignorantia abſoluerit. Porrò ſi in loco non ad id deſtinato, puta in uia publica, aut in fundo alieno, arcu temet exerceas: lex tecum non agit, niſi ſi quem occideris, aut uulneraris, aut ſi cui damnũ dederis. Cæterũ quod facis, tuo facis periculo. Quod ſi quid horum conſequutũ eſt, cum lege tibi res eſt. Neq; tibi tua patrocinabitur imprudentia: quippe quæ culpa temeritatis non uacet. Siquidem in te fuerat præcauere, quod probabiliter poterat prætimeri. Vides quanto diſcrimine diſſita ſint, inter quæ tu nihil intereſſe dicebas. Primũ non

ſtatim

ſtatim imputatur ad præmiũ,quod ad pœnam,idq; non à malignita te legum latoris,ſed partim ex ipſa rei natura proficiſcitur, partim à le/ gum officio. Deinde diſcernitur animus,cauſa data dijudicat̃: ſpecta/ tur euentus. Age nunc ſi libet,tuam cauſam,qua tuum facinus æſtima ri uis,expendamus. Finge te certam,ineuitabilẽ mortis cauſam tyran/ no dediſſe,ſed imprudentẽ,nulla tibi ſit præmij petitio. Quis enim in/ ſciens benemereri dicitur? Fortibus uiris præmia dãtur, nõ fortunatis tantũ. Nã euicimus iamdudũ opinor,ne poſthac affirmes te in hoc iu/ gulaſſe filiũ,ut pater ſibi necem cõſciſceret:quod euẽturũ ne uates qui/ dem quiſq; præſcire poterat,tu nec ſuſpicari. Imò poſtea q; rem plenã diſcriminis,fortunæ arbitrio cõmiſiſti,quia bene ſucceſſit: hoc nomine lex te nõ poſtulat:at idem ſi male eueniſſet, temeritatis pœnas eras de biturus. Neq; enim tibi ſuccurreret inculpata ignorantia. Quid enim æque formidandũ erat,quàm ne tyrannus,ſimulatq; occiſo filio ſe pe/ ti inſidijs perſenſiſſet,omnia tyrãnidis mala in nos cõduplicaret̃? Iam ut de animo res tibi conſtet,cauſam dediſti non ſolum non idoneam, uerum etiam periculoſiſſimã reip. Vin hoc tibi argumento euidentiſſi mo demonſtrari. Finge te quempiam è ciuibus uitio occidiſſe:tum ex/ tincti patrem id facere, quod modo fecit tyrannus. Vtrum tu duplici cædis crimine teneberis,an ſimplici: Simplici opinor. At uxor & mari ti mortem imputabit,qui necato filio,ſeni cauſam mortis dederis: atq; his fermè tuis argumentis utetur. Indulgẽtiſſime filium adamabat,in illum omnẽ familiæ curam reclinauerat,illo ſe oblectabat, atq; hæc de priuato ſene cum fide dicet,quæ tu de tyranno nimis dure (ne dicam ridicule) dicebas. Addet ea te ſciſſe,præuidiſſe futurum,ut ille uitam fu geret orbatus filio, in quo uno omnia uitæ oblectàmenta collocarat. Non tibi defuiſſe iugulandi ſenis uoluntatẽ, ſed hoc tantum egiſſe,ut miſerabilius ſua dextra perimeretur,ut odium tuum plenius miſeri pa tris malis exaturares. Ideo iuuenem necaſſe, in hunc uſum gladium in uulnere reliquiſſe. Vides quanto ſunt hæc probabiliora in hoc, quàm in tuo negocio: & tamẽ negabis paternã necem ad te pertinere:atq; a/ nimi ſuſpicionẽ,cauſæ qualitate purgabis. Negabis cauſam idoneã fu/ iſſe,quur ille ſibimet manus adferret. Te nec præſcire,nec timere potu/ iſſe id,quod ſit conſequutũ:quod rarum extet exemplũ patris, ob filij necem ſponte fugientis è uita. Alioqui futurũ fuiſſe,ut & mater ſibi fa tum accerſeret:quippe quã impotentius amare ſit conſentaneũ, ac mi/ nus aduerſum dolorem animi uiribus ualere. Hæc non dubitares tibi profutura,ad alterum crimen depellendũ,& prodeſſent dubio procul. Atqui quod in maleficijs ualet,ne quid imputetur,id multo magis in hac cauſa ualet, ne quid acceptum feratur. Ibi te liberaret à uoluntatis

ſuſpicione,quod cauſas parũ idoneas dederis:hic ex cauſis multo minus idoneis propter perſonã tyranni,uideri uis non modo quod euenit,fuiſſe ſuſpicatus, uerumetiam certum præſciſſe. Ibi temeritatis poſtulari nõ poteras,propterea quod tametſi uitio abs te data eſt cauſa, tamen idonea non ſit ad id quod euenit. Imo ipſi tota res imputabit, & legibus pœnas dabit,ſepultura prohibitus: quod ciuitati citra cauſam idoneam,ciuem unum ademerit. Tibi nõ niſi unius filij mors imputabitur,etiam ſi mater quoq; & filiæ,& ſorores,& tota tribus huius necẽ fuerit imitata. Hic poterat,niſi feliciter eueniſſet:quippe ubi ſummum reip.periculũ & uerteretur,& prætimeri probabiliter poſſet. Vanio nunc ad quartũ illud præſidium iudices,quod iſte tutiſſimũ, ac pene inexpugnabile iudicabat:unde ego illum ita deturbabo,ut non ſolum ſit non habiturus,quo tyrannicidij & huius laudis arcem obtineat:uerum uix etiam latebrã inuenturus,ubi temeritatis ac maleficij pœnam effugiat, quo nimirum intelligat,quàm non inimice,non curioſe (ut aiebat) ſecum agam: ut quum poſſim in crimen ac pœnã uocare, ſat habeam ab honore non promerito ſecludere. Aut ſibi deberi præmium,uel ob hoc uno nomine,quod iuuenem occiderit, iam pluſq; tyrannũ,tum tyrannidis paratum hæredem,etiamſi hunc euentũ dij nõ dediſſent,ut ſenex ipſe uitam abrumperet. O deploratã impudẽtiam. Tu tibi præmiũ peteres,ſi tyrannũ ſuæ furiæ nõ eſſent ultæ? Dij quid uis potius dederint,quàm iſtuc quod tu fingis. Sed tamẽ fingamus interim oratione,quandoquidẽ id tuto licet:tametſi ad ſolam mentionẽ inhorreſcit animus. Tu ne,inquã,occiſo filio,relicto ſene uiuo,tyrannicidæ præmiũ peteres? An potius nec ipſe ſupereſſes,qui poſſis petere: nec eſſet reſp.quæ dare poſſet? Nam tu aut exquiſitis ſupplicijs examinareris,aut in extremis Arcadis exul deliteſceres: nos pro tyranno iam immaniſſimũ carnificem pateremur:& tuum caput ubicũq; terrarum latitares,diris imprecationibus deuoueremus, qui nos tua incogitantia,uel præcipiti magis lucri cupiditate in tantam malorum tempeſtatem conieciſſes. Sed re filius erat tyrannus (inquis) patri præter inane nomen nihil erat reliquum. Quid ego audio? duos igitur hæc ciuitas tyrannos alebat? Nam de patre nemo unq; dubitauit,quin tyranni uocabulũ mereretur. Quando autem antehac unq; fando auditũ eſt,duos una in ciuitate ſediſſe tyrannos? id quod magis etiam natura repudiat, q; eodem in corpore gemina capita. In ijſdem aluearibus duo ſe reges pariter nõ ferunt. In armentis taurus tauro cedere cogit. In ijſdem luſtris non conuenit duobus inter ſe leonibus: & tyrannus (quo nullũ animal efferatius) parem in eadẽ urbe patitur? Non uides neceſſario fieri, ut è duobus,aut alter alterum oppugnet, aut alter alteri ce

teri cedat? Vtrũ tu fuiſſe mauis in patre, an in filio? Si iuuenis aduerſus ſenem obtinebat tyrannidem, quid à Repub. præmium poſtulas? Tyranni partes adiuuiſti, non reip. Sin patri ceſſit: quid tandem illum uocare potes, niſi tyranni uel præfectum, aut ſatellitem? Quandoquidem ſeniori tyrannicam appellationẽ ne tu quidem audes detrahere. Verum ut quoquo modo tyrannidẽ omnem in adoleſcentẽ orationẽ deriuares: q̃ multa tu quidẽ non ex re, ſed pro cauſæ tuæ cõmoditate cõminiſcebaris? Cæterũ q̃ in his cõfingendis decori, quod in perſonis ſitum eſt, nullam habuiſti rationẽ? Sic enim (ut memini) inducebas in fabulam ſenem iam ætate mitem, & qui omnẽ tyrannidis acerbitatem ob ſenectã exuiſſet: nõ ſecus atq; mala, quæ natura acerba, tempore miteſcũt, & in alium abeunt ſuccũ. Porrò iuuenẽ ferocem, illo incolumi gerentẽ tyrannidẽ, iamq; patri uiuo ſuccedentẽ. Priuatus paterfamilias non fert filiũ ſe uiuo ſucceſſorẽ: & tu uis iſtuc credi in tyranno? Ille non ſinit ullũ è liberis rem domeſticã ex animi ſui libidine moderari: & tyrannus ſeſe ueluti abdicans imperio, negociũ omne in adoleſcẽtem reiecerat? Non dubito, quin & ipſe uideris, q̃ dura ſint iſta, & q̃ à cõmuni ſenſu abhorrẽtia. Verum quid faceres, niſi tales perſonas induxiſſes, exitum inuenire tragœdia tua non poterat? Quæſo te, an unq̃ auditũ eſt tyrannũ ætate miteſcere? Quando tu deſines ea quæ ſunt priuatorũ, quæ bonorũ principum, tyrannis tribuere? Vt eodem igni cera molleſcit, limus dureſcit: ita ætate pleriq; redduntur mitiores ac tẽperantiores, tyrãnus magis ac magis exaſperatur. Vt tempus nõ nullis pomis amaritudinẽ adimit, at uinis nõnullis acorem cõciliat: itidem tyrannis nõ adimit ſæuitiam ætas, ſed exaggerat. Vis ipſiſſimã tyrannici ingenij tibi demõſtrem imaginẽ? Spinam cogita, quæ quo magis ſeneſcit, eo pungit acrius. Echinos cogita, qui quo plus habent ætatis, hoc teſta ſunt aſperiore. Vulgaribus ingenijs fortaſſe nõnulla uitia ſenecta uel detrahit, uel certe mitigat, etiam ſi plura irritat, nõnulla parit. At tyrannorũ mentibus ad ſcelus, ad crudelitatẽ natis, ſcelere & immanitate imbutis atq; educatis, præter uitiorũ omniũ incrementũ adferre ſenecta quid poteſt? Niſi forte libidinẽ adimit? Quanq̃ iſta tyrannidis quantula tandẽ eſt portio? Sed eſto fuerit ſanè propter ætatem ad uoluptates ſegnior, uerum erat faſtidioſior: unde fit, ut imbecillior ſit ad coitum, ad raptũ auidior. Fortaſſe pauciores huic execabantur ephebi, ſed inſigniores. Pauciores producebantur uirgines, ſed exquiſitiores. Quur non autem & plures? uidelicet quo ſenile faſtidium optione, & uarietate uinceret. Hoc ita eſſe, quot ego tibi teſtes citare poſſem, qui quo nobiliores ſunt, quo fortuna præſtantiores habent liberos, hoc magis eis à flagitioſiſſimi ſenis cupiditate metuebant. An

tu putas unà cum uiribus ſeneſcere libidinẽ? Multo ſecus habet. Imò quantũ ætas improborũ hominũ facultati detrahit, tantũ adĳcit cupi ditati. Quanc̃p tyrannicũ animũ his in rebus nõ tam uoluptatis uſus capit, c̃p noſtra delectat cõtumelia. Vt frigeat in ſene tyranno Venus, certe feruet uigetc̃p malitia, ſæuitia, nocendi libido. Poſtremo totum illud uitiorũ agmen, quæ propria tyrannorũ ſunt, cupiditas, rapacitas, improbitas, impudẽtia, impietas, iracũdia, uiolẽtia, impotẽtia, ſuſpicio, fraus, pfidia, crudelitas, implacabilitas, imanitas periuriũ. (Quid autẽ oportet omnia cõmemorare nobis omnibus heu nimiũ nota?) horũ inquam nullum non ætate fit acerbius, propterea quod iuuenta non nunquã naturæ bonitate uincitur: præterea quædam mala nondũ didicit: at ſenecta, ſiquid pudoris, ſi quid humanitatis, ſi qd melioris ingenĳ à natura inſitum eſt, id omne multo ac diuturno flagitiorũ uſu penitus exuit, & prorſum in immaniſſimã quandã feram abĳt. Id ita euenĳſſe, iudices, in execratiſſimo illo ſene, quid ego coner argumentis docere, quum ſua cuic̃p memoria abunde ſatis exemplũ ſuppeditet? Quod ſi iuuenis ſeſe gerebat inſolentius, uidelicet patris abutens imperio: num tu hunc continuo tyranni nomine donabis? Ergo ex eadẽ tyrannide ſexcentos tyrãnos facilè reddideris. Nam quis eſt omnino in tyranni familia, uel extremũ mancipiũ, qui nõ ipſe penè tyranno ſit ferocior, uiolentior, ſceleratior? Filius, inquit, emolumentis imperĳ potiebatur: patri præter nomen nihil ceſſit. Quaſi uero nõ ſit iſtuc omni tyrãnidi cõmune. Longe minima fructuũ pars: qui ſolent ex tyrannide capi, ad ipſum redeunt tyrannũ. Quemadmodũ in latrocinio fieri conſueuit: prædæ cõmuniter in omnes diſtribuuntur, uel in eos potius quorũ opera capiũtur. Alioquin non cohærebit cohors illa ſcelerata: niſi dux ille, quiſquis fuerit, plus etiam permittat ſuis, quàm ſibĳ ipſi. Solũ nomen ſibi proprie uendicat. Et in nullos eſt tyrannus indulgẽtior, c̃p in ſcelerum miniſtros: quippe quorũ opera ſentiat ſuum imperiũ contineri. Proinde ſub unius umbra ſatelles omnis, omnis miniſter familiaris, leno, Tyrannidem quandã in ciues exercet. Ridicule fecero, ſi hoc quoc̃p coner argumentatione probare, iudices. Vidimus, ſenſimus, experti ſumus, niſi forte tam diutinæ calamitatis memoriã, tam pauculi dies obliterauerũt. Nec̃p enim eſſet res uſc̃p adeo miſera tyrãnis, ſi unius modo foret toleranda uiolentia. Quot ferendi latrones, quot ſacrilegi, quot ex extrema barbarie aduenæ, feris quàm hominibus ſimiliores? Nec̃p deſunt, qui ſe ſimulent apud tyrannũ ſceleribus ſuis gratiã promeritos eſſe, quo nimirum hoc nomine metuantur à ciuibus. Horum igitur unumquẽlibet tyrannum appellabis, & pro quolibet occiſo tyran

ſo tyrannicidæ præmium petes? Non in tantũ omnem exues pudorẽ opinor. Sed pater ætate feſſus, omnem dominatũ in filium tranſtulerat, quicquid tyrannicum in urbe gerebatur, id iuuenis uiolentia committebatur. Sed iſtuc quantum abſit ab imagine ueri, quis tam cæcus, ut non uideat? Quis tam obliuioſus, ut non poſſit experimento refellere? Ego tibi complures nominare ſatellites poſſum filio inſolentiores. Ad hæc, ueriſimillimũ eſt nullius inſolẽtiam minus approbaſſe ſenem quàm filij, uel quod odit omnem tyrannidis affectatorẽ omnis tyrannus, uel quod intelligit ex illius facinoribus longe plus inuidiæ, odijſq; ſibi conflari (Callidiſſimi autem tyranni eſt, eatenus legitimũ imitari regnum, quatenus obtineri tyrannis poſſit) uel quod pater etiam peſſimus, tamen liberorum nonnihil offenditur uitijs, & ad crudelitatis miniſteria alienis quàm ſuis uti mauult. Quod ſi dam patre rapinas, raptus, atq; id genus facinora deſignabat filius, profecto non tyrannum agebat, ſed inſolentem ſatellitem. Sin approbante patre, quaſiq; per illum exercente tyrannidẽ, utri tandem par erat imputari commiſſa, huic per quem gerebantur, an ei cuius autoritate arbitrioq; fiebant? Non arbitror obſcurum, quin huic cui in manu erat, nutu ne fierent, uetare. Quid autẽ non agunt per alios tyranni? Nam ipſi quidẽ neq; pueros emaſculãt, neq; uirgines abripiunt, neq; proſcribũt, neq; bona diripiunt, neq; phana diſpoliant, neq; hæreditatibus manũ inijciunt, neq; compilant ærarium, neq; tormẽtis excruciant, neq; quenq; iugulant, neq; armis uicos expugnant, neq; incendunt uillas. Totum hunc tyrannicũ ludum per miniſtros exercent. In unum tamen tyranici nominis inuidia competit, in unum occidendum lex præmium inſtituit, in unum ſtringendi ferri ius facit, illos ſuæ cognitioni reſeruat. Quorum ut quisq; ſua opera tyranno profuit, ita aliud atq; aliud uocabulum imponi poteſt, certe tyranni uocabulum nemini congruit, niſi uni illi, ſub cuius ueluti clypeo, tota illa pniciioſiſſimorũ hominũ colluuies latitat. Arbitror uobis, iudices, ſæpenumero auditũ eſſe, id qd eleganter à doctiſſimis uiris eſt ſcriptum, tyrannis non longas modo, uerum etiam plurimas eſſe manus: plurimos oculos, eosq; acerrimos: plurimas aures, easq; lõgiſſimas. Omnino prodigioſum quoddã eſt animal tyrannus, multoq; Titanibus illis Briareo & Encelado portentoſius, centenis capitibus, centenis linguis, centenis manibus, pedibuſque. Quot enim habet ſcelerum miniſtros, totidem habere membra uidetur. Atque ut ex membris corpus, ita tyrannis ex huiuſmodi conſtat miniſtris. Verum ut illud quod corpus appellatur nihil eſt aliud, quàm quiddã omnibus ex membris aggregatũ, ita in tyrannide

unum quippiã est,quod neq; pes sit,neq; manus,nec ullũ aliud membrum,contineat autem uniuersa:at ita cõtineat,ut ab ijs possit separari,idq; tyrannus uocatur.Proinde exaggera quantũlibet iuuenis insolentiam,uiolentiamq;,præfectum arcis uoces licebit,oculũ nomines licebit,aut si mauis dextram:aut si ne id quidẽ satis,præcipuũ tyrãni caput dicas licebit: Tyrannũ certe uocare nequaq; potes. Vnum enim illud portentũ tyranni nomine censet, cuius autoritate titulóq; cuncta hæc membra uelut animantur:idq; unum forticiui permittit occidere. Non uult te in oculũ aliquẽ inuolare: non sinit ut caput aliquod amputes,ne tale quiddã eueniat, quod de Lernæa hydra fabulantur poëtæ: ut pro uno capite resecto,duo pestilẽtiora subnascantur: pro uno excusso oculo,plures acriores succedant:pro una rescissa dextera, multæ robustiores subpullulent:unius uitæ te dominũ,arbitrumq; constituit,qui sibi sit ausus tyranni uindicare nomẽ:quo sublato futurum sit ut membra reliqua quasi destituta spiritu,emoriantur,aut certe sanentur.At quid ego tecum iam accuratis argumẽtationibus ago? Possum illico tuis te uerbis reuincere,ac ueluti tuo te laqueo capere.Iuuenẽ paulo ante magnũ patris satellitem nominabas.Nõ inficiabere. Rursum alio loco dicebas omnẽ tyrannidẽ occupasse filium: solius appellationis honorẽ cessisse.Qui conuenit eundem & satellitem, & tyrannũ appellari? Tum si cessit,non igitur usurpauit tyranni nomen.Cõtractus autem uerbis aut rati sunt,aut rescindũtur.Lex hac tecum formula cõtraxit:si quis tyrannũ occiderit,præmiũ ferat.Quid tu mihi iuuenis flagitia cõmemoras? Id te lex uoluit occidere,quodcunq; illud esset animal,quod tyrannus diceretur.Magnum (ut ipse fateris) satellitem occidisti,non tyrannũ:quid tibi cum lege rei est? At rem,inquis,legis sequutus sum,non syllabas:eum interfeci,qui caput erat tyrannidis, paratus hæres paterni dominatus: libertatem peperi, seruitutem sustuli. hoc lex sensit,huius rei autori præmiũ præstituit.Satellitem, inquam, occidisti:nihil moror quantũ,quàm grauem,quàm ferocem,quàm sceleſtum:satellitem tamẽ occidisti tyrãnidis,non caput:aut si caput,unũ è pluribus.Sed hæc omnia tibi ex animi sentẽtia largiamur: fuerit sanè res tota tyrãnidis filius:pater nihil nisi uocabulũ quoddã inane tyranni:quemadmodum in fabulis habetur, Echo nympham, nil aliud quàm meram quandam fuisse uocem sine corpore.Qui tibi licuit in re tanta,à uerbis legis discedere? præsertim ita dilucidis,ut perspicuũ magis nihil esse possit, & cõmenticiam interpretationem domi tuæ natam in iudicium adferre? Ego iudices,nullum in Rempublcam exemplum pernicioſius induci posse iudico, quàm si consuescant homines calumnioſi à præscripto legum recedere: & interpretamento, quod

ad præ

ad prætexendum facinus quiſque ſuum maxime idoneum commini-
ſci queat, id iudicibus obiicere. Quis autem unquam meminit de le-
gis ſententia quæri ſolere: niſi quum in ſcripto quiddam apparet am
bigue, obſcuréue dictum: aut quum ex uerbis & euẽtu abſurditas quæ
piam extitit, eáq; manifeſta? In priore nõ cuiuſuis cõmentum, ſed iuris
prudentium reſponſa, ſed iudicum ſententia recipi ſolet. In hoc poſte-
riore, neceſſitas ipſa compellit aliquantiſper à legis uocibus deflectere:
& æquitatem iuris potius, quàm uerba ſpectare. Duplex itaq; pericu-
lum uidetis iudices: alterum ne ſuperſtitioſa cauillatione literarũ legis
ab eo quod lex ſpectauit, abducamur: alterum ne paſſim à præſcripto
diſcedendo, leges omneis & iudiciorũ religionẽ ſubuertamus. Quorũ
illud quidem multo leuius eſt: propterea quod uix unquam accidat,
ut legiſlator obſcure quid uoluerit, explicuerit: aut abſurdum quiddã
exoriatur. Hoc multo periculoſiſſimum, pernicioſiſſimumq; . Etenim
quæ tandem lex futura eſt, quam uerſutus calumniator, quo pœnam
effugiat, non facile poſſit aliquo commento ſubuertere? Neq; quiſquã
elabetur è iudicio ueſtro nocens, niſi qui ſit uſq; adeo nullius ingenij, ut
ne friuolam quidem aliquam commentatiunculam queat inuenire.
Atq; ut cuicq; commodum erit, aut animi libido feret: ita pro ſene iu-
uenem, pro Tyranno ſatellitem, pro homicidio Tyrannicidium: & paſ
ſim aliud pro alio interpretabitur. Veſtra interim iudices religio, ue-
ſtrum iuſiurandum, qua tandem ratione ſeruabitur: quibus nihil futu-
rum eſt certi, quod in cognoſcendo ſequamini: uerũ ambiguas, diuer-
ſasq; litigatorum coniecturas ſpectare neceſſum erit? Ergo quum in
omni cauſa maximopere cauendum eſt, ne ſine grauiſſima ratione à
legis præſcripto diſcedatur: tum in hac non periculoſum modo, uerum
etiam abſurdiſſimum: quum legis uerbis nihil poſſit eſſe dilucidius:
ſententia nihil æquius: interpretamento quod præter legis mentem in
ducitur, nihil peſtilẽtius. An credimus legis huius autorem uſqueadeo
infantem, & uerborum inopem fuiſſe: ut dicere non potuerit, qui quo-
uis modo Tyrannidem ſuſtulerit: huic præmium eſto, ſi modo iſthuc
ſenſiſſet? Neq; uero fugit illum, totam Tyrannidẽ per ſatellites & præ
fectos exerceri ſolere, permultosq; in his eſſe uel Tyrannis ipſis ſcele-
ratiores: atq; ut ita dixerim, Tyrannicos magis, & omnino ſupplicio
digniores: niſi & omnium omnia miniſtrorum ſcelera Tyranno im-
putarentur. In unum tamen illum, qui hoc nomine cenſetur, tibi ferro
graſſandi facultas data eſt. In reliquos non tibi permittitur idem: non
quod illos uita dignos iudicet lex, ſed quod unius cæde totam Ty-
rannidem tolli uelit, non multorum cæde reddi duriorem. Tuum
erat legi ſimpliciter parere: neque eius uerba quaſi plumbeam quan-
dam

dam regulam ad tuum facinus accommodare,uerum ad illius præscri
ptum factorũ tuorum rationẽ instituere. Præsertim in hoc exemplo,
quo non aliud potest admitti pestilentius,ut ex legis arbitraria inter-
pretatione,quem uelis interficiẽdi tibi pro tua libidine licentiã sumas.
Nõ illud hoc spectandũ, iudices,quàm inuisus reip.sit,qui occisus est,
quàm maiore etiam supplicio dignus:uerum id etiam atq; etiam per-
pendere oportet,exemplũ præter leges iugulandi homines,semel in ci
uitatem receptũ,semel uestris sentẽtijs approbatũ,deniq; præmio cõ-
pensatum,quo tandẽ licentiæ sit processurũ. Quod iste sibi in tyrãni fi
lium licere uoluit,hoc alius sibi uolet in ditissimum quenq; ciuium lice
re. Quisquis pauper à locuplete contumelia afficietur,protinus tyran
num eum appellabit,& ueneno aut ferro adoriet. Postremo si cui ma
gistratus non placebit,si cui iudex erit inuisus,non dubitabit è medio
tollere. Porrò ad facinoris defensionẽ,Sophistam quempiam aut syco
phantam consulet (si ipse ingenio stupidiore fuerit) & nouam legis
interpretationem uobis adducet: dicet nil aliud sensisse legislatorem,
quàm ut huiusmodi ciuium genus non nomine, sed re tyrannidẽ agen
tium,ferro,igni,ueneno tollatur è medio. Atq; ita breui futurũ est,ut
quod in uno factum semel & probauimus,& gauisi sumus:id in mul-
tis sæpius & doleamus,& improbemus. Credite mihi,nõ mediocre di-
scrimen,neq; cõuenienter accipiendũ,ut titulo reperto, priuatus homi
nem indemnatũ interficiat. Id ita esse facile liquebit,siquidem animad
uertimus,nihil omniũ esse,quod lex parcius, circũspectiusq; permise-
rit. Etenim (si memini) tribus duntaxat tẽporibus lex indulsit,ut quis
citra iudicium hominem occidat. Primum adulterum,sed in uxore de-
prehensum:id quod intemperanti & insuperabili mariti dolori dona-
tum est. At ita si corpus utrũq; pariter interimat,si argumẽtis idoneis
deprehensum fuisse doceat. Deinde in ui depellenda. At ita si demon-
stres te mortem effugere nequijsse,nisi mortem intulisses:id lex ita in-
terpretatur, quasi sese tueri potius sit isthuc,q; alium occidere. Vterq;
tamen facti sui rationẽ reddere compellitur, statim sese prodere, nec
expectare donec in ius trahatur:atque (ut ita dicam) ultro semet reũ
facere cogitur. Quod si omnia constabunt argumenta: ita demum à le
ge dimittitur, ut uenia,non laude dignus esse uideatur. Postremo in
tyrannicidio:ubi propter periculi susceptι magnitudinem lex præmiũ
quoq; ꝓponit:at ita si eum quẽ tibi lex isto uelut insigni tyrãnici notis
denotauit,fortiter occideris: non si sceleſtum alio scelere sustuleris: ne-
que patietur te ius occidẽdi ꝓmissum,latius q; ad unicum tyranni ca-
put trahere,nisi si quis obsistat,ut per illius necẽ tibi necesse sit ad illũ
penetrare. Iãq; hoc factũ tuum secunda illa ratione defenditur. Huic

tertio

tertio generi fortaſſe proxima uideatur,hoſtẽ in bello feriẽdi facultas: quam tuæ tamen libidini lex non permiſit. Niſi palàm hoſtis ſit declaratus,niſi in impatoris uerba iuraris,niſi ille aciem eduxerit, niſi ſigna canere iuſſerit, tibi fraudi futurũ eſt,hoſtem interfeciſſe. Tu dicturus es:Hoſtem occidi,nam plus quàm hoſtilia faciebat,nomen hoſtis tantum aberat,re hoſtem agebat. Lex reſpondebit,ſuarum partium fuiſſe,hoſtem declarare,ac tuo fortaſſe ſcelere fruetur:uerum ne ſerpat exemplũ,pœnas de te ſumet. Quid autẽ aliud abs te factum eſt? Vnum tibi lex nominatim deſignauerat:tu illius uocabulũ tuapte autoritate in alium tranſfers,quod niſi in unum non poteſt competere: neq; traduci debet ab eo cui lex attribuerit,ne tibi fas ſit aliquando quem uoles magiſtratũ,quem uoles iudicem,quem uoles ciuem,tyrannum appellare. Neq; uero ſine grauiſſimis cauſis lex tot uinculis aſtrinxit hanc in uitam alterius licentiam. Perpendit nihil maius eripi cuiq; poſſe, q; uitam:uidit in extinctũ facile uarias cauſas cõfingi etiam impune poſſe,quandoquidẽ ille non ſit refutaturus,qui iacet. Vidit quàm multis titulis ſuum quiſq; dolorem poſſet prætexere, ſi poſt occiſum hominẽ ulla cauſa recipiatur,præter eas quæ legibus ſint expreſſæ. Quid quod grauatim ſibi quoq; lex permiſiſſe uidetur,ut homini uitam eripiat: q; comperta,quàm multa requirit argumenta,quàm multa concedit reo, quàm maligne agit cum actore, quem non niſi ſuo periculo uult accuſare:quantum ſpacij largitur ei:qui defertur:quàm liberam iudicum reiectionem. Quantum igitur à mente legis abeſſe putas,ut cuilibet permittat,uel pro ſuo priuato dolore,uel domeſtica iuris interpretatione, hoc eſt, ſubuerſione, in cuiuſq; uitam graſſari? Neq; ad rem pertinet, quantum criminum aceruum exaggeres, quantumuis etiam uerorum addo notorum:dicas parricidam,ſacrilegum,inceſtum,proditorem,peculatorẽ,ueneficum interfeci. Tyrannum lex iubet occidi: atq; hic unus multis tyrannis erat ſceleratior,peſtilentioráq; ciuitati. Ad iſta tam multa crimina lex tibi uerbo reſpondebit. Nihil moror quàm fuerit ſceleroſus,qui perijt:in unum tyrannũ tibi ius fecerã occidendi,in reliquos in ius trahendi. Si detuliſſes:auditus,reuictus, damnatus à me palàm pœnas dediſſet,omniq; reipub. ſalubri exemplo fuiſſes. Nunc tu priuata libidine interficiens,pro ſaluberrimo exemplo, pernicioſiſſimum in ciuitatem induxiſti,& legum inſtaurationem,à legis uiolatione auſpicaris:hoc eſt,malis malo mederi ſtudes. An me clam eſſe putas, q; multi ſint in hac turba uita indigni, morte digniſſimi? At eos meæ cognitioni,non tuis manibus ſeruo:ſunt fora,ſunt tribunalia,ſunt iudices,ſunt carceres,ſecures,carnifices. Quur tu mihi præire conaris? quur nullo mandante magiſtratũ occupas? & dum tyrãnicida uideri uis,ty-

rannũ

rannũ imitaris? Nam quo alio nomine tantopere mihi eſt inuiſus ille, niſi quod mihi parere recuſat, & præire conatur? Ei demũ ferrũ tractare licebit, cuius manibus ego permiſero. Si iuuenẽ occidiſſes, quod non alia patuiſſet ad tyrannũ uia, darem ueniã neceſſitati: nunc occidiſti, non obſiſtentẽ, non auxiliũ ferentem patri, ſed patris opem implorantem. Huius unius cæde cõtentus diſſceſſiſti, tyrannũ nec impetiſti, in quẽ unum tibi ius feceram. Meum erat expendere, utrum ex uſu rei pub. fuerit, an iuuenis occideretur: maluerã illum exquiſitioribus excruciatũ ſupplicijs, exemplũ omnibus ædere. Necꝫ hæc dico iudices, quaſi parum gaudeã pariter cum patre ſublatũ filium: utinam eadem opera ſimul oẽs ſint oppreſſi, quibuſcunꝫ tyrannus placet. Sed quis prohibet, ſimul & gaudere, quod deorum bonitas nobis hanc rem bene uerterit, & tamen non committere, ut huius temeritas, ſi iudicio comprobetur, in legem atꝫ in exemplũ trahatur? Nec de iuuenis iniuria uindicanda nunc agitur, ſed de legis uiolatæ maieſtate. Non enim par eſt, ut cuicꝫ perſonæ præter ius extincti odium in ſcelere ſuffragetur. Neque tam ſpectandũ in quem cõmiſſum ſit facinus, quàm quo exẽplo cõmiſſum. Alioqui quur non eadem opera, fas ſit in tyranni nepotes, pellacas, pueros, uxores, liberos, lenones graſſari? Bonam tyrannidis partem uxor ſæpenumero ſuggerit. Ad ſummã immanitatẽ nonnunquã libertus aliquis, aut uernula inſtigat: quur non & hos iugulas, ſi tibi ius eſt æſtimatione priuata meritorũ ciuem iugulare? Quid quod eſt aliquid tyranno nocentius, in quod tamen haud quaꝫ tibi ius ſit occidendi. Finge eſſe qui totam hanc urbem, templa, domos, curiam conatus ſit incendere, imò qui iam cõpluribus locis ignem ſubiecerit, ſed incendiũ ſubito exorto imbri reſtinctum, autorem non obſcurũ, uerum abditũ latitare. Eum forte fortuna repertũ, manu tua trucidas. Num lex tuum factum approbabit? Non opinor. Atqui tyranno ille quanto erat nocentior? Tanto nimirũ, quanto eſt atrocius ciuitatem ſemel funditus euertere, quàm expilare: ciues uniuerſos uno igni finire, quàm in pauca quædã ſæuire capita. Et tamẽ in unum tyrannũ ſtringendi ferri poteſtas priuatim permittitur. Illũ deferendi modo ius habes? Hic in re tam aperta legis mentem calumniari, & nouo interpretamento tuum facinus palliare: quid tandẽ aliud eſt, quàm legum autoritatem euertere, atꝫ id per cuniculos quoſdã agere, quod tyrannus palàm ac ui facere cõſueuit? In recipienda lege fas eſt populo cauſam, æquitatemꝫ legis excutere. Cæterum receptæ, & longo iam uſu cõprobatæ, ſimpliciter oportet obtẽperare. Necꝫ enim exiſtimandũ eſt maiores illos noſtros uiros, ſine cõtrouerſia ſapientiſſimos, ita ſine grauiſſimis rationibus inſtituiſſe, ut priuatim interficiendi tyranni facultas

unico

unico capite finiretur. Primum ad iugulandi licentiam fenestram aperiendã ciuibus non putauerunt: deinde perspiciebant Tyrannidem fatale quoddã esse Reip. malum, quod minore noxa tolleraretur, & malle exagitaretur: neq; posse semel tolli, nisi Tyranni ipsius cæde. Quo submoto, uidelicet qui legibus imperabat, non parebat: iam nihil opus esse priuata audacia, nimirũ illis in Reip. administrationem uindicatis. Quod si Tyrãnus in ius uocari potuisset, ne hunc quidem tuæ dextræ arbitrio permisissent. Videbant & illud: Tyrãnidem nonnullam habere monarchiæ legitimæ speciem: hoc tantum interesse, quod in monarchia populus regi paret, rex legibus: in Tyrannide omnia unius libidini subiecta sunt. Rex publicã spectat utilitatem, Tyrannus priuatim suam: unde publicitus expedit, ut Tyranno ueluti principi legitimo ciuitas pareat, donec idoneus aliquis uindex extiterit, qui legum autoritatem in pristinum statum restituat, atq; id unius (si fieri potest) capitis iactura. Nam hac moderatione in fatalibus illis pestibus, quæ totum Reip. quasi corpus corripiunt, legum prudentia consueuit uti: ut exemplo magis, & admissi talione morbo medeatur: ne dum ciuitatem sanare studet, magnã ciuitatis partem interimat. Hinc est quod in seditionibus publicis non nisi in ipsos autores consueuit animaduerti, reliquis quos tempestas illa commouerat, dari uenia: aut uix etiam dari uenia, qui in publico Reip. tumultu quietem egissent. Quæ potest aũt pestis esse fatalior, & Tyrannis? Quæ sese latius in ciuitatis mẽbra diffũdit? Quota quæq; urbis pars ab hoc uicio syncera potest esse? Omitto iam quicquid est ambitiosorum, ære alieno obstrictorũ, scelere contaminatorum, barbarorum (nam hæc tota sentina hominum Tyrannide gaudet, ut in qua nullis maiora, & sceleratis sint præmia) bonos etiam ciues hoc malum inuoluit, dum uel timẽt fortunis suis, uel recte iudicant seruire tempori. In hoc itaq; rerum statu leges non extinctæ, sed oppressæ modo, cautim & circumspicienter agunt, intelligunt hoc hulcus citra summã ciuitatis perniciem exasperari non posse, unius capitis dispẽdio cõmode sanari posse. Quare docto cuipiã medico præmium ostendunt, digito demonstrant, quod membrum secariuelint, quibus abstineri. Caput indicarunt illæ, tu dextram secuisti. Illæ Tyrãnum, tu Tyrãni satellitem occidisti. Quo præmio dignus? Nempe eo, quo qui morbo insscite exagitato, totum hominem in extremum uitæ discrimen adducat, quo qui hominẽ legibus uetantibus occidat. Nec ego nunc te cædis reum ago, aget alius fortassis, cuicunq; lubitum erit: uerum illud modo consilium fuit, ostendere tibi & insignitæ sit impudentiæ in ea causa, tam eximiã tibi uendicare laudem, tam egregia poscere præmia, in qua nequeas obtinere, si modo tecũ exactius, ac seue-

tius agatur, ut graueis pœnas effugias. I nũc & curiosum me uoca: qui tam cãdide, tamq; ciuiliter tecũ agã: ut quũ te possim in graue discrimẽ uocare, sat habeã legis & Reip. causam defendere, ne circumucta præmium dare cogatur ei, qui nihil boni sit promeritus. Id quod non iudicibus modo (quibus isthuc iamdudum liquere puto) uerum tibi etiam ipsi cupio persuadere: & facturum me cõfido, si modo tantisper animũ possis attendere. Vin igitur, ut quemadmodum tu faciebas, itidem & nos summatim totam causam ob oculos reuocemus: dispiciamusq; cp multa tuo in facto desiderent ad id, ut legi satisfeceris: & quantum tu sis hallucinatus, quum multa diceres etiam superesse? Tria quedam requirit lex, & ita requirit: ut si quodlibet horum desit, aut pœnam te, aut certe nihil gratiæ debere se credat. Quorum ego non unũ aliquod, sed unumquodq; deesse docebo. Quod si facio: utrum æquo animo cedes præmio, an impudẽter petere persistes? Ergo rem accipe. Nisi tria hæc tibi constiterint: nõ est quod Tyrannicidæ præmium petas. Animus, uia, & effectus. Animus duo quedam complectitur; uel quid speraris, uel quid proposueris. Nam si Tyrannum per imprudẽtiam occidisses: si præter propositum, non magis profecto præmium tibi debeatur, cp siquis Tyranno amicissimus idẽ feciſſet, nam idem potuit accidere. Tu porrò quid propositi in arcem attuleris, ipse uideris, ita demũ legi persuasum erit, te uoluisse occidere Tyrannum, si occideris. Non occidisti, atq; id etiam quũ tibi in manu fuerit (ut ais) si libuisset interficere. Lex negat sua referre, utrum Tyrannicidij propositum in arcem non attuleris, an allatum repẽte mutaris. Iam quid speraris excutiamus. Quanq; isthuc leges nõ ita ualde curiose penticulant: sed tamẽ in tam absoluto facinore partes omneis cõstare oportet. Quid enim si Tyrannum interfeciſſes, quo Tyrannidem ipse occupares, utrum præmium sperares? an supplicium metueres? Quid si quo priuatum animi tui dolorem ulciscereris, Tyrãnum occidisses, atq; id esset palàm, nũ præmiũ auderes poscere? Quid, si latrones Tyrannũ forte fortuna obuium obtruncassent, num ad hũc honorem aspirarẽt? Quid siquis Tyranno priuatim infensus, magna te pecunia cõduxisset, quo ei Tyranno uenenum dares, dedisseq;, num, queso, tyrannicidæ præmium postulares? Ego hic tecum non ago coniecturis: nihil dico in uitam tuam, quæ quidem obscurior est, cp ut tu alioqui tã glorioſus quicq; de ea ausus fueris dicere. illud unum affirmare nõ dubitem, qui Tyrannum quum tuto licuerit, non occidit, planè noluit occidere. Qui eum occiderit, cuius mors extremum exitium Reip. uideretur allatura, potius cp ullam cõmoditatem: is aut priuatim dolorem ulcisci uoluit, non libertatem publicam uindicare, aut emolumentũ suũ sequutus est Reip. periculo, non suo periculo

Reip. studuit

Reip. ſtuduit prodeſſe. Poſtremo non poteſt niſi gloriæ ieiunio adductus uideri, qui tam inſolenter ſe iactat. Non poteſt non uideri lucrũ ſequutus, qui tã improbe præmiũ flagitat. An nõ uides igit quãtopere hac parte à tota legis mente diſſentias? quem illa tuæ uitæ periculo ſua cauſa uoluit occidere, eum tu non ſolum uolens præteriſti, uerum etiam periculoſe in Remp. irritaſti: quem ſua cauſa noluit occidi, eũ tu maximo noſtro periculo tui compẽdij, aut animi fortaſſe gratia iugulaſti. Sed finge te animum Tyrannicida dignum ad facinus attuliſſe, lucri perinde ut uitæ contemptorem, magni tamen refert, qua ratione Tyrannidem tollere aggrediaris. Iam enim omnia tibi ex animi tui libidine largior, quæ tamẽ nemo alius tibi conceſſurus eſt. Te in filio iugulaſſe patrem, in non Tyranno Tyrannum. Largior iſthuc Delium aliquem tibi prædixiſſe, ut certum præſcire potueris, quod ipſe etiã uix diuinare Delius potuerit. Licuiſſe tibi patrem occidere, ſi libuiſſet, uerũ hoc pœnæ genus tibi magis placuiſſe. Suſtuleris ſanè Tyrannidẽ, idq; noua quadam & inuſitata ratione. Vides q; multa tibi dono. Tamen obſiſtam tibi, nec ſinam ferre præmium, propterea quod ea uia ſuſtuleris, quæ legi non probatur, quæ nõ expediat moribus ciuitatis, quæ nõ ſit forti uiro digna. Age quid ſi Tyrãni filium infantem in cunis iugulaſſes, & rurſum adfuiſſet Delius ille, per quem certum præſcire poſſes fore, ut necato puero, pater ſibi mortẽ accerſeret, atq; id eueniſſet, utrũ te tanquam Tyrannicidam ſuſpiceret Reſpub. an potius tanq; immanem & ferum hominem execraret, qui in eam ſæuieris ætatem, cui etiã ab hoſte armato parcitur, quæ leonibus etiã miſerãda uideatur? Quid ergo? Vtetur tuo maleficio Reſpu. cæterum exemplum haudquaquã probabit. Quid ſi Tyranni uxorem, quam ille miſere deamaret, per uim conſtupraſſes, atque ille eius impatiens contumeliæ, fugerit è uita: utrum Tyrannicidij laudem flagitabis, an raptus & adulterij ſupplicium potius formidabis? Res obſcura non eſt. Conferam tuo facto propiora. Quid ſi Tyranni medicus quum eſſes, ueneno ægrotãti dato, illum ſuſtuliſſes, utrum ut ueneficum oderit te Reſpub. an ut uirum fortem admirabitur? Tyrannum ſublatum gaudebit, facti rationem, modumq; deteſtabitur. Quid ſi quum te Tyrannus familiariter uteretur, tu in conuiuio prætextu neceſſitudinis uenenum porrigeres? Deniq; ſi per magicas imagines, ac maleficas quaſdam deuotiones Tyranno uitam ademiſſes: utrum à lege præmium, an pœnam expectares? Atqui Tyrannidem utcunq; ſuſtuliſti. Euentu gaudet lex. Verum exemplum tam pernicioſum in Rempub. non recipit: ut conſueſcant ciues ſcelus ulciſci ſcelere, patrem in filio iugulare. Vides quantum momenti ſit in modo, uiáq;, ut factum tuum approbetur?

Quod lex permittit ut fiat: non ſtatim permittit, ut id uia qualibet efficias. Adulterum ferro occidere licet: ueneno aut incantamentis non licet. Quur ita? Quia peſtilens exemplū omnino tractare uenena. Nec id ulla cauſa quantūuis honeſta, ſinit in ciuitatem irrepere. Quid quod ne hoſtem quidem ueneno, aut malis artibus interficere fas eſt? Nam nuſq; non improbat maleficia lex: & ueneno tincta tela etiam in bellis interdicta ſunt. Quod ſi modus facti ſuperatur in his, in quibus nullū petit præmiū, quanto magis id fiet in his, in quibus ſummū petit. Lex triumphū ſtatuit ei, qui certum hoſtiū numerū fuderit. Fuderit aliquis nō acie, ſed aquis & pabulo ueneno tinctis. Vtrū ciues hunc æquis oculis ſpectare poterūt triūphantē, an potius ſicuti ueneficū oderint, auerſabūtur, execrabūtur? Quid quod priuatis etiā in rebus uia, modus q; perpēditur, quo magis idē oportebit, tū in publico, tum in ſplendidiſſimo facinore, ut à quo cōueniat omnē ſceleris ſuſpicionē abeſſe? Age illud tecū reputa, ſi medico mercedē pactus eſſes, quo te morbo leuaret, atq; ille nō pharmacis, ſed maleficijs & incātamentis morbū exemiſſet, utrū præmiū dabis, an magis hominē in ius trahes? iniuriæ malis artibus datæ reū ages? Clamabit ille, morbo te leuaui, qua uia quid iſthuc tua refert? Hoc tantum ſpectabas, ut morbo liber eſſes, ei rei merces eſt promiſſa. Ingratum te uocabit, qui niſi ſua opera, ne eſſes quidem, qui præmium negare poſſes, Tu protinus reſpondebis, opinor, medico te præmium eſſe pollicitum, non mago, neq; debere quicq;, niſi rem malam ei, qui beneficium male dederit. Quanq; ne dediſſe quidē uidetur, qui malum malo tollit. Id enim mutare eſt incōmodum, nō amouere. Dices enim animo nocitum, dum corpori ſubuenit. Atq; iſtam litem uinces, etiam iniquo iudice. Atqui eadem, aut melior etiam, & uincibilior eſt tecum cauſa legi, q; quæ tibi futura fuerat cum medico. Nam ibi de priuata mercedula diſceptaretur, hic de publico honore. Ibi falſus eſt unus, hic legi fraus facta, per quam cautum oportuit, ne quiſq; ciuium circumueniatur. Ibi ſalus data, certa quidem et efficaci, ſed ſuſpecta & improbata uia: hic nefario ſcelere (quur enim non ſic appellatur homicidium, quo in ciuem contra legem admiſſum ſit?) non libertas reſtituta, ſed in extremum diſcrimen adducta Reſpub. quandoquidem tuum factum perinde habet, ac ſi medicus quiſpiam ad curam mercede conductus, uenenum pro remedio miniſtret: quod tamen ægrotanti (ita ut non raro conſueuit accidere) per occaſionem morbum adimat. Qui reualuit, ſuis fatis acceptum feret quod uiuat, tibi mortem, tametſi uitarit, imputabit. Neq; ſua referre putabit, utrum imperitia, an perperam, ac ſtudioſe pro pharmaco uenenum porrexeris, propterea quod tui fuerat officij, aut nō ſuſcipere negociū: aut fidem

aut fidem ſimul, & artem, & induſtriam, ac diligentiam: & quicquid à probato artifice ſolet requiri, ad curã adferre. Sed age ſinimus adhuc poſſidere te, quod dudum ſumus largiti: ut planè iſta uia Tyrannum occideris, citra ullum Reip. diſcrimen. Lex non approbabit facinus tuum: niſi non tantum à crimine, uerũetiam ab omni criminis ſpecie procul abfuerit, ne uidelicet ea quæ in hoc potiſſimum adhibita eſt in ciuitatem, ut maleficium omne ſecludat: incolumitatem ſuam quam cõueniebat, aut Deo cuipiam, aut certe Dijs ſimillimo homini acceptam referri, ſceleri debere dicatur. Non approbabit, inquam, niſi Tyrannum ipſum quem nominatim indicauit ipſa, quáq; permittit uia ſuſtulerit: ne per rimam iſtam periculoſum exemplum in Remp. irrepat. Poſtremo niſi ferro, non clancularijs ac maleficis artibus: niſi uirtute, niſi manu, niſi uitæ tuæ manifeſto cõtemptu Tyrannum trucidaris. Neq; em̃ huc tantum ſpectat lex, ut Tyrannus in præſens ſubmoueatur: uerum illud multo magis reſpicit: ut omnes mortales intelligant in ea ciuitate uiros eſſe fortes, qui non uereantur uitæ ſuæ diſpẽdio, patriæ cõmodis conſulere: ac præclari exemplo facinoris, omnes etiam in poſterum ab affectatione Tyrannidis deterreantur: cum uideãt in ea ciuitate nullũ eſſe Tyrannis ſatis tutum præſidium: quandoquidem illud nemo neſcit, qui uitæ ſuæ ſit contemptor, eum eſſe alienæ uitæ dominum. Nam quod omnino ſatellitiũ, quæ excubiæ, qui parietes, quæ arx, quæ arma aduerſus huiuſmodi animũ Tyranni caput defendãt: qui patriæ libertatẽ ſua uita bene credat emi? Poſtremo autẽ: ut maxime tibi conſtet animus, ut cõſtet uia, id quod eſt totius negocij caput, nõ effeciſti. Tantũ em̃ abes ut Tyrannũ occideris: ut quãtum in te fuit, Tyrannidẽ maiorem in modum auxeris, interfecto Tyranni filio. Quid autem refert, malitia, an ſtultitia Remp. in diſcrimen adduxeris? Nã illo quod uulgo dicunt nihil uerius. Intempeſtiuam beneuolentiam nihil à ſimultate differre. Tantum abeſt ut occideris Tyrannum: ut ne ſuſpicari quidem potueris id euenturũ, ut ipſe ſemet occideret. Sed iuuenẽ occidiſti patrẽ inſolentiorẽ: quid tum poſtea? ſi patri & huius ſcelera lex imputat? Magnũ proinde Tyranni ſatellitẽ, non Tyrannũ occidiſti. Sed paratũ Tyrannidis hæredẽ occidiſti: in Tyrannidẽ ſuccedit, qui prior, qui potior eſt in occupando. Verũ eſto ſane, certum hæredẽ ſuſtuleris: igitur qui Tyrannus erat futurus, interemiſti. Atqui quod futurum eſt, id nondũ eſt. Porrò lex eum qui iam Tyrannus ſit, tolli debet: non quẽ aliquando futurum diuines. An qui ſtatuam ex pacto debeat, & rudẽ truncum præſtiterit: fidem perſoluiſſe uideatur? Non arbitrabor. Vbi nunc igitur ſunt illa tã multa, quæ tibi ad præmiũ poſtulandũ ſuperant? Vides q̃ ne unũ quidẽ omniũ tibi conſtet, quorũ nihil oportebat deeſſe.

bat deesse. Volui, inquis: id demum uoluisse te lex credit, quod effeceris. Postea è re nata propositum est cõmutatum. Hoc igitur præmij tibi debetur, quod ei, qui in Olympijs medio è cursu, relicta meta, ad carceres reflectit habenas. At periclitatus es. Proinde id laudis auferes, qd' is qui sudauit in Olympijs, nec uicit. Sed occidisti deniq; uerum eum, quem neq; lex permittebat arbitrio tuo, neq; ex usu publico fuerat occidi. At bene uertit ciuitati quod fecisti. Numini igitur gratia debetur, tali, qualẽ Palladem Atticis fuisse ferũt: de qua prouerbiũ extat, quod Athenienſium male consulta, in bonum exitum uertere cõsueuit. Non tu leges seruasti, sed sustulisti: non libertatem restituisti, sed numen aliquod huic urbi propitium, quod euẽtum tuæ temeritati debitum, sua cõmoditate à nobis auertit, quod tuam stultitiam nobis uertit in occasionem restituendæ libertatis. Non ego ingratum erga te populũ constituo, imò tu populum ingratum in Deos reddere laboras: quem quũ semel in periculum uocaris, ne pro simplici Tyrannide duplicatam pateretur: nunc rursum in discrimen trahere conaris, ne ab iratis superis in pristinam seruitutem, aut grauius aliquod infortunium retrudatur. Quid tu te fucis & phaleratis dictis in alienũ meritum insinuas? Quid tibi in eo negocio laudẽ uniuersam uẽdicas: ex quo præter pœnã temeritatis, nihil ad te redire merito possit? Si Reip. si iudicibus probare potes animum tuum tyrannicida dignum, qui nullum periculum uitæ Reip. causa recusarit: si facinus non scelere, non pernicioso exemplo, sed legitima uia peregisti, si fortuna tuis egregijs conatibus bene expetitũ dedit euentum, aude tyrannicidã te uocare, aude pulcherrimum, ac penè diuinum munus à Rep. poscere: aude nobis seruatas leges, restitutã ciuitatem, aude templa, aras, focos, fortunas omneis, tutos pueros, inuiolatas uirgines, impolluta matrimonia, deniq; hoc ipsum quod hic lege & apud iudices agimus, exprobrare: aude mihi minari, quod obstiterim: aude ciuitatem ingratitudinis insimulare, nisi laudem promeritam persoluerit: aude iudices, uel iniquos, uel corruptos clamitare, nisi suis sentẽtijs præmium tibi decreuerint. Contra: si suspectum quid uolueris, si periculosum, si contra leges, si cum scelere cõiunctum quod feceris: sit pudor, ac desine tandem improbe præmiũ flagitare, quod nulla ratione promerueris: pœnam, si sapis, incipe deprecari. Isthuc fortasis ab æquitate iudicum, à ciuitate deorũ munere læta, queas impetrare. Neq; enim putes unum me te à præmio deterrere. Imaginare isthac in causa pariter & leges, & Remp. & Deos tibi aduersari. Puta leges his tecũ uerbis agere. Si nos uere restitutas uideri uis, sine nostrã autoritatem primũm in hac tua causa ualere. Lõge plus laudis ex hoc iudicio referes, si nobis cesseris, si parueris: si tuam cupiditatẽ nostro submiseris

miseris arbitrio: si primum exemplum in te ciuibus ædideris, reuixisse nos, si mõstraris ciuitati iã non ex sceleratorum libidine, sed ex nostro præscripto cuiq; uiuendum esse. Atq; altera ex parte Remp. hac tecũ oratione uti puta. Si ciuem bonum mihi præstare studes, noli hãc stultitiæ notam mihi inurere: ut in posterũ re cognita, dicar ebrietate quadam gaudiorum ei præmiũ decreuisse, cui pœna magis deberetur: noli mihi Deos, quos uix denicq; tam diutinis uotis, tot sacris, tot precibus, tot meis malis placaui, commoui, propitios reddidi, denuo per ingratitudinem iratos atq; infensos reddere. Sine ut mihi per te liceat, saltem illorum beneficio frui. Quod si te neq; leges, neq; Resp. commouet: certe Deorum orationem uereri debes, quos ita tecũ agere putato. Quid tu te in nostræ laudis possessionem ingeris? Quid honori nostro inuides? Quur non sinis nos in hanc ciuitatem perpetuò benignos esse? Quur tu ipse tam ingratus existis? Ciuitas hæc semel mihi restitutam libertatem debet, tu bis debes, commoditati nostræ: & quod Remp. seruauimus, cuius tu pars es, & quod commoditate nostra tuam periculosam stultitiam, uel scelus potius in maximam felicitatẽ uerterimus. Etenim nisi nos dextri, propitiiq; adfuissemus, quid aliud tu q̃q; perieras, & per te Resp? Quod si plane contendis, ut præmium aliquod feras, abunde magnum præmium à nobis persolutum est, quod per nostres à te male instituta, bene uerterit. A legibus merito maior relata gratia, si nostræ prosperitatis respectu, temeritatis simul & sceleris ueniam condonarint. A ciuitate satis amplam laudem feres, si ea patiatur, ut in restitutæ libertatis historia tuum quoq; nomen admisceatur. Hac laudis parte contentus desine nobis debitum uelle præripere, ciuitati munus nostrum eripere, legibus autoritatem adimere. Sed finem facio, nimirum extillata iam aqua. Quod superest nunc, uestræ partes sunt iudices statuere, utrum secundũ leges, secundum Deos, secundum Remp. sententiam dicere, an secundum hunc glorioſum ostentatorem pronunciare uelitis. Vtrum hanc urbis felicitatem huius temeritati, huius sceleri acceptam ferre malitis, sæpius exprobrandam, & breui fortassis à superis iratis (id qđ abominor) auferendã: an in Deos quibus sine controuersia tota debetur, referre, eorundem pietate seruandam, augendam, benéq; fortunandam. Vtrũ magis ex usu sit, ut primo hoc iudicio statim leges circumuentæ dicantur, an ut appareat legum restitutarum seueritatem, & iudicum sapientiam aduersus unius, inquã, postulationem ualuisse.

DECLAMATIONIS ERASMICAE, QVAE LVCIANICAE RESPONDET, FINIS.

ERASMVS ROTERO-

DAMVS M. IOANNI PALVDANO RHETORI LOVANIENSIS ACADEMIAE, S. P. D.

T INTELLIGAS humanissime Paludane, Erasmum illum tuum tametsi per omnes terras, mariaq; uolitantem: tamen cui memoriam perpetuo secum circumferre: mitto quasi symboli uice Luciani dialogum: cui titulus, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Quem in Italiam profecturus, in ipso pene procinctu latinum feci. In eo nō sine uoluptate tanq; in speculo, uidebis aulicæ uitæ incōmoda: quæ tu mihi sæpenumero commemorare solebas, nimirum expertus, & ueluti naufragio eiectus, ac uix isti liberæ, literariæq; uitæ redditus. Idq; feci eo studiosius: ut meo exemplo te prouocarem, quo iā diu Græcanicis in literis uersatus, incipias & ipse aliquando audere aliquid. Quur em̄ non dicam audere? Quum nullum sit mea sententia facinus audacius, q̄ si coneris ex bene Græcis, bene Latina facere. Vale, méq; tui amantissimum mutuum ama.

LVCIANI LIBELLVS

DE IIS QVI MERCEDE CONDVCTI, IN Diuitum familijs uiuunt, Des. Erasmo Roterodamo interprete.

CQVID TIBI primū amice, aut quid postremum, quemadmodum uulgo dici consueuit, recenseam, ex his quæ tum facere, tum pati coguntur, qui mercedis gratia sese in alienas domos conuictumq; tradunt alienum, quiq; in locupletum istorum amicitiam accensentur, si modo eiusmodi illorum seruitutem conuenit amicitiam appellare? Noui enim permulta, atq; adeo pleraq; omnia, quæ illis ibi soleant accidere, non per Iouem quod ipse ea experimento cognorim (neq; enim mihi unq̄ experiundi incidit necessitas, ac ne quando incidat Dij prohibeant) sed quod complures qui in hoc uitæ genus inciderāt, apud me soliti sint commemorare, partim qui in ipsis etiamdum malis constituti, quæ & quanta ferrent deplorabāt, partim qui tanq̄ è carcere quodā profugi, nō absq; uoluptate recordabātur commémorabantéq; ea quæ fuerant perpessi,

Imò

Imò iuuabat reuocare ob oculos, quas erumnas effugíſſent. Atq; hi quidem digniores mihi uiſi ſunt, quibus fides haberet: ut qui eius ſacri ritus (ut ita dixerim) omnis omniáq; myſteria perdidiciſſent cũctáq; ab initio ad finem uſq; perſpexiſſent. Hos igitur haud quaq; indiligenter, nec oſcitanter audire ſoleo, ueluti naufragium quoddã, præter ſpem obiectam ſalutem enarrãtes. Cuiuſmodi ſunt iſti, qui in templis deraſo capite, complures ſimul obambulantes, immanes undas, procellas, ſublatos in cœlum fluctus, iactus, malos fractos, gubernacula reuulſa narrant. In primis autem gemminos Caſtorem & Pollucem apparentes (nam hi peculiariter ad hanc Tragœdiam pertinent) aut alium deum quempiam repente, quemadmodum in fabulis fieri conſueuit, exortum: ſummiſq; antemnis inſidentem, aut iuxta clauum adſiſtentem: qui nauim ad littus aliquod molle dirigeret: ad quod appellens futurum eſſet, ut & ipſa paulatim ac lente ſolueretur: & ipſi tutò in ſolum deſcenderent, idq; ope fauoréq; diuino. Atq; iſti igitur permulta id genus ad præſentem commoditatem exaggerantes, commemorant: quo uidelicet à pluribus ſtipem accipiant: ſi nõ calamitoſi modo, uerumetiam Diis chari eſſe uideantur. Porrò ij dum eas quas in tectis tulerunt tempeſtates referrent, atq; immanes illas undas, quin etiam decumanos fluctus, ſi fas eſt dicere: & quẽadmodum primum à littore ſoluerint mari tranquillo: quantumq; moleſtiarum perpetua nauigatione ſint perpeſſi: dum ſitiunt, dum nauſeãt, dum ſalo perfunduntur. Deniq; quẽadmodum infelici nauigio in cautem quampiam ſub undis latentem, aut in ſcopulum aliquem præruptum, & aſperum illiſo, fractóq; miſeri ægre enatarint, nudi, cunctarumq; rerum inopes. Hæc inquam quum referrent, mihi quidem uiſi ſunt permulta præ pudore ſubticere, uolenteſq; ac ſcientes obliuiſci. At ego etiam ea, præterea autem & alia nõnulla ex illorum narrationibus coniectans, deprehẽdi quicquid erumnarũ cũ eiuſmodi cõuictibus coniunctũ eſt. Quæ quidẽ oĩa haud grauabor optime Timocles tibi percenſere. Iampridẽ eñ mihi uideor animaduertiſſe, te de capeſſenda hac uitæ ratione cogitare. Nam olim quũ his de rebus ſermo incidiſſet: mox ex his qui præſentes erant, quiſpiam mercenariũ hoc uitæ genus laudare cœpit: fortunatiſſimos eos affirmans, quibus contigiſſet horũ uti familiaritate, qui apud Romanos eſſent optimates: tum conuiuijs adeſſe opiparis, idq; immunes: præterea ſplẽdidis in ædibus diuerſari: tũ peregrinari omnigena cum cõmoditate, uoluptateq;, alba interim in rheda (ſi forte libeat) reſupinatos. Inſuper ob hanc amicitiam, obq; commoditates quibus afficiunt, etiã mercedẽ capere: id uero nõ mediocre uideri. Iſtis eñ haud dubie citra ſementẽ, ac culturã, quod aiũt, cũcta prouenire. Hæc igitur

igit atq; id genus alia quũ audires,animaduerti quẽadmodũ ad ea in/
hiaueris,cũq; auide ad escã os apertũ porrexeris, pinde ne quid mihi
certe in posterũ possis imputare, neq; expostulare queas:quod quũ te
cõspiceremus tantũ unà cũ esca deglutiẽtem hamũ,nõ reuocauerimus,
neq; priusq; in guttur demergeret,reuulserim9,neq; præmonuerimus.
Verũ posteaq; cessassemus, donec eo iam adacto atq; infixo trahi iã,
ac ui duci cõspiceremus,tum quũ nihil opis afferri possit,frustra adesse
nos atq; illachrymari.Hæc inq;,nequando possis dicere:quæ si dicant,
merito pfecto dicantur,neq; à nobis refelli possent,quo minus peccas-
se uideremur, ut qui prius ista non indicassemus, audi nũc ordine oĩa.
Ac rete quidẽ ipsum cuiusmodi sit, cũq; nullũ habeat exitum: nõ intus
medijs in sinibus inuolutus,sed foris tutò atq; p ociũ ante contẽplator,
unci æris aculeũ,reflexam hami aciẽ,ac tridentis cuspides manu tentãs,
malãq; admotas experiens.Quod nisi uehemẽter acuta,nisi sic illigãtia,
ut effugiendi nulla sit facultas,nisi dira uulnera factura uideantur,acri/
ter trahẽtia, & inexplicabiliter retinẽtia: nos quidẽ inter formidolosos,
atq; ob id etiã pauperes,famelicosq; ascribito, ipse uero sumpta fidu-
cia,uenatũ istum,si uidet,aggreditor, Lari in morem totã escam hiatu
deglutiens.Atq; in uniuersum quidẽ forsitan tua causa omĩs hic sermo
dicetur.Quanq; non solũ de uobis philosophis,aut his quicunq; uitæ
institutũ sibi delegerunt cum uirtutis studio coniunctius,uerũetiam de
grãmaticis,rhetoricis,musicis,breuiter de omnibus,qui in doctrinæ p/
fessione uersari, quæstũq; facere pposuerunt. Cæterũ quũ omnia sint
inter istos cõmunia,eadẽq; prorsus accidãt omnibus,palam est philo/
sophorũ cõditionẽ non esse à reliquis eximiã. Imò hoc illis turpius ista
contingere,quũ sint cũ alijs cõmunia,si ij qui cõducũt, nõ alijs præmijs
eos cũq; reliquos dignos iudicẽt,nihilóq; magis cũq; cæteros in honore ha
beant.Sed quicquid erit,quod narrationis series aperiet,eius culpã po-
tissimum in ipsos cõferre par est, qui eiusmodi faciũt:deinde in eos,qui
talia sustinẽt. Ego uero culpari nõ debeo,nisi forte ueritas & libertas in
cõmemorando reprehensionẽ mereat? Ac reliquũ quidẽ hominũ uul/
gus,puta palæstricos quospiã,aut adulatores impios, sordidóq; ani-
mo ac suopte ingenio humiles & abiectos hoies, ne operæpreciũ qui-
dem fuerit ab eiusmodi cõuictu dehortari, qppe nequaq; obtẽperatu-
ros, neq; rursum æquũ sit illis uitio uertere, quod non relinquant suos
conductores,etiã plurimis ab illis contumelijs affecti.Sunt em̃ ad eam
uitæ rationẽ accõmodati,factiq;,neq; ea uidelicet indigni.Præterea ne
habeant quidem aliud quippiam , ad quod sese conuertant, & in quo
sese exerceant,adeo ut siquis eã uitam illis adimat,ignaui illico,cõsilijq;
inopes,desidiosi atq; inutiles reddãtur. Quãobrem nec ipsi rem aliquã
indignã

indignam patiantur,nec illi cõtumelioſe facere uideant:ſi(quod aiunt) in matellam imminxerint.Etenim ad eaſipſas cõtumelias iã inde initio præparati,conferunt ſeſe in familiam,atq; hæc ſola illis ars ſuppetit ferre & perpeti quicquid acciderit.Cæterum eruditorum nomine,de quibus inſtitueram loqui,merito indignandũ, enitendumq;, ut q̃ maxime fieri poteſt,eos inde reuocatos, in libertatem uindicemus. Videor autem recte facturus, ſi quibus de cauſis ſe quidam ad hoc uitæ genus conferunt,eas cauſas excuſſero:parumq; idoneas,atq; efficaces eſſe demonſtrauero.Siquidẽ eo pacto omnis illis præripietur excuſatio:ſummusq; ille titulus, quo ſuam ſpontaneam ſeruitutem ſolent obtexere. Iam igitur plericq; paupertatem & rerum neceſſariarũ inopiã proponunt:atq; eam umbram ſatis idoneam exiſtimant: qua ſuum factum prætexãt,quod ultro ad eam uitã acceſſerint. Ac ſibi ſufficere credunt: quum aiunt ſe quiddam ignoſcendum facere: qui id quod eſt in uita moleſtiſſimũ,nempe paupertatẽ, ſtudeãt effugere. Poſtea in promptu Theognis, atq; illud plurimum in ore,

Nam quemcunq; uirum paupertas enecat.

Et ſi quæ alia terricula abiectiſſimi quiq; poetæ de paupertate prodiderunt.Equidem ſi uiderem ex huiuſmodi conuictu paupertatis effugium aliquod uere cõtingere, non admodũ anxie cum eis de uehemẽter amplectenda libertate diſceptarem. At poſteaq; eiuſmodi quædã accipiunt:cuiuſmodi ſunt ægrotantium alimenta(quẽadmodum egregius ille dixit orator) qui queant effugere quo minus in hoc ipſum parum recte ſibi conſuluiſſe uideantur: nimirum ſemper illis manẽte eodem uitæ illius argumento? Semper enim manet paupertas, ſemper accipiẽdi neceſſitas, nihil quod ſeponat, nihil ſupereſt quod reſeruet. Verum quicquid datum fuerit, ut detur,ut uniuerſum etiam capiatur, prorſus omne inſumitur,ita tamen,ut ne id quidẽ in uſus ſufficiat.Rectius autem futurum fuerat:ſi nequaq; cauſas eiuſmodi cõminiſcerentur quæ paupertatem ſeruant, aluntq;, atq; eatenus duntaxat opitulantur.uerum quæ illa tandem aliquando tollant. Ac forſitan tibi hoc uolebas Theogni quum diceres eam in altum mare ac præruptis de ſcopulis præcipitem dari oportere. Quod ſiquis ſemper pauper, ſemper egens, quum ſemper mercede conductus mereat, hoc ipſo ſeſe arbitretur auſugiſſe paupertatem: non uideo qui fieri poſſit,quo minus hic ipſe ſeſe fallere uideatur.Rurſum alij negant ſeſe paupertatem formidaturos:ſi modo reliquorum hominũ in morem poſſint ſuo labore,ſuaq; induſtria ſibi uictũ ſuppeditare.At nũc ſibi fractas eſſe corpis uires, ſeu ſenio, ſeu morbis: eóq; ad eam uitam mercenariam facilem uidelicet atq; commodam cõfugere.Age igitur, inſpiciamus num uera prædicent,

prædicent: & num ea quæ dant ex facili illis ſuppetãt, non multo neq; adeo maiore labore conſtent, q̃ uulgo ſuus uictus. Nam id quidem etiam uotis expetendum, uti citra laborem; citra ſudorẽ, nullo negocio paratum argentum accipias. Verum quàm hæc abſint à uero: iſtud profecto ut dignum eſt, ne dici quidem ſatis poteſt: tantum laborum, tantum ſudorum in eiuſmodi conuictibus exhauriendum, ut hic ne ualetudo quidem ad id par ſit: quippe quum quotidie ſexcenta non deſint negocia, quæ corpus conficiant, atq; extremã uſq; defectionem delaſſent. Verum hæc ſuo loco dicemus: quum etiam reliquas illorum incommoditates commemorabimus. In præſentia ſat erat leuiter oſtẽdere, qui ſe aiunt hac de cauſa in ſeruitutem addicere ſeſe: ne iſtos quidem uera dicere. Supereſt iam ut eam cauſam referamus: quæ quidem ut eſt ueriſſima, ita ab illis minime profertur. Nempe ipſos uoluptatis gratia, & amplis illis ſpebus incitatos, ultro inuadere familias diuitum: auri argentiq; uim & copiam admiratos, præterea quod felices ſibi uideantur ob conuiuia, reliquasq; eius uitæ delitias: ſperantes futurum, uti mox, nemine uetante, affatim aurum bibant. Hæc nimirum ſunt quæ illos adducunt: atq; ex liberis ſeruos conſtituunt. Non rerum neceſſariarum uſus, quem prætexebant: ſed rerum non neceſſariarum cupiditas, atq; ingentium illarum & amplarum opum admiratio. Enimuero quemadmodum miſeros iſtos, atq; infelices amantes, callidi quidam & ueteratores amaſij receptant & faſtidienter ducunt, lactantq; uidelicet quo iugiter amantes, ambiãt ipſos atq; inſeruiant. Cæterum ex amoris fructu, ne ſummo quidem oſculo impertiunt. Intelligunt enim copia facta diſſoluendum amorem. Id igitur ne fiat, præcauent: diligenterq; ſui copiam ſubtrahunt. Alioqui ſpe ſemper retinent amantem: metuentes, ne deſperatio minuat cupiditatis ardorem: amantemq; ab ſe alienet. Proinde ſemper arridẽt, pollicenturq;, ſemper facturi ſunt: ſemperq; gratificaturi: ſemperq; ingentium ſumptuum rationem habituri: donec imprudentes ambo ſenuerint, atq; utriq; iam præterierit ætas: huic ad amandum, illi ad dandum. Atq; ita omni uita nihil illis peractum eſt ultra ſpem merã. Atqui uoluptatis cupiditate nihil non ferre: id quidẽ forſitan non uſq; adeo uitio uertendũ: quin magis uenia dãda: ſi qs uoluptate capiat, & hanc undequaq; colectet, quo poſſit ea potiri: quanq̃ turpe forſan ac ſeruile: ſi quis ea gratia ſemet in ius tradat alienũ: propterea quod uoluptas, quæ ex libertate percipit, multo ſuauior eſt, q̃ ea quã ille libertatis iactura ſectat. Attamen hoc quoq; aliquo pacto ignoſcẽdum illis fit: ſi modo conſequantur. Verum enimuero ob ſolam uoluptatis ſpem, multas perferre moleſtias, equidem & deridiculũ arbitror, & ſtultum:

maxime

maxime quum uideant labores certos esse,manifestos, & ineuitabiles: porrò illud quod speratur, quod quidē nihil aliud tandē est cęp uoluptas,ne tam longo quidem tempore contigisse.Præterea autem,nec uerisimile uideri:ut contingat aliquando,si quis modo rem recta reputet uia.At Vlyssis quidem socij,dulci quadam gustata loto reliqua negligebant,ac præsenti uoluptate deliniti honesta contemnebant, ut non prorsus cum ratione pugnarit in illis honestatis obliuio:nimirum animo uoluptatis illius sensu occupato.Verum si quis famelicus alij cuipiā loto sese ingurgitanti,neq; quicq; inde impertienti,assistat, idq; solam ob spem,quod credat fore,ut & ipsi aliquando degustandam lotū porrigat:assistat,inquam,ad hūc modum,recti atq; honesti oblitus,dij boni quàm hoc ridiculum,planeq; uerberibus quibusdam Homericis dignum.Ergo quæ istos ad diuitum conuictum adducunt,& quibus impulsi sese illis dedunt,ad quodcunq; lubitum fuerit utendos,hæc sunt, aut his fermè simillima.Nisi si quis & illos cōmemorādos esse iudicat, quos hæc una res ad id cōmouet,quod glorioſum arbitrantur,cum illustribus atq; opulentis uiris habere consuetudinem.Sunt enim qui hoc quoq; præclarum ac magnificum suprāq; plebem esse existimēt. Nam ego quidem,quod ad me proprie attinet,recusarim uel cum Persarum rege cōuiuere duntaxat, conuictorq; uideri,si nullus ex eo cōuictu fructus ad me redeat.Quum itaq; causa eius uitæ suscipiendæ sic illis habeat,age iam cōsideremus apud nosmetipsos:primum cuiusmodi sint illis perferenda priusq; admittantur,priusquàm obtineant.Deinde cuiusmodi in ipsa iam uita constituti patiantur.Postremo quæ tandem catastrophe,quis fabulæ exitus illis contingat. Neq; enim illud dicere possunt:hæc tametsi molesta sint,tamen assuesci facile,neq; ad id multo opus esse labore,sat esse si uelis modo: postea reliqua omnia factu fore facilia.Imò necesse est ut primum diu sursum ac deorsum curſites, mane excitatus assidue pro foribus obuerseris,ut perdures,quum protruderis,quum excluderis,quum improbus interdū atq; importunus uideris,cū ianitori male Syrissanti,ac nomenclatori Libyco subijceris, quumq; nominis tui memoriam mercede redimere cogeris. Quin etiā uestitus tibi est apparandus supra tuæ rei facultatē,pro dignitate eius cuius conuictum ambis,deligēdus color,quo ille potissimum gaudeat, uti ne discrepes,néue oculos illius offendas.Postremo uti gnauiter assectere necesse est,uel antecedas potius,à famulis ꝓtrusus,ac ueluti pompam quandam expleas.At ille interim complures iam dies ne aspicit quidem te. Quod si quando res tibi felicissime uerterit, si te respexerit, si accersiuerit,dixeritq; quicquid illud fuerit, quod illi forte in buccam uenerit,tum denicq;,tum plurimus sudor,tum multa oculorum caligo,

tum intempestiua trepidatio,tum Sannæ eorum qui adsunt,hæsitanti-
am tuam ac perplexitatem ridentium. Qua quidem nõ raro accidit: ut
quum oportuerit respondere:quis fuerit rex Achiuorum:mille naues il
lis fuisse respondeas. Atq; id si qui sunt modesti pudorem uocant : im
modesti timiditatem nominant: improbi insciti am. Ita fit,ut tu primã
hanc diuitis comitatem, tibi periculosissimam expertus,ita discedas: ut
tantã animi tui imbecillitatem ipse condemnes. Porrò ubi multas iam
noctes insomnes duxeris:ubi plurimos dies cruentos egeris: haud qui-
dem Helenæ gratia per Iouem : neq; ob Priameia Pergama : uerum
spe quinq; obolorum: contigerit aũt & deus quispiam tragicus qui ti-
bi sit auxilio:iam illud restat,ut exploreris excutiarisq;: num literas no-
ris. Atq; ea quidem disceptatio nõ iniucunda est ipsi diuiti: quippe qui
laudatur interim, ac felix esse prædicatur. Cæterum tibi uidetur, de uita
ipsa , déq; omni fortuna tum certamen esse paratum : propterea quod
tibi uenit in mentem,idq; merito futurum,ut alius nemo sit admissur9,
si prius ab hoc reiectus , ac repudiatus uideare. Interim in uarias curas
distraharis oportet: partim dum inuides ijs qui pariter ex æquo tecum
examinantur. Finge enim & alios esse,qui eiusdem fortunæ tibi sint cõ-
petitores:te uero tibi uideri cuncta parum absolute respondisse , metu-
entem interim simul & sperantem , ac misere de illius uultu pendentẽ:
qui si quid parum probet eorum quæ dixeris , periisti. Sin arridens au
scultat, hilarescis & spe bona fultus consistis. Porrò consentaneum est:
esse non paucos : qui tibi aduersentur , atq; alios in tuum locum uelint
inducere. Horum unusquisq; clanculum uelut ex insidijs in te iaculatur.
Iam uero illud considera : quale sit uirum promissa barba,cana coma,
examinari:nunquid bonæ rei didicerit:& alijs quidem didicisse uideri,
alijs secus. Superior interim uita,& omnis anteacta ætas tua curiosius
disquiritur. Quod si quis aut ciuis inuidia,aut uicinus leui quapiam de
causa prouocatus te deferat , & adulterum dicat uel pæderasten : Is
protinus , iuxta uetus illud prouerbium,ex Iouis tabulis testis . Por-
rò si pariter omnes bene de te prædicent,suspecti, leues , ac largitio-
ne redempti uidebuntur. Nam admodum omnia tibi constent opor-
tet. Nihil prorsus sit,quod tibi queat obsistere, Alioqui nunq; obtinue-
ris. Age sanè. Hoc quoq; contigit,ac bona quapiam fortuna cũcta tibi
feliciter cesserunt,& probauit ipse doctrinam tuã,& amicorũ præcipui,
quibusq; ille huiusmodi in rebus plurimam habet fidem,non dehor-
tantur. Ad hæc uult etiam uxor. Non refragatur domus præfectus, ne-
que item dispẽsator. Nemo tuã insimulauit uitam, dextra oia & omni
ex parte bene promittunt sacra. Vicisti igitur ô fortunate, & coronatus
es Olympia. Quin Babylonem magis cepisti , aut Sardorum arcem

occupa-

occupaſti. Habebis copiæ cornu & gallinaceũ lac emulgebis, iam ſanè par eſt, ut aliquando præmia capias, maxima uidelicet, & quæ laboribus tantis reſpõdeant, ne corona tua frondea dũtaxat ſit, ſimul ut merces haudquaq̃ contemnenda præſtituatur, eáq̃ commode ad uſum citraq́ negocium perſoluatur, utq́ reliquus item honos tibi præter miniſtrorum uulgus ſuppeditetur. Cæterum à laboribus illis, à luto, à curſitationibus, à uigilijs, in ocium te recipias, uti id quod uulgo ſolent optare mortales, porrectis pedibus dormias, nihilq̃ iam facias præter ea ſola, quorum gratia primum receptus es & in quæ conductus. Ita enim conſentaneum fuerat Timocles, neque ingens malum erat futurum, ſi quis ſubdita ceruice ferat iugum, leue nimirũ & portatu facile quodq́ eſt omnium maximum, auro illitum. Atqui longe ſecus res habet, imò nihil horum reperietur. Siquidẽ in medijs ipſis id genus conuictibus, ſexcentæ res accidunt, uiro ingenuo neutiquàm tolerandæ. Quæ quùm audieris, ipſe tecum ordine reputato, num quiſquàm ea perpeti queat, cui quidem cum eruditione uel minimum cõmercij fuerit. Exordiar autem ſi uidetur à primo conuiuio, unde conſentaneum eſt te conſuetudinem illam auſpicaturum. Primum igitur, adeſt tibi quiſpiam, qui te iubeat ad conuiuium accedere: famulus non incomis qui tibi prius placandus datis in manum, ne uidearis inciuilis, ut minimum quinq̃ drachmis. At ille Acciſſans, ſeq̃ quum maxime cupiat, cupere diſſimulans, Apage inquit. Egóne quicq̃ abs te? Addit & illa, abſit, dij prohibeant. Tandem flectitur atq̃ obtemperat, ac diſcedit, te late diducto rictu ſubſannans. Tu porrò nitida ſumpta ueſte, mundiſſimóq̃ cultus, lotus accedis, ſollicitus interim, ne prior alijs aduenias. Nam id inurbanum, quemadmodum poſtremum uenire, graue. Proinde media inter utrunq̃ obſeruata opportunitate ingrederis, téque ſanè quam honorifice excipiunt. Tum arrepta manu te quiſpiam iubet accumbere, paulo ſupra diuitem, inter duos fermè ueteres amicos. At tu perinde atque in Iouis ædes ueneris, nihil non admiraris, & ad omnia quæ geruntur ſuſpenſus inhias: propterea quod noua tibi atque inuiſa ſint cuncta. Interim familia te ſpectat, omneſq̃ qui præſentes ſunt, quid agas obſeruãt. Neque uero ea res curæ non eſt ipſi diuiti, quippe qui famulis aliquot præmonitis negocium dederit, ut oculis obſeruent, quemadmodum te geras in pueros aut in uxorem, num ſubinde, ex obliquo reſpectes. Ac reliqui quidem conuiuæ, ſimulatq̃ te uident propter imperitiam ad ea quæ fiunt attonitum, ac ſtupefactum, derident clanculum, coniectantes te nunquam antea apud alium quẽpiam cœnaſſe, nouumq̃ tibi eſſe ut mantile apponatur. Proinde, ſicuti ueriſimile eſt, præ hæſitantia ſudes oportet, ac neq̃ cum ſitias, audeas potum poſcere, ne uinoſus uideare,

neque uarijs appositis opsonijs,& in ordinem quendam extructis, scire posses,cui prius aut posterius manum admoueas. Quare ad eũ qui proximus accumbit respectes necesse est,atque eundem imitatus, conuiuij rationem & ordinem discas.Alioqui anceps sedes,& uarians,animóq; penitus perturbato,& ad omnia quæ illic geruntur obstupescés. Atque interim quidem,diuitis admiraris felicitatem,propter auri uim & eboris,tantasq; delitias.Interim tuam ipse deploras infelicitatẽ, qui quum nullius sis rei,tamen uiuere te credas.Nonnunq; & illud in mẽtem uenit, fore ut admirandam & expetendam quandam uiuas uitã,quippe qui sis omnibus delitijs illis fruiturus,cũctorumq; ex æquo futurus particeps.Arbitraris enim te semper bacchanalia festa celebraturum.Quin & adolescentuli formosi præministrantes,ac silentio arridentes,suauius in posterum hoc uitæ genus pollicẽtur,ut Homericum illud nunquàm desinas in ore habere,

Haud uitio uerti debet si Troia pubes
Armatiq; simul Danai,sub Marte laborum
Pondera tanta ferant:

ob tantam uidelicet felicitatem.

Accedunt ad hæc inuitatiunculæ ad bibẽdum.Ac postulato perquàm ingenti scypho quispiam,præbibit tibi,præceptorem,aut aliud quiddã deniq; te appellans.At tu recepto scypho quid uicissim oporteat respõdere,propter eiusmodi morum imperitiam ignoras, iamq; rusticanus, & inelegans esse uideris.Cæterum ea propinatio multorum ueterum amicorum inuidiam in te concitauit,è quibus nõnullos iamdudũ tuus accubitus clanculum urebat,quod modo quum adueneris,ijs anteponare,qui multorum annorum seruitutem exhauserint.Protinus itaque talia quædam de te inter illos dicta feruntur.Illud scilicet malis nostris deerat,ut etiam ijs qui nuper in familiam commigrarunt, posthabeamur.Et solis græculis patet urbs Romana.Et quid habent, quamobrẽ nobis debeant anteponi?Num mirificam quandam utilitatem adferre uidentur,quum uerbula quædam misera dicunt?Rursum alius, hæc An non uidisti,quãtum biberit,quemadmodum cibos appositos auide corripiens deuorarit?Homo inelegans,ac fame enectus, qui ne per somnum quidẽ unq; fuerit albo pane saturatus,multo minus aue Numidica,aut Phasiano,è quibus nobis uix ossa reliqua fecit. Porrò tertius,fatui,inquit,priusq; quinq; abeant dies,uidebitis hunc nihilo pluris fieri q; nos.Nam nũc quidem,nõ secus atq; calcei noui solẽt,in precio est,& habetur charus:uerum ubi crebro iam fuerit calcatus, lutóq; deformatus, tum misere sub lecticam abijcietur cimicibus, quemadmodum nos,opppletus,Atq; inter illos talia permulta de te iactantur.

Ex

Ex quibus aliquot iam tum etiam ad calumniandum insimulãdumq; te incitantur. Omne igitur illud conuiuium tui plenum, ac plerique de te sermones. Tu uero propter insolentiam atq; insuetudinem plus quàm sat est hauris uini tenuis & acris, eóque iamdudum aluo tibi cita discruciaris: uerum neque decorũ tibi ante alios è conuiuio discedere, neque rursum manere tutum. At producta interim in longum potatiõe dum sermo alius ex alio nascitur, dum spectacula alia post alia proferũtur in conuiuium (nam uniuersum fortunæ suæ strepitum tibi cupit ostentare) non mediocriter discruciaris, cui non liceat, neque uidere quæ geruntur, neque auscultare, siquis uoce, citharaue canat egregie dilectus adolescentulus. At laudas tamẽ inuitus, cæterum animo illud optas, ut aut terræmotus repens ortus ea cuncta discutiat, aut incendium aliquod renuncietur, quo simul conuiuium tandem aliquando dirimatur. Habes amice primum illud scilicet & suauissimum conuiuium, quod mihi quidem haudquaq; suauius sit cepis, candidóq; sale, libere quum uelim ex his & quantũ uelim edenti. Verum ut ne tibi cõmemorem ructus acidos, qui deinde sequuntur, ut ne nocturnos uomitus, mane uobis erit de mercede pacto transigendum, quantum, & qua anni parte te oporteat accipere. Ergo præsentibus duobus aut tribus amicis, accersito te, & considere iusso, sic loqui incipit. Facultates nostræ cuiusmodi sint, iam perspicere potuisti, quàm nullus in his fastus, sed citra ostentationem, moderata ac popularia omnia, sed mediocria omnia ac plebeia. Sic autem animum inducas uelim, ut existimes omnia nobis fore cõmunia. Nam ridiculum profecto, si quum charissimam possessionum mearũ partem, puta meam ipsius uitam, aut per Iouem, liberorũ etiam (si fors illi liberi fuerint erudiendi) tibi credam, non aliarum item rerum te mecum ex æquo dominũ ac possessorem existimem. Cæterum quãdo certi quippiam est præfiniendum, equidem uideo uitæ tuæ frugalitatem, & animum paucis contentum. Neque non intelligo haud mercedis ad ductum spe te in nostrã uenisse familiam: uerũ aliarum gratia rerum: puta nostræ in te beniuolẽtiæ causa, tũ honoris, qui tibi præter omnes continget. Attamen præfiniendum est aliquid. Quin ipse magis quod uidebitur statuito, habita ratione, uir amicissime, munerum etiam illorum quæ quotannis festis diebus à nobis accepturus uideris. Neque enim uel ista nobis fuerint neglectui futura, etiam si nunc hæc pactione non complectamur. Scis autem complures per annũ eiusmodi munerum occasiones incidere. Horum igitur habita ratione, moderatius nimirum præmium nobis præscribas. Præterea decet etiam uos homines eruditos, pecuniam negligere. Hæc ille dicens, totumq; te uaria spe labefactans, mitem sibi ac tractabilem reddidit. Tu porrò qui dudum

talenta,ac multa nummûm milia ſomniaras,ſolidos agros,& familias, ſentis quidem tacitus apud te hominis ſordes ac parſimoniam:nihilominus blanditur tibi pollicitatio tamen: atq; illud cõmunia futura ſunt omnia ratum & uerum fore arbitraris: ignarus eiuſmodi dicta

Summis è labijs, non imo è corde profecta.

Tandem præ pudore ipſe ſtatuendi ius defers. Verum ille facturum ſe ſe negat. Cæterum ex amicis præſentibus quempiam in eo negocio uelut medium intercedere iubet:qui ſalarij modum pronunciet eum: qui neq; ipſum grauet, ut cui plurimas tum alias in res magis his neceſſarias ſumptus ſit faciendus:neq; rurſus ei qui laturus eſt,ſit omnino indignus. Atque is ſeniculus quiſpiam,diuitis æqualis,unà cum illo à pueris,adulando educatus.Eho tu inquit,num inficias ire potes,quin unus ſis qui in hac urbe uiuunt omnium fortunatiſſimus,cui primum contigerit,quod pluribus miſere cupientibus,uix à fortuna dari poſſit,nempe ut in huius hominis conſuetudinem admittaris,ut cõmunes penates habeas,ut in familiam inter Romanos primariam recipiaris? Id nimirum tum Cræſi talenta,tum Midæ diuitias ſuperat,ſi modo modeſtus eſſe noris.Equidem nõ paucos noui magni nominis uiros,qui cupijſſent,etiam ſi quid ultra dandum fuiſſet,gloriæ dũtaxat cauſa, cum iſto uiuere,& familiares apud hũc atq; amici uideri. Quapropter haud inuenio,quibus mõdis tuam prædicem felicitatem,qui quidem ad hãc tam expetendam fortunam,etiam præmio addito admitteris. Proinde,mihi ſatis eſſe uidet,niſi planè es inſolens,ſi tantũ accipias, ſimulq; pronunciat,ſanè minimum quiddam,præſertim ad ſpes illas tuas: attamen boni conſulas neceſſe eſt. Neque enim iam poſſis effugere, quum intra retia tenearis. Frenum igitur recipis,muſſitans,ac diſſimulans, ac initio quidem non magnopere illi reluctans,facileq; ſequeris, ut quod non admodum te torqueat,neque ſtringat,donec illi tandem paulatim aſſueueris. Tum uero ij qui foris ſunt mortales, hoc ipſo nomine tuam fortunam admirantur,quod te conſpiciant intra cancellos uerſantem, ac nullo prohibente introeuntem, prorſusq; prædaris illis opibus delitijsq; domeſticum quendam ac familiarem eſſe factũ. At ipſe nondum uidere potes,quobrem illi te felicem exiſtiment,niſi quod gaudes tamen téq; ipſe fallis,ſemper futura meliora fore exiſtimans. Cæterum contra atq; ſperaris euenit,& quẽadmodum adagio dicitur: iuxta Mandrabuli morem negociũ procedit,in ſingulos(ut ita dixerim)dies, deterius ac retro relabens. Vnde paulatim uelut in luce dubia, tum demum diſpiciens intelligere incipis,aureas illas ſpes,nihil aliud fuiſſe,q; ampullas quaſdam inauratas,labores autem eſſe graues,feros,ineuitabiles,ac perpetuos. Sed quinã iſti ſint,forſitan me rogabis. Neq; enim

uideo

uideo inquies,quid in hac consuetudine sit adeo molestum,neq; intelligo ista quæ cõmemoras,grauia atq; intoleranda.Audi igitur uir egregie,non molestiam modo negocij perpendens,uerum fœditatem, humilitatem,prorsusq; seruilitatẽ,uel præcipue interim considerans. Principio memineris ex eo tempore,te iam neque liberũ,neq; ingenuũ posse uideri.Noueris enim te hæc omnia genus,libertatem , progenitores, ante limen relinquere,quum in huiusmodi seruitutem temetipsum addicens in ædes ingrederis.Siquidem libertas tibi comes ire recusarit,ad uitam tam indignam,tam humilem te conferenti.Seruus itaq; (tametsi nomine ipso grauiter offenderis)seruus inquam,uelis nolis, futurus es, neque unius seruus uerum complurium,operamq; seruilẽ præstare cogeris,obstipo capite,à diluculo in uesperam usq;,idq; mercede uili atq; indigna.Adde,quod ne placebis quidem admodum , neque domino satisfacies, neque ab illo magnifies,ut qui non à puero fueris ad seruitium institutus,sed sero didiceris,atque ætate multum aliena cœperis ad id erudiri.Excruciat autem te pristinæ libertatis memoria,animo recursans,facitq; ut interdũ resilire conere,reluctarisq;, atq; ob id ipsum fit,ut seruitus tibi molestior accidat.Nisi forte illud tibi ad libertatẽ sufficere putas,quod nõ fueris Pyrrhia aut Zopyrione patre prognatus aut quod non sic,uti Bithynicum aliquod mancipium, uociferante præcone diuendaris.Atqui tum uir egregie,quum instante nouilunio,Pyrrhijs & Zopyrionibus immixtus,manum itidem,ut alij seruuli protẽdis,capisq;,quodcunq; illud tandem est quod datur,hæc uidelicet est auctio.Nam præcone nihil opus erat homini qui ipsus sui fuerit præco,quiq; ipse ultro sibi multo tempore dominum ambierit.Age iam ó sceleste(cur enim nõ dicam præsertim in eum qui se philosophum esse dicat?)si quis te pirata inter nauigandum captum,aut si quis prædo in seruitutem tradidisset,teipsum deplorares,tanq; indignam fortunæ iniuriam patientem. Aut si quis manu iniecta,te duceret in seruitutem asserens,leges inclamares,omnia faceres,acerbe ferres,& ó terra,ó dij,magno clamore uociferareris.Nunc uero,quum ipse te, ob paucos obolos,id ætatis in qua etiam si seruus natus esses,tamen tempestiuum fuisset iam ad libertatem aspirare,cum ipsa uirtute ac sapientia ultro adducẽdendideris,nihil illa reueritus, quæ permulta ab egregio Platone, Chrysippo,Aristotele differuntur,quum libertatem laudant, seruitutẽ damnant.An non te pudet,quum inter homines assentatores, & emptitios,ac scurras uersans ex æquo cum illis æstimaris ; quum in tanta Romanorũ turba,solus peregrino in pallio uersaris, quumq; Romanam linguam perperam ac barbare sonas;præterea,quum agitas cõuia tumultuosa,magna hominũ turba conferta,quorum pleriq; collectitij

ctitij, quidam sunt & improbi? Atq; inter hos laudas odiose, bibisque præter modum: deinde mane ad tintinabulum expergefactus, discussa ab oculis dulcissima somni parte, unà sursum ac deorsum circumcursas, hesterno luto etiamdum tibijs adhærente? Vsqadeó ne te lupini, aut holerum agrestium tenuit penuria? Vsqadeo tibi defuerũt fontes frigida manantes aqua, ut per desperationem ad ista deuenires? Haud puto. Quin potius palàm est, te, non frigidæ aquæ, neque lupini, sed bellariorum, atque opsoniorum, uinicq; odorati cupiditate captum eò uenisse. Quæ dum lupi piscis in morem auidius appetis, tuo merito euenit, ut hamus tibi fauces transfixerit. Itaq; præsto sunt huius intẽperantiæ, gulæcq; autoramenta. Ac perinde atq; simia à trunco reuinctus collo, reliquis quidem omnibus risui es, at ipse tibi delitijs affluere uideris, cui contigerit affatim expleri caricis. Cæterum libertas, ingenuitas, una cum ipsis gentilibus, ac tribulibus, hæc nimirum euanida cuncta, atque istarum rerum ne memoria quidem ulla, quanq; hoc quoq; ferendum, si uita ista cum hac turpitudine dũtaxat esset coniuncta, quod è libero seruum uideri facit, non labores etiam accederent, cum illa femorũ colluuie cõmunes. Sed uide, nùm quæ tibi imperãtur, leuiora sint his, quæ Dromoni aut Tibio mandantur. Nam doctrinæ quidem, cuius rei cupiditate simularat te in familiam suam accersisse sese, perquàm exigua illi cura est. Quid enim (ut dici solet) cõmercij asino cum lyra? An nõ uides uidelicet, eq; miserè macerentur immodico desiderio, uel Homericæ sapiẽtiæ, uel Demosthenicæ grauitatis ac uehementiæ, uel Platonicæ sublimitatis? Quorum me herde ex animis si quis aurum, argentum, atq; harum rerum curas tollat, nihil fuerit reliquum, præter fastũ, mollitiem, lasciuiam, luxum, ferocitatem, imperitiam. Atq; ad ista nihil prorsum opus te. Verum quoniam tibi barba ingens propendet à mento, quoniamq; uultu ipso graue quiddam & uenerandum præ te fers, tum quia pallio græcanico decenter amictus es, noruntq; iam omnes te grãmaticum esse, seu rhetorem, seu philosophum, pulchrum ille sibi putat, ut & eiusmodi quispiam, anteambulonũ suorum pompæ permixtus esse uideatur. Futurum enim hac re ut græcanicarum disciplinarum studiosus, reliquaq; omnis doctrinæ neq; negligens, neq; rudis esse putetur. Vnde fit ut in periculum uir egregie uenias, ne non tam ob admirandas illas artes, quin magis ob barbam palliumq; conductus esse uidearis: proinde ut perpetuus apud illum conspiciaris oportet, neque absis unq;, uerum ut diluculo relictis stratis, in famulitio temet exhibeas conspiciendum, neq; locum in acie deseras. Porrò ille iniecta nonnũq; tibi manu, quicquid forte in mentem inciderit, de hoc tecũ nugatur, ob uijs ostentans, quàm ne per uiam quidem ingrediens, incurius sit literarum,

rum,quin ut illud ipſum etiam otium,quod inter inambulandum datur,in re quapiam honeſta collocet. At tu miſer interim, nunc curſim, nunc gradatim,nunc ſcanſim plerunq;,nunc deſcenſim(Nam ſcis huiuſmodi eſſe urbem)obambulans,tum ſudas,tum ſpiritū anhelus trahis. Deinde illo intus cum amico quopiam,ad quem acceſſit,confabulante,quum tibi interim locus deſit,ubi uel aſſidere queas,librum uidelicet ſtans in manum ſumis,quóq; fallas tædium,legis. Poſt ubi ieiunū te ſitientemq; nox occuparit,incommode lotus,intempeſtiue,puta nocte fermè concubia,ad cœnam accedis,haud perinde deinceps in precio habitus,neq; conſpiciendus his qui adſunt. Verum ſi quis aduenerit recentior,tu poſt tergum reiiceris. Itaq; in angulum aliquem abiectiſſimum retruſus,accumbis,teſtis duntaxat ac ſpectator eorum quæ apponuntur,canum ritu oſſa circūrodens,ſi fors ad te perueniat,uel aridum maluæ folium,quo reliqua inuoluunt,ſi faſtidiatur ab iis qui ſupra te accumbunt,præ fame libenter arrepturus. Audi iam & aliud contumeliæ genus. Quid quod ne ouum quidem ſoli tibi apponitur. Neq; enim conuenit,ut tu ſemper eadem requiras,quæ hoſpitibus atq; ignotis miniſtrantur,quandoquidem hæc tua ſit inſcitia atq; inurbanitas. Neq; auis eiuſmodi tibi apponitur,qualis aliis. Verū diuiti illi pinguis & ſucculenta,tibi pullus dimidiatus,aut palumbus aliquis aridus atq; inſipidus,non auis uidelicet,ſed manifeſta contumelia ludibriumque. Neq; uero raro fit,ut ſi quando deſit alibi,miniſter repente te inſpectã te ſubmouens ea,quæ tibi erant appoſita aliis apponit,illud tibi ad aurem immurmurans,tu profecto noſter es. Quod ſiquando interim diſſecetur,uel porca fœta,uel ceruus,aut ſtructorem tibi modis omnibus propitium habeas oportet,aut certe Promethei partem feres: nempe oſſa adipe circūtecta. Nam quod ei qui ſupra te accumbit patina ſinitur adſtare,quoad ſatiatus repudiet,te contra tam celeriter prætercurrat,quis tandem iſthuc ferat,qui modo ſit ingenuus,cuiq; tantum inſit bilis,quantum uel ceruis adeſt? Atq; illud equidē nondum dixi, quod reliquis ſuauiſſimum acuetuſtiſſimum uinum bibentibus,tu ſolus malum quoddam & pingue bibis. Proinde illud ſemper curas, ut auro, argentóue bibas,ne colore prodente,palàm fiat,te uſq; adeo contemptum,neglectumq; eſſe conuiuam,quanquàm bene tecum ageretur,ſi uel illud ipſum ad ſatietatem uſq; bibere liceret. At nunc ubi crebrius poposceris, miniſter audiſſe diſſimulat. Adde iam multas interim & alias eſſe res,quæ te diſcrucient, imò nihil eſſe fermè, quod non ſit acerbum, maxime quum tibi cinædus aliquis antefertur, quin pluris te ſit is, qui ſaltandi docet artem, qui iocos Ionicos contexit Alexandrinus

xandrinus quiſpiam homunculus. Nam qui tibi ſperes tu ut in accubitu æqueris iſs, qui uoluptates & amatoria ſubminiſtrant? qui literulas in pectore geſtant? Proinde in obſcuro quopiam conuiuij latibulo tectus, præcǫ pudore abſtruſus, ſuſpiras, uti cõiectandum eſt, técǫ ipſum deploras, ac fortunam incuſas tuam, quæ tibi ne pauxillulum quidem lepôris ac uenuſtatis aſperſerit. Ac prorſus ita uideris affectus, ut optes poëta fieri, ut amatorias conſcribas contiones, aut ſi id non contingit, uel eam aſſequi facultatem, ut poſſis ab alijs conditas digne canere. Vides enim quibus in rebus ſitũ eſt, ut quis efferat, plurimícǫ fiat. Quin & illud ferre queas, ut magi quocǫ, aut arioli perſonam (ſi neceſſe ſit) induas, ex horum genere qui amplas hæreditates, qui imperia, qui cumulatas opes pollicentur. Quando quidem hos quocǫ uides non mediocriter à diuitibus amari, plurimícǫ fieri. Eóque uel unumquodlibet horum fieri percupias, uti ne prorſus reijculus, atque inutilis appareas. At qui ne ad iſta quidem docilis es infelix: proinde ſubmittas te oportet, muſſitéſcǫ ac tacitus feras, dàm apud te plorans, ac neglectui habitus. Etenim ſi te famulus aliquis ſuſurro deferat, qui ſolus omnium nõ laudaris puerum heræ ſaltantem, aut cithara canẽtem, iſta ſcilicet ex re nõ leue diſcrimen impendet. Quapropter terreſtris in morem ranæ, ſitiẽs uocifereris neceſſe eſt, id operam dans, ut in laudantium numero inſignis ac præcipuus appareas. Quin ſæpicule, ſilentibus reliquis, tibi ficta quædam laus proferẽda: quæcǫ multam ſapiat aſſentationem. Iam uero magnopere ridiculum eſt, cum eſurias interim ſitiaſcǫ, unguentis collini, ac uertice geſtare coronam. Siquidem id temporis non diſſimilis uidere ſepulchrali columnæ, uetuſti cuiuſpiam cadaueris, quæ geſtare ſolet ea, quæ manibus inferuntur. Nam huic infuſo unguento, impoſitácǫ corona, ipſi & bibunt, & edunt apparatas epulas. Porrò ſi etiam zelotypus quiſpiam fuerit, ſintcǫ illi uel pueri formoſi, uel uxor puella: necǫ tu prorſus à Venere Gratijſcǫ fueris alienus, profecto non ſatis tuta res, necǫ periculum negligendum: propterea quod regis plures ſũt oculi: qui quidem non uera ſolum uident: ſed ſemper ueris aliquid addunt ad cumulum, ne cõniuere uideantur. Quas ob res, uultu demiſſo tibi eſt accumbendum: quemadmodum in Perſicis conuiuijs fieri mos eſt, uerito, ne quis eunuchus ſentiat te in concubinam aliquam conijcientem oculos: moxcǫ alter eunuchus, cui iamdudũ arcus in manu tenſus eſt, quia uideris quæ uidere nephas: inter bibendum, malam iaculo tranſfigat. Iam peracto conuiuio, ubi paululum dormieris: ad galli cantum expergefactus: O me miſerum inquis, ô infortunatum, cuiuſmodi quondam conuictus: quos amicos reliqui: tum uitam tranquillam

tranquillam & ocij plenam, ſomnum quem meapte cupiditate metiri ſoleo, deambulatiões liberas, atque ex his in quale barathrum memet præcipitem dedi? Et deum immortalem, cuius tandem rei gratia? Aut quod nam iſtud magnificum præmium? At ne fieri quidem potuit, ut mihi unꝯ aliâs plures commoditates ſuppeterent quantum ſuppetebant. Tum autem accedebat libertas, atque omnia pro meopte arbitrio faciendi facultas. Nunc porrò iuxta id quod prouerbio iactatum eſt: Leo chordula uinctus ſurſum ac deorſum circumferor. Quodꝯ omnium eſt miſerrimum, maximéque deplorandũ, neque efficere poſſum ut placeam, neque gratiam emereri queo: propterea quod harum rerum ſum imperitus ac rudis, maxime compoſitus collatusque cũ his qui hæc uelut artem profitentur. Proinde iniucundus ſum, ac neutiquam aptus conuiuijs, quippe qui ne riſum quidem concitare norim. Quin etiam ſentio me non raro moleſtum eſſe & importunum, quũ adſum, maxime, quum ipſe ſeipſo feſtiuior eſſe conatur. Nam illi tetricus uideor. In ſumma nullam inuenio uiam, qua me illi accõmodem. Etenim ſi meam ipſius autoritatem ac ſeueritatẽ tueri pergo, iniucundus uideor, ac propemodũ horrendus ac refugiendus. Contra ſi riſero, uultumque quàm poſſum maxime ad hilaritatem compoſuero, faſtidit ilico ille, & auerſatur. Ac prorſus tale quiddã mihi uidetur, quale ſit, ſi quis in perſona tragica comœdiam agere tentet. Poſtremo quam tandem aliam uitam mihi uiuam demens, poſteaquàm hanc præſentem alteri uixerim? Dum hæc tecum loqueris, iam ſonuit tintinabulum, iamque ad eadem tibi redeundum eſt, obambulandum, ſtandum, ſed ceromate inunctis ante femoribus poplitibuſq́, ſi modo uelis par eſſe certamini, præmióque tollendo idoneus. Deinde conuiuium idem & eadem apparatum hora. Iamque adeo diuerſa uiuendi ratio ſuperioriq́ contraria, tum inſomnia, ſudor, defatigatio, paulatim quaſi ſuffoſſis cuniculis inducunt uel tabem, uel pulmonis exhulcerationem, uel inteſtini tormina, uel egregiam illam podagram. Reluctaris tamen ſedulo, ac frequenter quum ualetudo poſcat uti lecto decumbas, ne hoc quidem licet, eo quod aſſimulari morbus quo munia officiáque iuſta defugias exiſtimatur. Hinc præter omneis ꝑpetuo palles, ſemperq́ iamiam morituro uidere ſimilis. Et hactenus quidem de his quæ domi ferenda ſunt. Quod ſi quando fuerit peregrinandum (ut ne interim referam alia incõmoda) ſæpe fit, ut pluuio cœlo, ubi poſtremus ueneris (Nã is locus tibi ſorte cõtigit) uehiculũ opperiaris, donec nullo iã reliq̃ loco ubi diuerſeris, ꝓxime coquũ aut heræ cõptorẽte reclinãt, ne ſtipulis quidẽ affatim ſubſtratis. Neq; uero tibi referre grauabor, qd̃ mihi Theſmopolis

polis iſte Stoicꝰ narrauit ſibi accidiſſe, rem ꝓfecto nimiſq; ridiculã, quæ tamẽ eadẽ poſſit & alij cuiuis accidere. Conuiuebat enim cũ opulenta quadã ac delicata muliere ex illuſtribus iſtis & urbanis. Eã, quũ aliquã do peregre proficiſceretur (nam id primũ aiebat ſibi maximopere deridiculum accidiſſe) in curru ſibi uiro nimirum philoſopho adiunxiſſe cinædum quempiam picatis cruribus, deraſa barba. Quem illa honoris (ut coniicio) gratia ſecum ducebat. Quin nomen quoq; cinædi commemorabat. Aiebat enim Chelidonium uocari. Iam primum illud cuiuſmodi fuerit uide: iuxta uirum ſeuerum tetricumq;, tum ſenem canóque mento (Scis autem quàm profundam ac uenerabilem barbam habuerit Theſmopolis) aſſidere nihili hominem & effœminatum, pictis oculis, lubrico uultu, fracta ceruice, non Chelidonem per Iouem, id eſt hirundinẽ, ſed uulturem magis, reuulſis barbæ plumis. Quod ni magnopere illum fuiſſet deprecatus, ne faceret, futurum fuiſſe, ut flammeum etiam in capite geſtans aſſideret. Præterea autem perpetuo hoc itinere moleſtias innumerabiles pertuliſſe ſeſe, illo cantillante garrientéq;, demum (niſi idem hominem coërcuiſſet) in rheda etiam ſaltante. Addebat ſecundo loco tale quiddam ſibi fuiſſe mãdatum. Accerſito illi mulier Theſmopoli inquit, ita tibi dij bene faciãt: magnum quoddã officium abs te requiram, quod caue recuſes, neq; expectes ut quicq; te ſim rogatura ſtudioſius. Atq; hoc (ut eſt credibile) omnia ſe facturũ pollicito, hoc inquit, te rogo quandoquidem uideo te uirum probum, diligentem & amantem caniculam quam noſti Myrrhinam, in uehiculum recipe, eamq; mihi ſerua: curans ne quid illi deſit. Nam miſera grauida eſt, atq; adeo propemodum iam propinqua partui. At iſti ſceleſti & immorigeri miniſtri, non dicam huius, ſed ne mei quidem ipſius magnopere rationem habent in peregrinationibus. Quare ne te putes mihi mediocre beneficium facturum, ſi chariſſimam mihi iucundiſſimamq; caniculam ſeruaris. Recepit Theſmopolis quum illa tãtopere rogaret ac propemodum etiam fleret. Porrò ſpectaculum erat ſupra modum ridiculum. Canicula è pallio prominens proſpectansq; paulo infra barbam ac ſubinde immeiens (Tametſi hæc quidem Theſmopolis reticuit) ac gracili uoce latrans (huiuſmodi enim catellæ iam in deliciis ſunt) neq; non philoſophi mentum oblingens, maxime ſi quid prudiani iuris inhæreret. Porrò Cinædus aſſeſſor ille, quũ non inſulſe ſuper conuiuium dicteria quædam ieciſſet in eos qui aderant, ac denique & ad Theſmopolim uſq; dicacitas perueniſſet: de Theſmopolide, inquit, unum hoc poſſum dicere, eum è Stoico Cynicum iam nobis eſſe factum. Equidem audiui caniculam etiam peperiſſe in Theſmopolidis

ſmopolidis pallio. Huiuſmodi delitijs illudunt,uel(ut uerius dicam) huiuſmodi contumelijs ac ludibrijs tractant eos,qui cum ipſis uiuunt, paulatim eos cicures ac manſuetos ad ferendas cõtumelias reddentes. Præterea autem & Carcharorum Oratorem noui,qui iuſſus ſuper cœnam declamabat, neutiq; inerudite per Iouem,imò grauiter & abſolutiſſime,ac laudabatur interim ab illis bibentibus,quum nõ ad aquæ modum,ſed ad uini amphoram oraret. Atq; eam moleſtiam,ob ducẽtas drachmas perpeti ferebatur. Verum hæc quidem fortaſſis utcunq; toleranda. Porrò ſi diues ipſe,aut poëticus fuerit,aut hiſtoricus,qui ſua ipſius ſcripta in conuiuio recitare gaudeat:tum uero maxime futurum eſt,ut diſcrucieris ac dirumparis. Nempe quum admirari,quum aſſentari,quum nouos quoſdam laudandi modos cominiſci neceſſe habes. Sunt autem qui & formæ nomine ſtudeant admirãdi uideri. Eos nũc Adonidas,nunc Hyacinthos appelles neceſſe eſt,etiam ſi illis naris nõnũq; cubitali hiet ſpecu. Quod ni laudaris,protinus in lapidicinas Dionyſiacas aſportaberis,tãq; qui illi tum inuideas,tum inſidieris, maleq; uelis. Ad hæc & ſapientes & rhetores ſint neceſſe eſt. Quod ſi etiam ruſtice quippiam dixerint,tum uero iuxta illud,quod dici ſolitum eſt: Atticæ atq; Hymetti plenam orationem uideri uolunt,atq; in legem abire,ut deinceps ita loquantur homines. Quanq; quæ uiri faciũt,ferri forſitan queant. At uero mulieres(nam mulieribus etiam illud ſtudio eſt, ut doctos aliquot in ſuo cõuictu conductitios habeant,quiq; ſeſe mercede aſſectentur:) Quandoquidẽ hoc quoq; ad reliquum cultũ, elegantiamq; pertinere putant,ſi dicãtur eruditæ,ſi philoſophi,ſi carmina cõponere Sapphicis haud multo inferiora,ob hæc ſanè hæ quoq; conductitios Rhetores,Grãmaticos,Philoſophos circũferunt. Hos autẽ audire ſolent(id quod ipſum eſt ridiculum)tum tẽporis,quũ uel comuntur,aut capillos in orbem religant,uel in conuiuio. Nam aliâs nõ ſuppetit illis ociũ. Porrò ſæpenumero fit,ut interim dum Philoſophus quippiam differit,interueniẽs ancilla,literulas ab adultero porrigat. Ac præclari illi de pudicitia ſermones intermittuntur,opperientes donec illa reſcripſerit adultero,atq; ita redeat ad auditionem. Porrò ſiquãdo poſt multum temporis inſtantibus ſaturnalibus, aut panathenæis, miſera quæpiam umbella tibi mittatur,aut tunicula ſemiputris ac detrita,tum deniq; plurima miſſitentur oportet. Atq; aliquis qui ſtatim ſubauſcultarit,herũ id facere deſtinãtem,præcurrit,ac primus rei index, abienſq; non exiguum precium aufert qui renunciarit. At mane plus tredecim te adeunt idem apportantes nuncij:quorum quiſq; cõmemorat quàm multa dixerit,quemadmodum ſubmonuerit,quemadmodum adhortans commodiora ſubiecerit. Omnes itaque donati præmio diſcedũt,

at nõ ſine murmure tamen,qui nõ plura dederis. Porrò ſalariũ ipſum ſex fermè obolorum. Idq; ſi tu poſtules,grauis atq; importunus habe ris. Proinde quo illud aliquando auferas:primũ ipſi hero aduleris, ſupplexq; fias neceſſe eſt:deinde captandus & diſpenſatoris fauor. Nam hoc quoq; quoddam eſt ſeruitutis genus. Neque uero negligendus is, quem in conſilium adhibet,neque item amicus. Deinde quod acceperis,iamdudum debebatur uel ueſtiario,uel medico,uel cerdoni cuipiã. Vnde fit ut ſera atque intempeſtiua,eóque inutilia præmia tibi accedant. Cæterum inuidia ingens. Iamq; etiam calumniæ quædam paulatim ſtruuntur in te, apud hominem qui iam non inuitis auribus accipiat, ſiquid aduerſum te dicatur: Quippe qui perſpiciat te laboribus aſſiduis iam detritum,& ad obeunda munia famulatus claudicantem,atque obaudientẽ,ac podagra ſubinde grauari. Proinde poſte aquàm id quod erat in te florentiſſimũ decerpſit, æuiq; partem maxime frugiferam ac præcipuum corporis uigorem detriuit,iamque te lacerum panniculum reddiderit,tũ modis omnibus circumſpicit in quod ſterquilinium te portatum abiiciat,atque alium perferẽdis laboribus idoneum,in tuum ſubſtituat locum. Ibi inſimulatus, uel quod puſionem illius tentaris,uel quod homo ſenex uxoris ancillam uirginem uitiaris,uel alio quouis impoſito crimine,noctu obuolutus ac præceps datus extruderis,diſcediſq; deſertus ab omnibus, atque omnium inops rerum optimam podagram unà cum ſenecta comitem ducens. Quum interim quæ quondam ſciueris,tanto temporis ſpacio dediciceris,tum uentrem culeo reddideris ampliorẽ,tibiq; paraueris inexplebile quoddam & implacabile malum. Etenim gula ea quibus aſſueuit, flagitat. Quæ cũ negantur,indignatur. Adde quod præterea nemo te poſthac recepturus eſt in familiam,utpote cuius iam præterierit ætas,quiq; ſimilis euaſeris equis ſenio affectis, quorum ne pellis quidem perinde ut aliorum animantium eſt uſui. Quin ex hoc ipſo quod eiectus es, calumnia quàm poteſt proxime adueri ſimilitudinem conficta, facit ut aut adulter,aut ueneficus,aut aliud quippe tale uidearis. Nam accuſatori uel tacenti fides habetur. Tu uero Græculus,moribus leuibus, & ad omne facinus facilis. Siquidem huiuſmodi nos omnes eſſe ducũt,idq; iure optimo,uideor enim mihi cauſam aduertiſſe, quamobrem eiuſmodi de nobis obtineant opinionem. Nam pleriq; qui in familias accedunt:propterea quod alioqui nihil bonæ rei didicerunt, diuinationem ac malefícia profitentur,conciliationem amorum,abductiones in hoſtes,atque id quum faciunt,doctos ſeſe affirmant,palliis amicti,barbiſq; neutiquàm contemnendis onuſti. His rebus fit,ut non iniuria eãdem de reliquis omnibus habeant opinionem,quando eos quos præ-

cipuos

cipuos esse iudicant,uideant tales.Maxime uero,posteaquàm animad uerterint,quàm sint in conuiuijs,reliquoq; conuictu adulantes, quàm ad lucrum humiles ac seruiles:deinde eiectos eosdem iam oderunt,neque id iniuria,ac modis omnibus adnituntur,ut eos funditus perdant, si quo modo possint. Verentur enim,ne cuncta illa uitæ suæ mysteria in uulgus efferant,quippe qui nihil non exacte norint,quiq; illos nudos conspexerint.Ea res igitur illos male angit. Omnes enim similes sunt pulcherrimis istis libris:quorum aurei quidem umbilici, purpurea foris pellis:cæterum intus aut Thyestes est liberos in conuiuio comedens,aut Oedipus matris maritus,aut Tereus cum duabus pariter sororibus rem habens.Eiusmodi sunt & illi,splendidi,conspicuiq;. Porrò intus sub purpura uarias occulunt Tragœdias.Quorum unumquēq; si euolueris,explicueriscq;,fabulam non mediocriter longam reperies, Euripidis cuiuspiam,aut Sophoclis.Contra foris nil nisi purpura splēdida,aureiq; umbilici.Harum itaque rerum sibi conscij oderunt illos, atque insidias parant,siquis penitus ab illis defecerit,qui eos probe cognitos depingat,qualesq; sint euulget.Iam uero libet mihi Cebetis illius exemplo & imaginem quādam huius uitæ tibi depingere, ut eam contemplatus scire queas,num ex usu tuo sit eam adire.Equidem magnopere cupiam uel Apellem quēpiam,uel Parrhasium, uel Aëtionē, uel Euphranorem ad hanc depingendam tabulam adhibere. Verum quoniam fieri potis non est,ut aliquem artificem tam egregium atque absolutum nanciscamur,in præsentia tenuem quandam pro mea uirili imaginem adumbrabo.Ergo pingatur uestibulū sublime atque inauratum,neque id humi situm in solo,uerum procul à terra in ædito collis fastigio.Præterea inaccessum fermè & abruptum, lubricoq; aditu, ita ut plerūq; qui se iam ad summum usq; uerticem penetrasse sperarant,lapso pede præcipitati ceruicem frangant. Intus autem Opulētia sedeat,tota(si cuti uidetur)aurea,maiorem in modū formosa,atq; amabilis.Porrò amator ubi uix tandem conscendit,iamq; ad fores accesserit,obstupescat,oculis in aurum defixis,deinde Spes,quæ & ipsa specioso uultu est,ac uersicoloribus amicta,manu prehensa introducat, mire iam ipso ingressu attonitum.Atque ab eo quidem tempore Spes usq; illum antecedat,ducatq;,tum aliæ mulieres illum excipientes,puta Fallacia,Seruitusq;,tradant Labori.At is miserum penitus defatigatum tandem Senectæ tradat iam morbidū,colorēq; cōmutato. Postremo Contumelia,arreptum illum ad desperationem pertrahat.Ex hoc quidem tempore Spes auolans euanescat. Tum ille non per aureum illud atrium per quod ingressus fuerat,sed per posticū quoddam,& occultū exitum extrudatur nudus,uentricosus,pallidus,senex,læua quidem pu

dorem occultans,dextra uero seipsum strangulans.Occurrat autē exeunti Pœnitudo frustra lachrymans,& miserū bis etiam cōficiens. Atq; hic quidem esto picturæ finis.Cæterum tu Timocles optime ipse diligenter consideratis singulis expende,num è re tua sit ut in hanc imaginem per aureas illas fores ingressus,per illas longe dissimiles tam turpiter excutiaris.Quicquid autem feceris,memineris sapientis illius,qui dixit:Deum in culpa non esse,uerum qui sua sponte delegerit.

LVCIANI DE IIS QVI MERCEDE CONDVCTI, IN DIVITVM FAMILIIS VIVVNT, DES. ERASMO ROT. INTERPRETE.

FINIS.

HIERONYMO BVSLIDIANO PRAEPOSITO ARIENSI CONSILIARIO REGIO ERASMVS ROTERODAMVS S. P. D.

RVMOR iampridem hic perseuerat, acerbior quàm ut uerum esse libeat credere,sed cōstantior tamē,quàm ut uanus credi possit,PHILIPPVM principem nostrum, è uiuis excessisse.Quid querar mi Buslidiane,quid uociferer,quem incusem,hominū úe,Deumue? Quæ comploratio tam Tragica,quæ huic tam atroci uulneri sufficiat? Nimio,heu nimio constitistis Hispaniæ, quæ quidem primum Franciscum Buslidianum Archiepiscopum Bizontinum nobis ademistis,neq; tanti uiri iactura contentæ, principē etiā eū absorbuistis,quo (si uiuere modo licuisset) nihil unq; habuit hic orbis,neq; maius neq; melius. Quanq; quid,quæso,supererat etiam adolescenti, nisi uti iam ipse sese superaret? Sed ó dirum fortunæ ludum,ó nouam fatorum inuidentiam,ó mors quàm iniqua,tam etiam inuida, ut semper præstantissima quæq; quàm ocyssime tollis è medio,uixq; oculis ostensa protinus subducis. Cuius ego uicem hic potissimum deplorem? MAXIMILIANI ne patris,qui tali sit orbatus filio,quem unum multis etiam imperijs anteponebat? An liberorum magis,quibus ætate tam immatura,tam pius sit ereptus pater? An patriæ potius,cui de charissimo principe,tam serum gaudium,tam præproperus contigerit luctus? An orbis demum uniuersi,cui tam singulare lumen sit ademptum? idq; tam ante diem.Hoc nimirū hoc tempestas illa fatalis,qua medio è cursu in Britanniam depulsus est,portendebat,uidelicet fatis illū palàm ab Hispania reijcientibus.Equidem Panegyrico qualicunq; laudaui iuueuē. Tum autē bone deus,quot mihi panegyricos,q; copiosos pollicebar?

Et en

Et en repente cõmutatis rebus, epitaphiũ paro miser. Eamus nũc nos homunculi, & fortunulis nostris fidamus, quum eos etiam pro sua libidine mors rapiat, quos q̃ diutissime uiuere tantopere omnium refert. Sed quid ego mi Hieronyme, dum meo indulgeo dolori, tuum exhulcero? Quod reliquũ est precor ut superi propitij liberis paternam quidem felicitatem: sed cum diui FEDERICI uiuacitate copulatam largiantur. Tibi item in moderandis illis fraternos successus: sed uitam fraterna diuturniorem. Literis his: ne ad tantum, tamque doctum amicũ nullo literario munusculo comitatæ uenirent, dialogos aliquot Luciani, comites addidi: quos pauculis his diebus, dum obsidionis metu Florentiam profugeremus, Latinos feci: hoc nimirum agens, ne nihil agerem. Nã in præsentia quidem in Italia mire frigent studia, feruent bella. Summus Pontifex Iulius belligeratur, uincit, triumphat, planéque Iulium agit. Vale, & amplissimo patri Nicolao Ruterio episcopo Atrebatensi etiam atque etiam Erasmum commendato. Bononiæ XV. Calendas Decembres. M. D. VI.

GNEMONIS ACDA

MIPPI DIALOGVS, DES. ERASMO ROTE RODAMO INTERPRETE.

CNEMON.

HOC ILLVD est quod uulgo dici consueuit, Hinulus leonem. DAM. Quid istuc est, quod tecum stomachare Cnemon? CNE. Quid stomacher rogas? Equidem hæredem reliqui quendam præter animi sententiam, uidelicet astu delusus miser, iis quos maxime mea cupiebam habere præteritis. DAM. Sed istuc quinam euenit? CNE. Hermolaum nobilem illum diuitem, quũ orbus esset, imminente morte captabam, assidens atque inseruiens. Neque ille grauatim officium meum admittebat. At interim illud quoque mihi uisum est scitum, consultumque ut testamentum proferrem, ac publicarem, quo illum rerum mearum in solidum hæredem instituerã, nimirum ut ille uicissim idem faceret, meo prouocatus exemplo. DAMIP. At quid tandem ille? CNE. Quid ille suo in testamento scripserit, id quidem ignoro. Cæterum ego repente atque insperato è uita

decessi,tecti ruina oppressus.Et nunc Hermolaus mea possidet,lupi cuiuspiam in morem ipso hamo cum esca pariter auulso. DAMIP. Imò non escam modo cum hamo,quin etiam te quoque piscatorem simul abstulit.Itaque technam istam,in tuum ipsius caput struxeras. CNE. Sic apparet,idq; adeo deploro.

ZENOPHANTAE ET CALLIDEMIDAE DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

ZENOPHANTES.

T TV Callidemides,quo pacto interisti? Nam ipse quemadmodum Diniæ parasitus quum essem, immodica ingurgitatione præfocatus fuerim,nosti,aderas enim morienti. CAL. Aderam Zenophantes. Porrò mihi nouum quiddam,atque inopinatum accidit.Nam tibi quoque notus est Ptœodorus ille senex.ZENOP.Orbum illum dicis,ac diuitem,apud quem te assidue uersari conspiciebam? CAL. Illum ipsum semper captabam,colebamq;, id mihi pollicens fore,ut meo bono quàmprimum moreretur. Verũ quũ ea res in longum proferretur,sene uidelicet,uel ultra Tithonios annos uiuente,compendiariam quandam excogitaui uiam,qua ad hæreditatem peruenirem.Siquidem empto ueneno,pocillatori persuaseram,ut simulatq; Ptœodorus potum poscceret, bibebat autẽ prolixius, præsentius in calicẽ inñceret,habereteq; in promptu,porrecturus illi. Quod si feciſſet,iureiurando confirmabam,me illũ manumissurum.ZENOP. Quid igitur accidit? nam inopinatum quiddam narraturus mihi uideris.CAL. Vbi iam loti ueniſſemus,puer duobus paratis poculis, altero Ptœodoro cui uenenum erat additum,altero mihi, nescio quo modo errans,mihi uenenum,Ptœodoro porrexit innoxium. Mox ille quidẽ bibit,at ego protinus humi porrectim stratus sum,suppositiciũ uidelicet illius loco funus.Quid hoc? Rides Zenophanta? Atqui non conuenit amici malis illudere.ZENOP.Rideo profecto,nam eleganter ac lepide tibi hæc res euenit.Porrò senex ille,quid interim? CAL. Primum ad casum subitum atque inexpectatum sanè conturbatus est. Deinde simulatq; intellexit,id quod acciderat,puta pocillatoris errore factum, risit & ipse.ZENOP.Recte sanè. Tametsi non oportuit ad compendiũ illud diuertere,siquidem ueniſſet tibi populari,uulgataq; uia,tutius certiusq;,etiam si paulo serius.

Menippi

MENIPPI ET TANTALI DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

MENIPPVS.

Vid eiulas ó Tantale,aut quid tuã deploras fortunã, ſtagno imminens? TANT. Quoniam ſiti enecor Menippe. MENIP. Vſqȝadeo piger es atqȝ iners, uti non uel pronus incumbens bibere noris,uel caua uola hauriens? TANT. Nihil profecero ſi ꝓcumbã:refugit em̃ aqua ſimulatqȝ me propius admoueri ſenſerit,quod ſi quando hauſero,oriqȝ coner applicare,prius effluxit quàm ſumma rigem labia. Atqȝ inter digitos effluens aqua, haud ſcio quomodo rurſus manũ meam aridam relinquit. MENIP. Prodigioſum quiddã de te narras Tantale: uerum dic mihi iſthuc ipſum,quorſum opus eſt bibere,quũ corpore careas:nam illud quod eſurire poterat,aut ſitire,in Lydia ſepultũ eſt. Caeterum tu quũ ſis animus,quinam poſthac aut ſitire queas,aut bibere? TANT. Atq hoc ipſum ſupplicij genus eſt,ut anima perinde quaſi corpus ſit,ita ſitiat. MENIP. Age,hoc ita habere credamus, quandoquidẽ affirmas te ſiti puniri. At quid hinc acerbi tibi poterit accidere? Num metuis ne potus inopia moriare? At equidem haud uideo alteros inferos,ſi quis hos relinquat,neqȝ locũ alium in quẽ morte demigret quiſpiam. TANT. Recte tu quidẽ dicis,uerum hoc ipſum ſupplicij genus eſt,ſitire,quũ nihil ſit opus. MENIP. Deſipis Tantale,& uti uerum tibi fatear,non alio potu uideris egere quàm ueratro mero:nam diuerſum quiddã pateris,ijs quos canes rabioſi momorderint, ut qui nõ aquam, quemadmodũ illi,ſed ſitim horreas. TANT. Ne ueratrum quidẽ recuſarim bibere Menippe,ſi liceat modo. MENIP. Bono es animo Tantale,certum habens nunqȝ fore,ut uel tu,uel reliquorũ Manium quiſpiã bibat: Neqȝ enim fieri poteſt:quanqȝ non omnibus quemadmodum tibi,pœna adiudicata eſt,ut ſitiant,aqua illos non expectante.

MENIPPI AC MERCVRII DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

MENIPPVS.

Tubinam formoſi illi ſunt,ac formoſæ Mercuri? ducito me docetóqȝ,utpote recens huc profectum hoſpitẽ. MERC. Haud mihi licet per ocium Menippe, quin tu iſthuc ipſo è loco dextrorſum oculos deflecte. Illic & Hyacinthus eſt,& Narciſſus ille, & Nireus, & Achilles,& Tyro,& Helena,& Leda, breuiter quicquid eſt ueterum formarum. MENIP. Equidem præter oſſa nihil uideo,caluariaſque carnibus renudatas, inter quæ omnia nihil ſit omnino diſcriminis. MERCVRIVS. Atqui hæc ſunt quæ poëtæ cuncti mirantur ac celebrant, oſſa

ſcilicet quæ tu uideris contemnere. MENIP. At Helenam ſaltem mihi cõmonſtra: nam ipſe quidem haud queam dignoſcere. MERC. Hæc uidelicet caluaria, Helena eſt. MENIP. Et huius ſcilicet oſſis gratia, mille naues ex uniuerſa Græcia, acto delectu, ſunt impletæ, tãtáq; tum Græcorum, tum barbarorum multitudo conflixit, tot urbes ſunt euerſæ? MERC. Cæterum Menippe non uidiſti mulierem hanc uiuam, quod ſi feciſſes, forſan diceres tu quoq;, uitio dandum non eſſe,

Pro tali muliere diu tolerare labores.

Alioqui ſi quis flores etiam arefactos marcidoſq; contempletur, poſteaq; coloris decus abiecerint, deformes nimirum uideantur. At ijdẽ donec florent coloremq; obtinent, ſunt ſpecioſiſſimi. MENIP. Proinde illud iam demiror Mercuri, ſi Græci non intellexerunt ſeſe pro re uſq; adeo momentanea, quæq; tam facile emarceſſeret elaborare. MERC. Haud mihi uacat tecum philoſophari, quare delecto loco ubicũq; ueſtis, proſterne temet ac recumbe, mihi iam aliæ ſunt traducẽdæ umbræ.

MENIPPI, AMPHILOCHI, TROPHONII DISCEPTATIO, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

MENIPPVS.

Os nimirum Trophoni atq; Amphiloche, quum ſitis mortui, tamen haud ſcio quonam modo phanis eſtis donati, uateſq; creditimini, ac ſtulti mortales deos eſſe uos arbitrantur. TROPH. Quid? an nobis igitur imputandum, ſi per inſcitiam illi de mortuis huiuſmodi opinantur? MENIP. Atqui non iſta fuiſſent opinati, ni uos, tum quum uiueretis, eiuſmodi quædam portenta oſtentaſſetis, tanq; futurorum fuiſſetis præſcij, quaſiq; prædicere potuiſſetis, ſi qui percontarentur. TROPH. Menippe, nouerit Amphilochus hic, ipſi pro ſeſe reſpondendum eſſe. Cæterum ego Heros ſum, uaticinorq; ſi quis ad me deſcenderit: at tu uidere nunq; omnino Lebadiam adijſſe, neq; enim alioqui iſta non crederes. MENIP. Quid ais? equidem niſi Lebadiam fuiſſem profectus, ac linteis amictus, offam ridicule manu geſtãs, per anguſtũ aditum in ſpecum irrepſiſſem, nequaq; fieri potuiſſet, ut te defunctum eſſe cognoſcerem perinde atq; nos, ſoláq; præſtigiatura reliquos antecellere. Sed age per ipſam diuinandi artem, quid tandẽ eſt Heros? neq; enim intelligo. TROPH. Eſt quiddã partim ex homine, partim ex deo compoſitũ. MENIP. Nempe quod neq; ſit homo, quẽadmodũ audio, neq; deus, uerũ pariter utrunq;. Ergo dimidia illa tui, ac diuina pars, quò nũc receſſit? TROPH. Reddit oracula Menippe in Bœotia. MEN. Haud intelligo quid dicas Trophoni, niſi quod illud planè uideo, te totum eſſe mortuum.

Charontis

CHARONTIS AC MENIPPI DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

CHARON.

Edde naulum ſceleſte. MENIP. Vociferare, ſiquidem iſthuc tibi uoluptati eſt Charon. CHAR. Redde, inquã, quod ꝓ traiectione debes. MENIP. Haudquaq̃ auferre queas ab eo qui non habeat. CHAR. An eſt quiſq̃ qui ne obolum quidẽ habeat? MENIP. Sit ne alius quiſpiã præterea, equidem ignoro, ipſe certe non habeo. CHAR. Atqui præfocabo te per Ditem impuriſſime, ni reddas. MENI. At ego illiſo baculo tibi cõminuã caput. CHAR. Num ergo te tam longo traiectu gratis tranſuexero? MENIP. Mercurius meo nomine tibi reddat, ut qui me tibi tradiderit. MER. Belle mecũ agat̃ per Iouẽ, ſiquidẽ futurum eſt, ut etiam defunctorũ nomine perſoluam. CHAR. Haud omittam te. MEN. Quin igitur uel huius gratia perge ut facis, nauim trahere: quanq̃ quod non habeo, quinam auferas? CHAR. At tu neſciebas, quid tibi fuerit adportandum? MEN. Sciebam quidẽ, uerum non erat. Quid igitur? num ea gratia erat mihi ſemꝑ in uita manẽdũ? CHAR. Solus ergo gloriaberis te gratis fuiſſe tranſuectum? MEN. Haud gratis ô præclare, ſiquidem & ſentinam exhauſi, & remũ arripui, & uectorum omniũ unus non eiulaui. CHAR. Iſta nihil ad naulum, obolum reddas oportet, neq̃ enim fas eſt ſecus fieri. MEN. Proinde tu me rurſum in uitam reuehe. CHAR. Belle dicis, nimirum ut uerbera etiam ab Aeaco mihi lucrifaciam. MEN. Ergo moleſtus ne ſis. CHAR. Oſtende quid habeas in pera. MEN. Lupinũ ſi uelis, & Hecatæ cœnam. CHAR. Vnde nobis hunc canẽ adduxiſti Mercuri? tum qualia garriebat inter nauigandũ? uectores omnes irridens, ac dicteriis inceſſens, unusq̃ cantillans, illis plorantibus. MER. An ignoras Charon quẽ uirum tranſuexeris? planè liberum, cuiq̃ nihil omnino curæ ſit. Hic eſt Menippus. CHAR. Atqui ſi unq̃ poſthac te recepero. MEN. Si receperis ó prædare: ne poſſis quidem iterum recipere.

CRATETIS AC DIOGENIS DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

CRATES.

Oerichum diuitem, noueras ne Diogenes? illum, inquam, ſupra modum diuitem, illum Corintho profectum, cui tot erãt naues onuſtæ mercibus, cuius conſobrinus Ariſteas: quũ ipſe quoq̃ dives eſſet, Homericum illud in ore ſolebat habere,

Aut me confice tu, aut ego tete.

DIOG. Cuius rei gratia ſeſe captabant inuicem Crates? CRAT. Hæreditatis

ditatis cauſa,quũ eſſent æquales,uterq; alterum captabant. Iamq; teſtamenta publicauerant ambo, in quibus Mœrichus (ſi prior morere tur) Ariſtean omniũ rerum ſuarum dominũ relinquebat, Mœrichum uiciſſim Ariſteas,ſi quidem ipſe prior è uita decederet. Hæc igitur quũ eſſent in tabulis ſcripta illi inter ſeſe captabant,& alter alterũ adulationibus obſequijſq; ſuperare contendebat. Porrò diuini,haud ſcio utrũ ex aſtris id quod futurum ſit coniectantes,an ſomnijs quemadmodũ Chaldæi faciũt:quin & Pythius ipſe,nũc Ariſteã uictorẽ fore pronunciabat,nũc Mœrichum,ac trutina quidem interim ad hunc,interim ad illum propẽdebat.DIOG.Quid igitur tandem euenit?nam audire eſt operæprecium Crates. CRAT. Eodem die mortui ſunt ambo:cæterũ hæreditates ad Eunomiũ ac Thraſydem deuenerunt, quorum uterq; cognatus illis erat:atqui de his nihil prædixerant diuini futurũ,ut tale quippiam accideret. Etenim quũ Sicyone Cirrham uerſus nauigarẽt, medio in curſu,obliquo orto Iapyge,eò ſunt depulſi. DIOG.Recte factum:at nos quũ nos eſſemus in uita,nihil eiuſmodi alter de altero cogitabamus.Neq; enim ego unq; optabam ut moreretur Antiſthenes, quo nimirũ baculus illius ad me rediret hæredem (habebat autẽ egregie ualidum) quẽ ipſe ſibi parauerat oleaginũ,neq; tu Crates,opinor, deſiderabas,ut me mortuo,in poſſeſſionũ mearum ſucceſſionem uenires,puta dolij ac peræ, in qua quidem lupini Chœnices inerant duæ. CRAT. Neq; enim mihi quicq; iſtis rebus erat opus,imò ne tibi quidem Diogenes:ſiquidẽ quæ ad rem pertinebant,quæcq; tu Antiſtheni ſuccedens accepiſti,deinde ego ſuccedens tibi,ea nimirũ multo ſunt potiora,multoq; ſplendidiora,cq; uel Perſarũ imperium. DIOG. Quænã ſunt iſta quæ dicis? CRAT. Sapientiã,inquam,frugalitatem,ueritatem dicendi,uiuẽdiq; libertatẽ. DIOG. Per Iouẽ memini me in iſtiuſmodi opum hæreditatẽ Antiſtheni ſucceſſiſſe, tibiq; eas longe etiã maiores reliquiſſe. CRAT. Verũ reliqui mortales hoc poſſeſſionũ genus aſpernabantur,neq; quiſq; nos ob ſpem potiundæ hæreditatis obſequijs captabat,ſed ad aurum omneis intendebant oculos. DIOG. Nec iniuria: neq; enim habebant quo facultates eiuſmodi à nobis traditas acciperent:quippe rimoſi iam,uitiatiq; delicijs,non aliter quàm uaſa carie putria. Quo fit,ut ſiquando quis in illos infundat uel ſapientiam, uel libertatem,uel ueritatẽ,effluat illico, perſtillet q; fundo quod immiſſum eſt continere nõ ualente. Cuiuſmodi quiddam & Danai filiabus aiunt accidere,dum in doliũ pertuſum hauſtam aquã important:at ijdẽ aurum dentibus & unguibus,omniq; ui ſeruabant. CRAT. Proinde nos hic quoq; noſtras poſſidebimus opes:illi ſimulatq; huc uenerint, obolum duntaxat ſecum ferent,ac ne hũc quidem ulterius cq; ad portitorẽ.

Nirei

NIREI AC THERSITAE DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

NIREVS.

Cce denique uel Menippus hic iudex erit, uter noſtrum ſit formoſior. Dic Menippe, an non tibi uideor forma præſtantior? MEN. Imò quinã ſitis, prius arbitror indicandum, nam hoc opinor ſcito eſt opus. NIR. Nireus ac Therſites. MEN. Vter Nireus, uter Therſites? nondum enim uel hoc ſatis liquet. THER. Iam unum hoc uinco, quod tibi ſum ſimilis, neq; tantopere me præcellis, quantopere te cæcus ille Homerus extulit, unum omniũ formoſiſſimum appellans: quin ego faſtigiato uertice, rariſq; & impexis capillis ille, nihilo te inferior uiſus ſum arbitror. Iam uero tempus eſt uti pronũcies Menippe, utrũ altero formoſiorẽ exiſtimes. NIR. Mirum ni me Aglaia Charopéq; prognatũ,

Qui uir pulcherrimus unus,
Omnibus è Graiſs Priameia ad Pergama ueni.

MEN. Atqui non item ſub terram opinor pulcherrimus ueniſti, quippe qui reliquis quidem oſſibus aliis appareas aſſimilis: porrò caluaria hoc uno inſigni â Therſitæ caluaria dignoſci poſſit, quod tua delicata eſt ac mollicula: quandoquidem iſthuc habes effœminatum ac neutiquam uiro decorum. NIR. Attamen Homerum percontare, qua ſpecie tum fuerim, quum inter Græcorum copias militarem. MEN. Tu quidem ſomnia mihi narras: at ego ea ſpecto quæ uideo, quæq; tibi adſunt in præſentia: cæterum iſta norunt, qui id temporis uiuebãt. NIR. Quid igitur tandem? an non ego formoſior Menippe? MEN. Neque tu, neq; quiſq; alius formoſus hoc loco: ſiquidem apud inferos æqualitas eſt, pareſq; ſunt omnes. THER. Mihi quidẽ uel hoc ſat eſt.

DIOGENIS, AC MAVSOLI, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

DIOGENES.

He tu Car, quare tandem inſolens es tibiq; places, ac dignum te credis, qui unus nobis omnibus antepona re? MAV. Primũ regni nomine ó tu Siopenſis, quippe qui Cariæ imperauerim, uniuerſæ, præterea Lydiæ quoq; gentibus aliquot: tum autem & inſulas nonnullas ſubegerim. Miletum uſq; peruenerim, pleriſq; Ioniæ partibus uaſtatis. Ad hæc formoſus eram ac procerus, ac bellicis in rebus præualidus. Poſtremo, quod eſt omniũ maximũ, in Halicarnaſſo monumentum

tum erectum habeo,singulari magnitudine,quantum uidelicet defunctorum alius nemo possidet,neq; pari etiam pulchritudine conditum, uiris scilicet atq; equis,pulcherrimo è saxo ad uiuam formā absolutissimo artificio expressis,adeo ut uel phanum aliquod simile haud facile quis inueniat. Num iniuriā tibi uideor has ob res mihi placere atque efferri? DIOG. Num ob imperium ais,ob formam,atq; ob sepulchri molem? MAV. Per Iouem ob hæc inquam. DIOG. Atqui ó formose Mausole,neq; uires iam illæ,neq; forma tibi iam adest. Adeo ut si quē arbitrum de formæ præcellentia delegerimus, haudquaq; dicere potis sit,quamobrem tua caluaria meæ sit anteferenda:siquidem utraq; pariter tum calua,tum nuda:utriq; dentes pariter ostēdimus,pariter oculis orbati sumus,pariter naribus simis,ac sursum hiantibus deformati. Cæterum sepulchrum ac saxa illa precioſa, Halicarnasseis forsitan iactare licebit,& hospitibus gloriæ causa ostentare, tanq; qui magnificā quandam apud se structuram habeant:uerum quid hinc cōmoditatis ad te redeat uir egregie,nequaq; uideo, nisi forsan illud cōmodum uocas,quod plus oneris atq; nos sustines, sub tam ingentibus saxis pressus ac laborans. MAV. Ità ne nihil illa mihi cōducunt omnia? planéq; pares erunt Mausolus ac Diogenes? DIOG. Imò haud pares,inquā, uir clarissime:nam Mausolus discruciabitur, quoties earum rerum in mentem ueniet,quibus in uita florere consueuit:at Diogenes interim eum ridebit. Atq; ille quidem dē suo illo monumento,quod est in Halicarnasso memorabit, ab uxore Artemisia atq; sorore parato:contra Diogenes ne id quidem suo de corpore nouit, nunquid habeat sepulchrum. Neq; enim illi res ea curæ est,uerū apud uiros excellentissimos sui memoriā famamq; reliquit,ut qui uitam peregerit uiro dignā,tuo monumēto Carū abiectissime celsiorē,ac tutiore in loco substructam.

SIMYLI AC POLYSTRATI DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

SIMYLVS.



Enisti tandē & tu Polystrate ad nos,quū annos uixeris haud multo pauciores centum,opinor. POLYST. Nonagintaocto Simyle. SIMYL. Sed quinam triginta istos annos egisti,quibus mihi fueras superstes. Nā ipse periisti fermè septuagenario. POLYST. Quàm suauissime profecto, etiam si hoc mirum tibi uidebitur. SIMYLVS. Mirum uero,siquidem tibi primum seni,deinde inualido, postremo etiam orbo quicquam poterat esse in uita suaue? POLYST. Principio nihil erat quod nō possem, præterea pueri formosi cōplures aderant,

tum

tum mulieres nitidissimæ, unguenta, uinum mire fragrans, postremo mensæ uel Siculis illis lautiores. SIMYLVS. Noua narras, nam ego te planè sordidum ac parcissimum esse sciebam. POLYST. Atqui uir præclare, ex alienis arcis opes mihi subscatebant. Tum diluculo protinus quàm plurimi mortales ad fores meas uenditabant, simulq; ex omni rerum genere quæ terrarum ubiuis pulcherrimæ reperiũtur, munera deportabantur. SIMYLVS. Num me defuncto regnum gessisti? POLYST. Minime, uerũ amantes habebam innumeros. SIMYLVS. Non possum nõ ridere: tũ ne amãtes tantus natu quũ esses, uixq; tibi dentes supessent quatuor? POL. Habebam per Iouẽ equidẽ optimates ciuitatis: quumq; essem tum senex, tũ caluus, sicuti uides, præterea lippiens etiam, ac senio cæcutiens: postremo naribus muccosis, tamen cupidissime mihi inseruiebant, adeo ut is felix uideretur, quẽcunq; uel aspexissem modo. SIMYLVS. Num tu quoq; quemadmodũ Phaon ille, Venere aliquam è Chio transuexisti, ut ob id optanti tibi illa dederit rursum ad iuuentam redire, ac denuo formosum atq; amabilem fieri? POLYST. Haudquaq;, quin magis quũ talis essem, qualem dixi, tamen supra modũ adamabar. SIMYLVS. Aenigmata narras. POLY. Atqui notissimus est hic amor, quũ uulgo sit frequens, nempe erga senes orbos ac diuites. SIMYLVS. Nunc tua forma unde tibi profecta fuerit intelligo uir egregie, nimirũ ab aurea illa Venere. POLYST. Verumtamen non parum multas cõmoditates ab amantibus tuli Simyle, propemodum etiam adoratus ab illis. Porrò sæpius etiã quasi procax illis illudebam, excludẽs interdum nõnullos eorum: interim illi inter sese decertabãt, & in ambiendis primis apud me partibus, aliũ alius anteire nitebatur. SIMYLVS. Sed age, de facultatibus tuis quid tandẽ statueras? POLYST. Palam quidem affirmabam, me unũquenq; illorum relicturum hæredem: idq; illi quũ crederent futurum, certatim se quisq; obsequentiorem atq; adulantiorem præbebat. Cæterum alteras illas ueras tabulas, quas apud me seruaueram, reliqui, in quibus omnes illos plorare iussi. SIMYLVS. At postremæ illæ tabulæ quem pronunciabant hæredem? num è cognatis quempiam? POLYST. Nõ per Iouem, imò nouitium quendam ex formosis illis adolescentulis, natione Phrygẽ. SIMYLVS. Quot annos natum Polystrate? POLY. Viginti fermè. SIMYLVS. Iam intelligo quibus obsequijs ille te demeruerit. POLYST. Attamen multo illis dignior qui scriberetur hæres, etiam si barbarus erat ac perditus, quem iam ipsi etiam optimates colunt captantq;. Is igitur mihi extitit hæres, iamq; inter patricios numeratur, subraso mento, barbatóq; cultu ac lingua: quin eum Codro generosiorem, Nireo formosiorem, Vlysse prudentiorem esse prædicãt.

SIMYLVS. Non laboro,uel totius Græciæ ſit imperator, ſi libet,modo ne illi potiantur hæreditate.

VENERIS ET CVPIDINIS DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

VENVS.

Vid tandē in cauſa eſt Cupido,ut quū reliquos deos omneis adortus expugnaris,Iouem ipſum,Neptunū, Apollinem,Iunonem,me deniq; matrem, ab una Minerua temperes,utq; aduerſus hanc nec ullum habeat incendium tua fax,& iaculis uacua ſit pharetra,tum & ipſe arcu careas,neq; iaculari noris? CVPIDO. Equidem hanc metuo mater:eſt enim formidabilis truculentóq; aſpectu,ac ferocitate quadā ſupra modum uirili:proindē ſi quando tenſo arcu petam illam, galeæ criſtam quatiens, expauefacit me, moxq; formidine tremere occipio, ſic ut arma mihi è manibus excidant. VENVS. Atqui Mars annō erat hac formidabilior? & hunc tamen ſuperatū exarmaſti. CVPIDO. Imò ille cupide me recipit,atq; ultro etiam inuitat:uerum Minerua ſemper adductis ſupercilijs obſeruat:quin aliquando temere ad illā aduolaui, facē propius admouēs:at illa,ſi quidē ad me acceſſeris inquit,p parentē Iouē,quouis modo te cōfecero,aut lancea te trāsfigam,aut pedibus arreptum in tartara dabo præcipitē,aut ipſa te diſcerpā. Plurima item id genus cōminabatur:ad hæc acribus obtuetur oculis, poſtemo & in pectore faciem quandam geſtat horrendam, uiperis capillorum uice comatam,hanc nimirum maximopere formido:territat enim me,fugióq; quoties eam aſpicio. VENVS. Eſto ſanè, Mineruam metuis ut ais,atq; huius geſtamen gorgona reformidas,idq; quum Iouis ipſius fulmen non formidaueris:cæterum Muſæ quam ob cauſam abs te nō feriuntur, atq; à tuis iaculis tutæ agunt? num & hæ criſtas quatiunt, aut gorgonas prætendunt? CVPIDO. Has quidem reuereor mater, ſunt enim uultu pudico ac reuerendo, præterea ſemper aliquo tenētur ſtudio,ſemper cantionibus animum intentum gerūt:quin ipſe etiam nō raro illis aſſiſto,carminis ſuauitate delinitus. VENVS. Eſto,nec has adoriris propterea quod ſint reuerendæ:at Dianam qua tandem gratia non uulneras? CVPIDO. Vt breuiter dicam,hanc ne deprehendere quidem uſquam ſum potis,quippe perpetuo per montes fugitantē: ad hæc alterius cuiuſdam ſui cupidinis illa tenetur cupidine. VENVS. Cuius ô gnate? CVPIDO. Nempe uenatu ceruorum & hinnulorum, quos inſectatur ut capiat,ac iaculo figat. Ac prorſum tota rerū huiuſmodi ſtudio tenetur:tametſi fratrem eius,qui nimirū arcu ualet & ipſe, ferítq; eminus. VEN. Teneo gnate,eū ſæpenumero ſagitta uulneraſti,

Martis

MARTIS AC MERCVRII DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

MARS.

Vdistin' Mercuri cuiusmodi nobis minatus sit Iupiter? quàm superba, quãq; dictu absurda? Ego, inquit, si uoluero, cathenam ex æthere demittam, unde si uos suspensi me ui detrahere conemini, luseritis operam: nunq; enim me deorsum trahetis. Contra ego uos uelim in altum attrahere, nõ uos modo, uerumetiam tum terram ipsam, tum mare pariter subuectũ in sublime sustulero. Ad hæc alia permulta, quæ tu quoq; audisti. At ego, si quidem cũ unoquolibet singulatim conferatur, ita præstantiorẽ eum esse, uiribusq; superiorẽ, haudquaq; negauerim, uerum unum tam multis pariter in tantum antecellere, ut eum ne pondere quidem uincere queamus, etiam si terram ac mare nobis adiunxerimus, id neutiq; crediderim. MERC. Bona uerba Mars. Neq; enim sat tutum est ista loqui, ne quid forte mali nobis hæc petulantia conciliet. MARS. An uero credis apud quemlibet hæc dicturum me? imò apud te solum id audeo, quem linguæ continentis esse sciebam. Sed quod mihi maxime ridiculum uidebatur, tum quũ hæc minitantem audirẽ, haud queam apud te reticere. Etenim memineram, quum non ita multo ante Neptunus, Iuno, ac Pallas, mota aduersus eum seditione, machinarẽtur cõprehensum illum in uincula conijcere, quantopere formidarit, utq; in omnem speciem sese uerterit, idq; cum tres duntaxat essent dij. Quod ni Thetis misericordia commota, Briareum Centimanum illi auxiliatum accersiuisset, ipso pariter cũ fulmine ac tonitru uinctus erat. Hæc reputanti mihi ridere libebat eius magniloquẽtiam iactantiamq;. MERCVR. Tace, bona uerba: neq; enim tutum est ista uel tibi dicere, uel audire mihi.

MERCVRII ET MAIAE DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

MERCVRIVS.

St uero mater deus quisquam in cœlo me miserior? MAIA. Caue ne quid istiusmodi dixeris Mercuri. MERCVR. Quid non dicam? qui quidem tantum negociorum solus sustineam quibus delassor, in tam multa ministeria distractus? Nam mane protinus surgendum est mihi, statimq; uerrendum cœnaculum, ubi dij compotant. Tum ubi curiam in qua cõsultant undiq; stra uero, ac singula ita ut oportet composuero, Ioui necessum est assistere,

ac perferendis illius mandatis toto die ſurſum ac deorſum curſitare, inſuper quũ redeo, puluerulentus adhuc, Ambroſiam apponere cogor. Porrò priuſq; nouitius iſte pocillator adueniſſet, ego nectar etiam miniſtrabam. Quodq; eſt omnium indigniſſimum, ſoli omnium ne noctu quidem agere quietem licet, uerum id quoq; temporis neceſſe habeo defunctorũ animas ad Plutonem deducere, maniumq; gregi me ducem præbere, tum autem & tribunalibus aſſiſtere. Necq; enim mihi ſufficiebãt ſcilicet diurna negocia dum uerſor in palæſtris, dum in concionibus præconis uices ago, dum oratores inſtruo, ni hæc quoq; prouincia accedat, ut ſimul etiam umbrarum res diſponam. Atqui Ledæ filij alternis inter ipſos uicibus apud ſuperos atq; inferos agitant. Mihi neceſſe eſt quotidie tum hoc, tum illud pariter agere: deinde duo illi Alcmena ac Semele miſeris prognati mulieribus, ocioſi in cõuiuijs accumbũt, at ego Maia Atlantide progenitus illis miniſtro ſcilicet. Quin nunc quũ recens à Sidone Cadmi filia reuerſus eſſem: nam ad hanc me legarat, uiſum quid ageret puella: priuſq; reſpiraſſem, & adhuc anhelum de uia, rurſum ad Argos emandauit uiſurum, qui cum Danaë ageretur. Rurſum inde in Bœotiam profectus inquit, obiter Antiopã uiſito: adeo ut planè iam pariturũ me negarim. Quod ſi mihi licuiſſet, lubens profecto feciſſem, id quod ſolent ij qui in terris duram ſeruiunt ſeruitutem. MAIA. Miſſa fac iſta gnate: decet enim per omnia morem gerere patri, quũ ſis iuuenis: ac nunc quò iuſſus es, Argos contende, deinde in Bœotiã, ne ſi ceſſaris, fueriſq; lentior, plagas etiã auferas: nam iracundi ſunt qui amant.

VENERIS ET CVPIDINIS DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

VENVS.

Vpido gnate, uide quæ facis flagitia. Non iam de his loquor, quæ te impulſore mortales in terra uel in ſe quiſq;, uel inuicem alij in alios faciunt, uerum de his ago, quæ apud ſuperos quoq; deſignas, qui quidẽ Iouẽ ipſum cogis uarias aſſumere formas, in quodcunq; tibi pro tempore uiſum fuerit, eum uertens: tum lunam è cœlo deuocas. Quin & ſolem aliquoties compellis lentũ apud Clymenem ceſſare aurigandi muneris oblitum: nam quicquid iniuriæ in me matrem etiam committis, audacter ac tanquam tuto facis. Verum tu quidem ô deorum omnium cõfidentiſſime, Rheam inſuper ipſam iam anum, præterea deorũ tam multorum parentem, eò perpuliſti, ut puſionem adamet, atq; in Phrygium illum adoleſcentulum depereat, ac tua iam opera inſanit, iunctiſq; leonibus, adhibitis item Corybãtibus, quippe qui

qui & ipsi furore quodam sunt afflati, per Idam montem sursum ac deorsum oberrat, ipsa quidē Attis amore eiulans. Cæterum Corybantum alius suum ipse penē ense desecat, alius demissa coma per montes fertur insanus, alius cornu canit, alius tympano tonat, alius cymbalo perstrepit: breuiter, omnis undiquaq; Ida tumultus atq; insaniæ plena est. Proinde cuncta timeo: metuo ne tale quid accidat, quādoquidem te produxi, malum ingens, ut si quando resipiscat Rhea, uel potius si pergat insanire, Corybantibus imperet, ut te correptum discerpāt, aut leonibus obiiciāt. Hic me sollicitat metus, quod uideam tibi periculum imminere. CVPIDO. Ocioso animo esto mater, siquidem leonibus etiam ipsis iam familiaris sum factus, ita ut sæpenumero tonscensis eorum tergis, prehensaq; iuba, equitis ritu insidens illos agitem. At uero illi interim mihi caudis adblandiuntur, ac manum ori insertam recipiant lambuntq;, deinde mihi reddunt innocuam. Porrò Rheæ ipsi quando tandem uacauerit, ut me ulciscatur quū in Atte sit tota? Postremo quid ego pecco, quū res pulchras ut sunt, offero ac demonstro? uos ne appetite res pulchras: quare his de rebus ne in me crimen conferte. Num uis ipsa tu mater, uti neq; tu posthac Martē ames, neq; ille re? VENVS. Vt es peruicax, & nulla in re nō superas: attamen horum quæ dixi, aliquando memineris.

DORIDIS ET GALATEAE DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

DORIS.

Ormosum amantem Galatea, nempe Siculum istū pastorem aiunt amore tui deperire. GAL. Ne ride Doris: etenim qualis qualis est, Neptuno patre prognatus est. DOR. Quid tum postea, si uel Ioue ipso sit progenitus, quū usq; adeo agrestis atq; hispidus appareat, quodq; est omniū deformissimū, unoculus? An uero credis genus illi quicq; profuturū ad formam? GAL. Ne isthuc quidem ipsum, quod hispidus est atq; agrestis, ut tu uocas, illū deformat, quin uirile magis est. Porrò oculus media in fronte decet etiam, quo quidem nihilo segnius cernit, quàm si duo forēt. DOR. Videris Galatea non amantē habere Polyphemū, sed illum potius adamare, sic eum prædicas. GAL. Equidē haud adamo, sed tamen insignē istam uestram insultandi opprobrandiq; petulantiam ferre nō queo. Ac mihi nimirum inuidentia quadā isthuc facere uidemini, propterea quod ille quū forte aliquādo gregem pasceret suū, nosq; è littorali specula in littore ludentes cerneret in prominentibus Aetnæ pedibus, quà uidelicet inter montem & mare littus sese in longum porrigit, uos ne

aſpexerit quidem:at ego omnium una uiſa ſim formoſiſſima, eóq; in unam me cõiecerit oculum. Ea res uos male habet:nam argumentum eſt,me forma præſtantiorem eſſe ac digniorem, quæ amer:uos contra faſtiditas eſſe. DOR. An iſtud tibi putas inuidendum uideri,ſi primũ paſtõri,deinde luſco formoſa uiſa ſis? quanq; quid aliud ille potuit in tẽ probare,præter candorem? Is illi placet opinor, quod caſeo & lacti aſſueuerit:proinde quicquid his ſit ſimile,id protinus pulchrum iudicat. Alioqui ubi libebit ſcire,qua ſis facie,de ſcopulo quopiam in aquã, ſi quando tranquilla ſteterit deſpectans, temetipſam contemplare,uidebis aliud nihil,niſi perpetuũ candorem:uerum is quidem non probatur,niſi rubor admixtus illi,decus illi iunxerit. GAL. Atqui ego illa immodice candida, tamen eiuſmodi habeo amantem, quũ interim è uobis nulla ſit,quam uel paſtor,uel nauta,uel portitor aliquis miretur: cæterũ Polyphemus (ut alia ne dicam) etiã canendi peritus eſt. DOR. Tace ô Galatea,audiuimus illum canentem, quũ nuper pruriret in te: ſed ô ſancta Venus,aſinum rudere dixiſſes:nam lyræ corpus ſimillimum erat ceruino capiti oſſibus renudato:tum cornua perinde quaſi cubiti prominebant,ijs iunctis,inductíſq; fidibus,quas ne collope quidem circũtorquebat,agreſte quiddam & abſonũ cantilabat,quũ aliud interim ipſe uoce caneret, aliud lyra ſuccineret, ita ut temperare nobis nequierimus,quin rideremus amatoriam illam cantionẽ. Nam Echo ne reſpondere quidem illi uoluit balanti,quũ ſit adeo garrula:imò puduiſſet,ſi uiſa fuiſſet ſtridulum illius, & ridiculum cantum imitari. Ad hæc geſtabat in ulnis amaſius iſte delicias ſuas, urſi catulum pilis hirtum,ipſi nõ diſſimilem. Quis autem non inuideat tibi amicum iſtum Galatea? GAL. Quin tu igitur Dori,tuum ipſius amicum nobis commoſtra,qui meo ſit formoſior,quiq; doctius ac melius uel uoce canat, uel cithara? DOR. Mihi quidem nullus eſt amator, neq; me hoc nomine iacto,quaſi ſim uehementer amabilis,uerumtamen iſtiuſmodi amicum,qualis eſt Polyphemus nempe totus hircum olens,tum crudis uiſcitans carnibus,& hoſpites, ſi qui appulerint deuorans, tibi habeas, eumq; tu mutuum ames.

DIOGENIS ET ALEXANDRI DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

DIOGENES.

Vid hoc rei Alexãder? itá ne defunctus es tu quoq; perinde atq; nos omnes? ALEX. Vides nimirũ Diogenes:tametſi mirandum non eſt,ſi, homo cum fuerim, defunctus ſim. DIOG. Num ergo Iupiter ille Hammon mentiebatur,quũ te ſuum filium eſſe diceret,an

ret, an uero tu Philippo patre prognatus eras? ALEX. Haud dubie Philippo: neq; em̃ obijſſem, ſi Hammone parẽte fuiſſem progenitus. DIOG. Atqui de Olympiade etiam conſimilia quædam ferebãtur, putã draconem quendam cum ea fuiſſe cõgreſſum, uiſumq; in cubiculo, ex eo grauidam peperiſſe te: porrò Philippum errare falliq;, qui ſe tuũ patrem eſſe crederet. ALEX. Inaudieram quidem & ipſe iſta quemadmodum tu, at nunc uideo neq; matrem, neq; Hammonios illos uates ſani quicq; aut ueri dixiſſe. DIOG. Attamen iſtud illorum mẽdacium Alexãder ad res gerendas haudquaq; tibi fuit inutile, propterea quod uulgus te uerebatur metuebatq;, quũ deum eſſe crederet. Sed dic mihi, cuinam tam ingens illud imperium moriens reliquiſti? ALEX. Id equidem ignoro Diogenes: celerius enim è uita ſubmouebar, quàm ut eſſet otium de illo quicq; ſtatuendi, præter id unũ, quod moriens Perdiccæ anulum tradidi. Sed age, quid rides Diogenes? DIOG. Quid ni rideam? an non meminiſti quid Græci fecerint, quũ nuper tibi arrepto imperio adularentur, principemq; ac ducẽ aduerſus Barbaros deligerent? nonnulli uero in duodecim deorum numerũ referrent, ac phana conſtituerent: denicq; ſacra facerent tanq; Draconis filio? Sed illud mihi dicito, ubi te ſepelierũt Macedones? ALEX. Etiamdũ in Babylone iaceo tertiũ iam diem: porrò Ptolemæus ille ſatelles meus, ſi quãdo detur ociũ ab his rerũ tumultibus qui nunc inſtant, pollicetur in Aegyptum deportaturũ me, atq; inibi ſepulturum, quo uidelicet unus fiam ex dijs Agyptijs. DIOG. Non poſſum nõ ridere Alexander, qui quidẽ te uideã etiã apud inferos deſipientẽ, ſperantẽq; fore, ut aliquãdo uel Anubis fias, uel Oſiris. Quin tu ſpes iſtas omittis ó diuiniſſime, neq; em̃ fas eſt reuerti quenq;, q ſemel paludẽ trãſmiſerit, atq; intra ſpecus hiatum deſcenderit, propterea quod neq; indiligens eſt Aeacus, neq; contemnendus Cerberus. Verum illud abs te diſcere peruelim, quo feras animo, quoties in mentem redit, quanta felicitate apud ſuperos relicta huc ſis profectus, puta corporis cuſtodibus, ſatellitibus, ducibus: tum auri tanta ui, ad hoc populis qui te adorabant: præterea Babylone, Bactris, immanibus illis beluis, dignitate, gloria: deinde quod eminebas conſpicuus, dum uectareris, dum amiculo candido caput haberes reuinctum, dum purpura circũamictus eſſes? nunquid hæc te diſcruciant, quoties recurſant animo? Quid lachrymas ſtulte? an non id te ſapiens ille docuit Ariſtoteles, ne res eas quæ à fortuna proficiſcantur, ſtabiles ac firmas exiſtimares? ALEX. Sapiens ille, quum ſit aſſentatorum omniũ perditiſſimus? Sine me ſolum Ariſtotelis facta ſcire, quàm multa à me petierit, quæ mihi ſcripſerit: deinde quẽadmodũ abuſus ſit mea illa ambitione, qua cupiebã eruditione cæteris præ-

ſtare,quũ mihi palparetur interim,ac prædicaret me,nunc ob formam tanq̃ & ipſa ſummi boni pars quædam eſſet, nunc ob res geſtas atq; opes:nam has quoq; in bonorum numero collocandas eſſe cenſebat, ne ſibi uitio uerteretur quod eas acciperet. Planè præſtigioſus uir ille quidem erat,ac fraudulentus ô Diogenes:quanq̃ illud fructus ſcilicet ex illius ſapiẽtia fero,quod nunc perinde quaſi ſummis de bonis excrucior,ob iſta quæ tu paulo ante cõmemoraſti. DIOG. At ſcin' quid facies? oſtendam tibi moleſtiæ iſtius remedium. Quandoquidem his in locis ueratrum non prouenit,fac ut Lethei fluminis aquam auidis faucibus attrahens bibas,iterumq; ac ſæpius bibas:atq; eo pacto deſines de bonis illis Ariſtotelicis diſcruciari. Verũ enim Cletum etiã illum & Caliſthenẽ uideo, cumq; his alios complureis raptim huc ſeſe ferẽtes, quo te diſcerpant,pœnasq; ſumant ob ea quæ quondam in illos cõmiſiſti. Quare fac in alterã hanc ripã te cõferas,& crebrius (ut dixi) bibas.

MENIPPI ET CHIRONIS DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

MENIPPVS.

Quidem inaudiui Chiron, te,deus quum eſſes,tamen optaſſe mortem. CHIR. Vera nimirum ſunt iſta quæ audiſti Menippe, planéq; mortuus ſum ſicuti uides, quũ mihi licuerit immortalẽ eſſe. MENIP. At quænã te mortis cupido tenebat,rei uidelicet,quã uulgus hominum horreat? CHIR. Dicam apud te,uirum neutiq̃ ſtultum atque imperitum: Iam mihi deſierat eſſe iucundum,immortalitate frui. MENIP. Quid? an iniucundum erat te uiuere,luceméq; tueri? CHIR. Erat inquam Menippe:nam quod iucundum uocant,id ego neutiq̃ ſimplex,ſed uarium quiddam eſſe arbitror. Verum quũ ego ſemper uiuerem,atq; ĩſdem perpetuo rebus uterer,ſole,luce, cibo, tum horæ eædẽ recurrerent,reliqua item omnia quæcunq; contingunt in uita, reciprico quodam orbe redirent,atq; alĩs alia per uices ſuccederent,ſatietas uidelicet eorum me cepit. Neque enim in eo uoluptas eſt ſita,ſi perpetuo fruaris ĩſdem,ſed omnino in permutãdo poſita eſt. MENIPPVS. Probe loqueris Chiron: cæterum hæc quæ apud inferos agitur uita, quinam tibi procedit, poſteaquàm ad hanc tanquam ad potiorem te contuliſti? CHIRON. Haud inſuauiter Menippe:ſiquidem æqualitas ipſa quiddam habet admodum populare. Nihil autem intereſt, utrum in luce quis agat,an in tenebris: præterea neque ſitiendum eſt nobis quemadmodum apud ſuperos, neque eſuriendum, ſed eiuſmodi rerum omnium egentia uacamus. MENIPPVS. Vide

Chiron

Chiron ne temet ipſe inuoluas,neue eôdem tibi recidat oratio.CHIR. Quamobrem iſthuc ais? MENIP. Nempe ſi illud tibi faſtidio fuit, quod in uita ſemper iiſdem ſimilibuſq; rebus utendum erat,quũ hic itidem ſimilia ſint omnia, eundem ad modum parient faſtidium. At de integro tibi quærenda erit uitæ cõmutatio,atq; hinc quópiã aliam in uitam demigrandum,id quod arbitror fieri nõ poſſe. CHIR. Quid igitur faciundum Menippe.MENIP. Illud nimirum,uti ſapiens quum ſis,quemadmodum opinor,& uulgo prædicant, præſentibus rebus ſis contentus, boniq; conſulas quod adeſt, neque quicquam in his eſſe putes,quod ferri non queat.

MENIPPI ET CERBERI DIALOGVS, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

MENIPPVS.

Eus Cerbere,quandoquidem mihi tecum cognatio quædam intercedit,quum & ipſe ſim canis:dic mihi per Stygiam paludem,quomodo ſeſe habebat Socrates,quum huc accederet? Veriſimile eſt autem te, deus quũ ſis,non latrare modo,uerũetiam humano more loqui,ſi quando uelis. CERB. Quũ procul adhuc abeſſet Menippe,uiſus eſt cõſtanti atq; interrito adire uultu,perinde quaſi mortem nihil omnino formidaret, ac tanq; hoc ipſum uellet iis,qui procul à ſpecus ingreſſu ſtabant,oſtendere:uerũ ſimulatq; deſpexit in hiatum,uiditq; profundum atq; atrũ antri receſſum, ſimulq; ego cunctantem etiam illum aconito mordens pede correptum detraherem,infantium ritu eiulabat, ſuoſq; deplorabat liberos,nihilq; non faciebat,in omnem ſpeciem ſeſe cõuertens. MENIP. Num igitur fucate ſapiens erat ille,neq; uere mortem contemnebat? CERB. Haud uere: cæterum ubi uidit id eſſe neceſſe, audaciam quandam præ ſe ferebat, quaſi uero uolens id eſſet paſſurus,quod alioqui uolenti,nolenti tamẽ omnino fuerat ferendum,uidelicet quo ſpectatoribus eſſet miraculo. Equidem illud in totum de uiris iſtiuſmodi uere poſſim dicere,ad fauces uſq; ſpecus intrepidi ſunt ac fortes:porrò intus quũ ſunt,nihil mollius neq; fractius.MENIP. Cæterũ ego quonam animo tibi uiſus ſum ſubiiſſe ſpecum? CERB. Vnus mortalium Menippe ſic mihi uiſus es ſubire,ut tuo dignũ erat genere,& prior te Diogenes,propterea quod neutiq; adacti ſubieritis,aut intruſi:uerum tum ultronei,tum ridentes, atq; omnibus plorare renunciantes.

LVCIANI DIALOGORVM, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE, FINIS.

Præfatiõ

PRAEFATIO SEV HERCVLES GALLICVS LVCIANI, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

Erculem Galli lingua gentis uernacula Ogmium uocant. Porrò deũ ipſum noua quadam atq; inuſitata figura depingunt: decrepitus eſt apud illos, recaluaſter, reliquis capillis, ſi qui reliqui ſunt, planè canis, cute rugoſa, & in aterrimum exuſta colorem, cuiuſmodi ſunt nautæ iſti ſenes. Charontẽ potius aut Iapetum quempiam ex his qui apud inferos uerſantur, diceres. In ſumma, quiduis potius quàm Herculem eſſe conijceres ex imagine. Atq; tali ſpecie quũ ſit, tamen Herculis ornatũ gerit, ut qui tum leonis exuuium indutus ſit, tum clauam dextra teneat, tum pharetram humeris aptatam portet, tum arcum tenſum læua prætendat: denicq; modis omnibus Hercules eſt. Hæc equidem arbitrabar in Græcanicorũ deorum contumeliam perperam facere Gallos, quũ eum eiuſmodi fingerent effigie, quo nimirũ illum talibus picturis ulciſcerentur, quod olim in regionem ipſorum incurraſſet, prædas agens id temporis, quum Geryonis armenta ueſtigans, Occidentalium gentium pleraſq; regiones peruaſtaret. At nondum etiam dixi, id quod erat in imagine maxime nouũ atq; mirandum: ſiquidem Hercules ille ſenex, ingentem admodum hominũ multitudinem trahit, omnibus ab aure reuinctis: porrò uincula catenulæ tenues auro electróue cõfectæ, pulcherrimis iſtis monilibus adſimiles. Atqui quũ uinculis uſq; adeo fragilibus ducantur, tamen neq; de fugiendo cogitant, quum alioqui commode poſſint, neq; prorſus obnituntur, aut pedibus aduerſus trahentem obtendunt, ſeſe reſupinantes, uerum alacres ac læti ſequũtur, ducentem admirantes, ultro feſtinantes omnes, & laxatis funiculis etiam anteuertere ſtudentes, perinde quaſi grauiter laturi, ſi ſoluerentur uinculis. Ne illud quidem pigebit referre, quod mihi uidebatur omniũ abſurdiſſimũ: etenim quũ non inueniret pictor unde catenularũ ſummas anſas necteret, uidelicet dextera iam clauam, læua arcum tenente, ſummã dei linguam perterebrauit, atq; ex hac religatis catenulis eos trahi fecit. Ipſe nimirum ad eos qui ducebantur, uultum & oculos conuertebat, arridens. Hæc ego quũ diutius aſſiſtens eſſem cõtemplatus, admirans, hæſitans, indignans: Gallus quiſpiam, qui propius aſtabat, noſtratium literarũ non indoctus, id quod declarauit, quũ Græcanicam linguam abſolute ſonaret, philoſophus opinor ex eo genere philoſophorũ, quod apud illos eſſe fert. Ego tibi hoſpes, inquit, picturæ iſtius ænigma explicabo,

nam

nam uidere uehementer ad eam attonitus ac ſtupefactus. Orationem nos Galli nequaq; arbitramur eſſe Mercurium, quemadmodum uos Græci, uerum Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio longe robuſtior extiterit: nam quod ſenex fingitur, nihil eſt quod mirere. Siquidem una facundia conſueuit in ſenecta demum abſolutum uigorem oſtendere, ſi modo uerum ueſtri dicunt poëtæ,

Obduci iuuenum denſa caligine pectus:
Contra ſenectam poſſe quiddam dicere,
Rudi iuuenta melius ac præclarius.

Hinc uidelicet apud uos & Neſtoris lingua melle profluit, & Troianorum concionatores lirioëſſan ædunt, uidelicet floridam quandam uocem: nam liria ſi ſatis cõmemini, flores appellantur. Proinde quod ab auribus uinctos ad linguam trahit ſenex hic Hercules, qui non aliud quàm ipſe eſt ſermo, ne id quidem debes admirari, qui quidem non ignores linguæ cum auribus eſſe cognationẽ. Neq; uero ad contumeliam illius illud pertinet, quod ea pertuſa eſt: nã memini, inquit, & Iambicos quoſdam uerſiculos è comœdijs apud uos diſcere,

Siquidem uiris loquacibus
Extrema lingua perforata eſt omnibus.

Quin de eodẽ hanc in ſumma habemus opinionem, ut quicquid egit, id oratione facundiáq; confeciſſe putemus, utpote uirum ſapientem, ac perſuadendo pleraq; ſibi ſubegiſſe. Iam tela illius nimirum rationes ſunt acutæ, miſſiles, citæ, atq; animum ſauciantes: unde pennigera dicta uos quoq; nominatis. Hactenus Gallus. Ac mihi quidẽ quũ huc me conferens mecum inter eundum perpenderem, num decorum iam eſſet, ut tam grandis natu, quiq; iam pridem ab his doctrinæ certaminibus memet abdicaſſem, rurſum me tam multorum iudicum calculis exponerem iudicandum, in tempore ſubijt animum meum eius picturæ recordatio: nam antehac uerebar, ne cui ueſtrum uiderer hæc admodum pueriliter agere, quaſiq; præter ætatẽ iuuenari. Proinde ne quis Homericus adoleſcentulus illud mihi impingeret dicens,

Aetas iam perijt tua: Tum illud,
Ac te corripuit carioſa ſenecta, miniſter
Inualiduſq; tibi, & ſegnes tardiq; caballi:

Videlicet eo ſcõmate pedes meos notãs. Verũ quoties ſenex ille Hercules recurrit animo, ad quiduis adducor ut faciã, neq; me pudet hæc audere, quum ſim ipſi æqualis imagini. Itaque robur, celeritas, forma, & ſi qua ſunt alia corporis bona, ualeant, cumque his tuus ô Teie uates, cupido, ubi me mento ſubcano uiderit auro rutilantibus alis, ſi uidebitur, uel aquilas præteruolet: neque laborabit Hippoclides, imo

nunc

nunc uel maxime tempestiuum fuerit,facundia repubescere,florere,nigere, & quàm licet plurimos ab auribus ducere, ac sæpius arcu ferire: quandoquidem periculum non est,ne quando quis præter spem pharetram inanem reperiat. Vides quibus modis ætatem meam,meamq; senectutem ipse consoler animemq;, adeo ut non sim ueritus nauim iam olim in terram subductam denuo reuellere,suisq; instructam armis,medium in pelagus demittere. Cõtingant autẽ à uobis ó dij,afflatus secundi,quando nunc uel maxime,præsente bono atq; amico uento nobis est opus: quo si digni modo uidebimur,in nos quoque dicat aliquis Homericum illud:

Quos profert senior pannis ẽuilibus armos.

LVCIANI HERCVLIS GALLICI, DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE, FINIS.

EVNVCHVS SIVE PAMPHILVS LVCIANI. DES. ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

Ndę nobis aduenis Luciane,seu quidnam rei rides? Semper tu quidem & aliâs consueuisti nobis hilaris ac festiuus occurrere, uerum isthuc magis aliquid solito uidetur esse,de quo risum nec compescere queas. LVCIAN. E foro tibi adsum ó Pãphile: porrò mox efficiam, ut tu quoq; mecum rideas, simulatq; audieris cuiusmodi litis adfuerim actioni,duobus philosophis inter sese cõtendentibus. PAMPH. Iam isthuc ipsum ,pfecto ridiculum est quod ais,philosophos inuicem lites agitare. Nam etiam si quid magni fuisset negocij,inter ipsos modeste citráq; pugnam controuersiam cõpositam oportuit. LVCIAN. Quid ais? tranquille componant illi,qui quidem solida plaustra conuicijs onusta,alter in alterũ effuderint,uociferantes mirãq; peruicacia contendentes? PAMPH. Videlicet de disciplinis atq; opinionibus Luciane,ita ut assolent,dissentiebant,quod erant diuersæ factionis. LVCIAN. Nequaquã,imò aliud quiddam erat hoc de quo dissidebãt: nam eiusdem sectæ erant ambo, eiusdemq; scholæ,& tamen orta inter eos lis erat. Porrò iudices qui cognoscebant,primates erant huius Reip. natuq; maximi ac sapientissimi. Breuiter,apud quos pudescat aliquis etiam parum apte quippiam eloquutus,nedum ad tantã prouectus inuerecundiã. PAMPH. Quin tu igitur,litis argumentum exponis,quo uidelicet ipse etiam cognoscã, quæ res tibi tantum risum conciarit? LVCIAN. Scis Pamphile salarium,

rium,idq; neutiq; exiguum ab imperatore fuisse constitutũ: singulis philosophorũ generibus:puta Stoicis,Platonicis,Epicureis: cunq; his etiam Peripateticis:ita ut unicui q; sectæ præmiũ esset æquale. Cæterũ demortuo ex his quopiã, alius aliquis in eius locum subrogandus est, qui sit optimatũ calculis probatus. Porrò præmium illud,neq; bubula pellis erat quæpiam,quemadmodũ ait poëta,nec porcellus: uerum singulos in annos decies mille nummũ,quos accipiunt,uti doceant iuuentutem. PAMPHI. Memini quidem ista. Quin aiũt nuper ex illis diem obijsse quempiam:alterum (ni fallor)è Peripateticis. LVCI. Hæc ipsa Pamphile Helena:propter quã illi inter sese singulari certamine conflictabant. Et hactenus quidem nihil etiam ridendum erat in illis præter hoc,quod quum philosophos esse se profiterent,ac pecunias pro nihilo ducere:tamen earum gratia perinde atq; pro patria in discrimen adducta,pro religione maiorũ, pro monumẽtis progenitorũ decertarẽt. PAMPH. Atqui Peripateticorũ istud est decretũ:nõ admodũ esse negligendas pecunias:uerum eas in tertio quodã bonorũ ordine esse ponendas. LVCI. Recte dicis. Nam ita quidem aiunt. Proinde bellũ hoc ex maiorũ iudicio, sentẽtiaq; illis extitit:uerum quæ postea cõsequuta sint,iam ausculta. Primũ complures quidem alij in defuncti illius funebribus ludis decertabãt:sed inter hos præcipue duo uiribus pares:puta Diocles ille senex:nosti quem dicam,cõtentiosum illum inquã: præterea Bagoas,qui quidẽ ea specie est, ut eunuchus esse uideatur. Inter hos initio de doctrina,deq; philosophiæ decretis atq; opinionibus est decertatũ:& utercq; sui specimen ac documentũ dedit,quod esset Aristotelicæ factionis,quodq; eius placita sequeretur ostendit. At per Iouem in hoc certamine,neutter altero superior erat. Lis igitur huc deflexit denicq;. Diocles desinens iam eruditionis suæ periculũ ac specimen ostendere, ad Bagoam descendit,ac uitam illius in primis carpere est aggressus,Bagoas itidem huius uitã uicissim taxabat. PAMPHI. Idq; merito Luciane. Siquidem eius rei magis erat habenda ratio. Proinde si ego forte iudex causæ sedissem, magis in hoc ut mihi uidetur, futurus eram occupatus,potiusq; spectassem,uter moribus esset præstantior, quàm uter ad disputandũ ac dicendũ promptior: atq; illi potius quàm huic uictoriã adiudicassem. LVCIA. Recte dicis. Equidem isti tuæ sententiæ meum & ipse calculum addo. Verum ubi iam conuicijs, ubi maledictis essent satiati, tandem Diocles illud aiebat nefas esse, uel conari aut proponere Bagoam,uti cum philosophiæ studio,cũq; pulcherrimis illius præmijs cõmercium haberet,qui quidem eunuchus esset. Imò hoc hominũ genus,non solũ ab eiusmodi cõtubernio secludi oportere,uerũ ab ipsis etiam sacris,ac uasis puris, breuiter ab omni-

bus publicis cœtibus eíjci. Oſtẽdẽs inauſpicatũ quoddã & occurſu infauſtũ ſpectaculũ fore, ſi quis mane domo egreſſus, uel uideat iſtiuſmodi quíppiam. Atq; hac de re multis uerbis diſſerebat, affirmans eunuchũ neq; uirũ eſſe, neq; mulierẽ, ſed quiddã utrinq; compoſitũ & cõflatum, planéq; monſtrum ab hominũ natura ſpecíeq; alienũ. PAMPHIL. Nouã accuſandi rationẽ nobis narras Luciane. Iamq; & ipſe ridere compellor, crimẽ audiẽs tam inauditũ. Sed alter ille quid? Num obticebat? An uiciſſim & ipſe quiddã auſus eſt ad iſta reſpõdere? LVCIA. Initio quidẽ pudore ac metu (nã id eſt iſtis familiare) diutius obticebat, erubeſcẽs interim, palamq; præ ſe ferens id quod erat. Tandẽ autẽ tenuem quandã ac muliebrẽ ædens uocẽ, negabat æquum facere Diodẽ, qui ſe quod Eunuchus eſſet, ob id à philoſophia ſecluderet, cũ qua fœminis etiam eſſet cõmercium. Allegabantur Aſpaſia, Diotima, Thargelia, quæ cauſam illius adiuuabãt. Præterea Academicus quidã Eunuchus natione Gallus, qui paulo ante noſtrã ætatẽ maximi nominis apud Græcos floruiſſet. Porrò Diocles etiã illũ ipſum ſiquidẽ extaret, ac ſimili negocio ſeſe miſceret, phibiturũ ſeſe reſpondit, nihil expauefactum opinione, quam apud uulgus obtinebat. Ad hæc quũ ipſe quædam dicteria in illum iaciebat, tum referebat in eum, quæ à Stoicis maximeq; Cynicis dicta ad riſum concitandũ erant idonea, de corpore mutilo atq; imperfecto. Hac in re iudicum cognitio uerſabatur. Deniq; totius cauſæ iam illud caput eſſe cœpit, Nũ eunuchus idoneus eſſet cẽſendus, qui ad philoſophiã admitteretur, quiq; iuuenibus præfici poſtularet, quũ alter interim formã etiã ac corporis integritatem, in philoſopho requirendã eſſe diceret. Maxime uero uti barbã altam ac promiſſã gerat, quo uidelicet ijs, q diſcẽdi cupidi aduenirẽt, uir grauis appareat, & is cui fides haberi debeat, neq; indignus uideatur decẽ illis drachmarũ milibus, quæ forẽt ab Imperatore capiẽda. Cæterũ Eunuchorũ condicionẽ etiã q; Spadonũ eſſe uilioré. Nã illos aliquãdo uiri le quiddã expertos fuiſſe, at hunc ab ipſo ſtatim ortu fuiſſe exectũ, planéq; animal eſſe quoddã, uariũ atq; anceps, non alter q; cornices, quæ neq; inter colũbas, neq; inter coruos numerari queãt. Alter cõtra reſpõderet eo iudicio nõ de corporis agi figura, uerũ de animi uirtute, proinde mẽtis qualitatẽ expẽdi oportere, déq; dogmatũ cognitione quærẽdum eſſe. Eius rei teſtis citatus Ariſtoteles, qui quidẽ Ermeã eunuchũ Atarne oriundũ tyrannũ ſupra modũ ſit admiratus, adeo, ut illi perinde atq; Diis ſacra fecerit. Auſus eſt & illud addere Bagoas, multo magis idoneũ eſſe eunuchũ, cui adoleſcẽtes erudiẽdi credantur, quod ab hoc nulla in illos calumnia poſſit hærere, neq; Socraticum illud crimẽ in hunc competat, quod adoleſcentulos corrumpat. Deinde quæ ille

potiſſimum

potiſſimũ in mentũ imberbe fuerat cauillatus,ea hic facete,ut ipſi quidem uidebaꝫ, reiecit.Etenim ſi è barbæ ꝓlixitate,inquit, philoſophos æſtimare cõuenit,nimirũ hircus ante omneis primas tenebit.Hic tertius quidã aſſiſtens (nomẽ hominis ſilebitur) atqui iudices, inquit, hic malis læuibus,ac fœminea uoce,reliquóque corporis habitu eunucho adſimilis,ſi quis ueſtes detrahat,egregie uir eſſe uidebiꝫ.Alioqui mentiuntur qui ferunt eũ aliquãdo in adulterio deprehẽſum,mẽbra in mẽbris,ut legum tabulæ loquũtur,habentẽ,atq; id quidẽ temporis ad eunuchum cõfugiſſe,eaq; reperta latebra abſolutũ fuiſſe, quũ iudicibus crimẽ ꝓſuaderi nõ poſſet,ut qui è ſpecie hominẽ iudicarẽt eunuchũ,At nunc mihi palinodiã canturus uidetur,idq; ꝓpter oſtentatũ præmiũ. Hæc quũ dicerentꝫ,omnibus,ut par erat, riſus eſt obortus. Porrò Bagoas magis etiam ꝓturbabatur, omnẽ in ſpeciem ſeſe uarians, atq; innũerabiles uerſus colores,tũ frigido ſudore fluẽs,ac neq; decorũ ſibi exiſtimabat adulterij crimen agnoſcere,neq; rurſum eam acculationẽ inutilẽ ad præſens certamẽ arbitrabatur.PAMPHI. Profecto deridicula ſunt iſta Luciane,neq; uulgarẽ uobis,uti coniectandũ eſt,uoluptatẽ præbuerũt. Verũ quo tandẽ res euaſit? Et qd ſuper his pronunciarũt iudices? LVCIA. Non erat eadẽ omniũ ſentẽtia. Verũ alijs quidẽ uiſum eſt,uti nudato illo,quẽadmodũ in emptitijs ſeruis fieri conſueuit, inſpicerẽt,num in ijs quæ ad penẽ pertinent,philoſophari poſſet. Alij uero ſentẽtiã dixere multo magis etiã hac ridiculã, nempe ut accerſitis è luſtro mulieribus aliquot iuberẽt illũ cum illis cõgredi, ac uiri officio fungi,aſtante interim è iudicibus quopiã, qui quidẽ eſſet natu maximus,fideq; ſpectatiſſima,qui inſpiceret,num philoſophum præſtaret. Hæc ubi omniũ riſu fuiſſent excepta,neq; quiſq; omnino adeſſet, cui non doleret aluus riſu cõcuſſus,uiſum eſt ut integra cauſa in Italiã reij teretur. At nũc alter,ut aiunt,ad æloquẽtiæ oſtẽtationẽ ſemet exercet, atq; inſtruit,& accuſationem cũ elaboratiſſimã meditatur,adulterij crimen aggrediẽs,id qd ipſi maxime aduerſatur. Quod quidẽ & hic facit,iuxta malorũ rhetorũ morem,quũ ex ipſo crimine aduerſariũ intet uiros recenſet.Cõtra Bagoas diuerſa curã,quẽadmodũ audio, & aſſidue uirũ agit,negociũ cũ præ manibus habet. Poſtremo uicturũ ſeſe ſperat,ſi modo docere poſſit,ſe nihilo deteriorẽ eſſe equas ineuntibus aſinis.Id enim amice uiſum eſt optimũ philoſophiæ documentũ,atq; una demõſtratio,quæ refelli non queat.Proinde optarim, ut filius qui mihi eſt adhuc admodũ adoleſcẽs,non animum & linguã, ſed penem haberet ad philoſophiam idoneum.

LVCIANI EVNVCHI SIVE PAMPHILI FINIS.

LVCIANVS DE SA-

CRIFICIIS. DES. ERAS. ROTEROD. INTERP.

NIMVERO si quis recensere uelit, quæ stultissimi mortales factitant in sacris, in festis diebus, in ade undis salutādisq; dijs, tum quas res ab illis petāt, quæ uota faciant, cuiusmodi sint, quæ de illis senti unt, statuuntque, equidem haud scio, sit ne quis quam animo curis ita confecto, usqadeo mœsto quin risurus sit, ubi perpēderit negocij, tum absur ditatem, tum amentiam. At multo ante quàm ridere incipiat, opinor secum illud expendet, utrum pios istos appellari conueniat, an contra dijs inimicos, atq; infelices, ac genios malos, qui quidem numē ipsum rem usqadeo humilē atq; abiectam existimant esse, ut humanis ege at obsequijs, utq; adulatione capiatur ac gaudeat, rursum ut stomach etur, atq; iracunde ferat, si negligatur. Nam Aetolica illa mala, simulq; Calydoniorū calamitates, totq; hominū cædes, ad hæc & Meleagri interitū, hæc omnia à Diana autore ꝓfecta esse prædicant, quæ uideli cet grauiter ferret, qđ ab Oeneo non esset ad sacrificiū adhibita. Vsq; adeo nimirū alte dolor hic animo illius insederat, qđ sacris epulis es set frustrata. Quin illā iam mihi uidere uideor, ut erat id temporis, in cœlo solitariā, reliquis dijs ad Oenei conuiuiū profectis foras, miseris modis gerentē sese, ac miserabiliter eiulantem, quod ab eiusmodi festo esset absutura. Contra Aethiopes illos fortunatos, ac multis modis fe lices quis dixerit, si modo Iupiter illis gratiā referret pro humanitate, quā in initio poēmatis Homerici in ipsum exhibuerāt, duodecim per petuos dies epulis acceptū, idq; quū reliquis etiam dijs comitatus ad conuiuiū ueniret. Vsqadeo nihil ut apparet, quicquid faciunt illi, gra tis faciunt, uerum sua bona uendunt mortalibus, atq; emere quidē ab illis licet omnia, puta bonam ualetudinē bucula, diuitias bobus quatu or, tum regnū bobus centum. Præterea sospitem ab Troia in Pylum reditum tauris nouem. Iam ex Aulide ad Ilium transmittendi facultā tem regia puella. Nam alius quidā, ne id tēporis urbs caperetur, à Mi nerua mercatus est bobus duodecim, ac peplo. Verisimile est autē, esse præterea quædā, quæ uel gallo, uel corolla, uel solo thure ab illis redimi queant. Hæc igitur quū non ignoraret, opinor, Chryses ille, utpote, tū sacerdos, tum senex, diuinarumq; rerum egregie peritus, posteaq; re infecta rediisset ab Agamēnone, tanquā qui pridem Apollini mutuū dedisset beneficium, ita nunc imputat ac reposcit uicem, quin conuicia

tur etiā

tur etiam propemodū, nempe quum ſic ait: Equidem Apollo egregie, templū tuum, quum id temporis adhuc eſſet incoronatū, ſæpenumero coronis ornaui, deinde tam multas tibi in aris adoleui coxas taurorū, pariter atq; caprarum. At tu contra, me negligis, quum huiuſmodi patiar iniurias, proq; nihilo ducis hominē bene de te meritum. Qua quidem oratione intantū ille pudefactus eſt, ut protinus arrepto arcu, ac ſupra nauium ſtationē ſeſe collocans, peſtem in Græcorū copias iacularetur, ne mulis quidem & canibus intactis. Sed quoniā de Apolline incidit mentio, referam de eodem & alia, quæ de illo ſapientes iſti tradunt, non illa quidem, quoties quam infeliciter amarit, no Hyacinthi cædem, neq; Daphnes ſuperbiam, uerum quemadmodū damnatus etiam fuerit, & ob Cyclopes interfectos in exilium exactus. Vnde factum, ut e cœlo in terram demitteretur, humana iam ſorte uſurus, noſtriſq; malis factus obnoxius. Præterea autē quemadmodū in Theſſalia mercenariam operam ſuam locarit apud Admetum, tum item in Phrygia apud Laomedontem, atq; apud hunc quidem haud ſolus, uerum cum Neptuno, quum ambo ꝓpter egeſtatem lateres componerent, incq; cōſtruendis mœnibus operam præſtarent. Ac ne mercedem quidem ſolidam à Phrygē illo tulerunt, uerum debebat illis adhuc de ſummā, ut ferunt, plus triginta drachmas Troiani nomiſmatis. Quid enim? An non hæc in deorū honorē fabulantur poetæ? atq; his etiā multo diuiniora de Neptuno, de Prometheo, de Saturno, de Rhea, denicq; de uniuerſa fermè Iouis familia, idq; inuocatis, ut adſint canentibus in exordio poēmatū, Muſis, à quibus tandē uelut afflati numine, id quod apparet, huiuſmodi quædam cantant. Quemadmodū Saturnus ut primū Cœlum patrē ſuum execuiſſet, ipſe in eo regnauerit, deinde liberos ſuos deuorarit, ſicuti ferunt feciſſe & Argiuū illū Thyeſtem. Deinde quemadmodū Iupiter furtim occultatus à Rhea, ſaxum pueri loco ſubiiciente, in Cretam ſit ablegatus, atq; inibi à capella nutrice ſit alitus, itidem uidelicet, ut Telephus à cerua, Cyrus Perſa, is qui prior regnauit à cane narratur enutritus. Poſtea quemadmodū expulſo patre, atq; in uincula conjecto, ipſe potitus ſit imperio. Duxerat autem uxores cōplureis quidē alias: ſed poſtremo loco Iunonē germanā, idq; iuxta Perſarū & Aſſyriorū inſtitutū. Tū autē quod eſſet in amores propenſus, atq; in Venerē effuſus, facile cælum liberis expleuerit. Quorū alios ex ſuæ ſortis deabus crearit: alios contra nothos, ex mortali, terreſtriq; genere ſuſtulerit. Quum interim generoſus ille, nunc in aurum, nunc in taurum, nunc in cygnum aut aquilam uerteretur: ac in ſumma plures ſibi formas aſſumeret, quam uel Protheus ipſe. Porrò Mineruam è ſuo ipſius capite progenuit, hanc planè ſub ipſo cerebro

 cōplexus.

cõplexus. Nam Bacchũ imperfectũ adhuc (ut aiunt) è matre etiamnũ conflagrante ſurreptũ, in ſuum femur illatũ defodit. Deinde urgente partu, executit. Nec his diſſimilia de Iunone etiã canunt. Nempe hanc citra uirilem cõgreſſum, ſubuentaneo conceptu grauidã puerum ædidiſſe Vulcanũ: atq; eum quidẽ non admodũ fortunatũ, uerum excuſorem ac fabrum ærariũ: quiq; perpetuo tum in igni, tum in fumo uerſetur, ac ſcintillis oppletum: quippe cuius ars in fornacibus exerceatur. Tum aũtẽ ne pedibus quidẽ integris: claudicare enim è ruina, quum à Ioue præceps datus eſſet è cœlo. Q d'ni Lemnĩ pro ſua bonitate eum, dum adhuc ferretur in aere, ſuſcepiſſent, perierat nobis Vulcanus: nõ aliter q; Aſtyanax è turri deiectus. Quanq; quæ de Vulcano narrant, toleranda uideantur. Cæterũ de Prometheo, cui non cognitum eſt, q; atrocia ſit paſſus, propterea quod ſupra modũ humanæ gentis amans fuerit? Siquidẽ hunc Iupiter in Scythiam deportatum, ſuper Caucaſum montem cruci ſuffixit: adhibita illi aquila, quæ iecur illius aſſidue circũroderet. Hic itaq; pœnas pendit. Porrò Rhea (nam ſũt hæc quoque ſimul referenda) an no indecore, atq; indigne facit? Iam anus quũ ſit, & ætate exacta, iiſq; rebus intẽpeſtiua: deinde tam multorũ mater deorũ, dum pueros adhuc adamat, eosq; zelotypia ꝓſequitur: dumq; Atten ipſum leonibus ſecũ circũuectat, præſertim quũ iã utilis eſſe nõ queat? Itaq; quinã poſthac uitio uertat aliquis, uel Veneri quod adulteret, uel Dianæ q d' ad Endymionẽ frequẽter medio è curſu diuertes deſcendat? Sed age miſſas faciamus has fabulas: atq; ipſum cœlũ conſcendamus, poetico illo more ſubuolãtes: ea nimirũ uia, quã unam pariter cum Homero Heſiodus cõmonſtrat, cõtemplaturi, quẽ in modũ ſingula apũd illos ſint ordinata. Ac primũ quidem quod forinſecus ſit ferreũ: uel ab Homero, qui id ante noſtram ætatem dixit, audiuimus. Quod ſi ſuperas, ac ſublato paulũ capite ſurſum aſpexeris, ac planè in ipſum quaſi dorſum perueneris: ibi ſimul & lumẽ apparet candidius, & ſerenior ſol, & aſtra fulgẽtiora, nihilq; uſq; oculis occurrit niſi clarus dies, ac ſolum undiq; aureum. Cæterũ introgredienti primo loco manſitãt Horæ: quippe quæ portas ſeruant. Poſt eas Iris ac Mercurius: utpote miniſtri Iouis & internunci. Deinde Vulcani fabrilis officina, omnigena referta artificio. Poſtea deorũ ædes, ac Iouis ipſius regia: quæ quidem omnia Vulcanus pulcherrime fabricatus ſit. At uero dij iuxta Iouem aſſidentes (conuenit enim opinor, ut in ſupernis illis ſedibus magno ſtrepitu, faſtuq; uiuatur) in terram deſpiciunt: & quoquouerſum intento capite, circũſpectant, ſi cunde ſubuolantẽ ignem uideant, aut nidorem in aëra ſurgentem, cireaq; fumum rotantem ſeſe. Quod ſi quis forte ſacrũ faciat, epulãtur omneis fumo inhiantes, ac muſcarũ

in morem

in morem sanguinẽ exugentes circũ aras effusum. Alioqui si domi cibum capiant, nectare atq; ambrosia uictitãt. Nam olim homines etiã ab illis in cõuiuiũ sunt adhibiti, unáq; cum eis potarunt: nempe Ixion ac Tantalus: uerum illi quoniã uim & raptum pararent, essentq; futiles & garruli: ob id in hunc quoq; diem pœnas luunt. Porrò reliquum mortalium generi cœlum iam inaccessum est, atq; occultũ. Et in hunc quidem modũ uiuitur à dijs. Proinde uidelicet & iam mortales ipsi in colendis illis consimilia quædã atq; istis cõsentanea moliuntur. Nam primũ lucos illis attribuerunt, tum & montes dicarunt, præterea aues consecrarũt: deinde suam cuiq; arborem assignarunt. His factis per regiones illos distributos colunt, eosq; uelut in ciuitatẽ suam receptant. Nempe Apollinem Delphi Deliq; Mineruã Athenienses: quæ quidem Græcis Athena dicta, uel ipso uocabulo se ei reip. familiarem esse testatur. Argiui Iunonẽ: Mygdonij Rheam: Venerem Paphij. Rursum autẽ Cretenses Iouem affirmant, non modo uixisse apud sese, uerumq; fuisse: uerum etiam sepulchrum illius ostendunt. At nos scilicet interim tam multis iam seculis fallimur, qui quidem opinemur Iouem tonare, pluere, reliquáq; omnia peragere. Et illud nos latuit, eum iam olim fuisse defunctum, & apud Cretenses sepultum. Deinde uero phanis in honorem illorũ erectis, ne tectis uidelicet aut penatibus careant, formas illorũ exprimunt, adhibito ad id uel Praxitele, uel Polycleto, uel Phidia. At hi quidẽ artifices haud scio ubinam uisam, eorũ effigiem repræsentãt. Ac Iouem quidẽ barbatũ fingunt. Apollinẽ uero semper puerum. Mercuriũ iam pubescentẽ, primamq; ducentem laniginem. Neptunum nigro capillitio: cæsijs oculis Mineruam. Attamen qui templa ingrediuntur, nõ iam arbitrantur sese uidere, uel ebur ab Indis aduectum, uel è Thracũ uenis effossum aurum: uerũ ipsum Saturni Rheæq; filium à Phidia in terram hospitem adductum, iussumq; Pisanorũ in solitudine custodem ac speculatorẽ assistere: idq; hoc contentum præmio, bonicq; cõsulentem, si intra quinq; perpetuos annos dum olimpia celebrantur, interim obiter illi sacrificet aliquis. Tum autem constitutis aris, designatis sacrorum septis, puris uasis collocatis, uictimas offerunt: bouem aratorem agricola, agnum opilio, capram caprarius. Est qui thus, est qui placentulã offerat. At si quis pauperis ità Deo litat, ut dextrã duntaxat suam ipsius exosculetur. Iam uero quum immolant (nam ad illos rédeo) primum ferris coronant pecudem, multóque ante explorant num legitima sit & sacris idonea: ne quid forte mactent ex his, quæ religio repudiat: deinde ad aram applicant, ac sub oculis dei iugulant, flebile quiddam emugientem, beneque sicuti licet conijcere, ominatum: denique uocem iam leuiore ad sacri

tibias respondentem. Quis uero non facile coniectet gaudere deos, quũ ista spectant? Quin & in frontispicio posita scriptura denunciat, ne quis intra pura uasa cõsistat, qui manibus sit impuris. Atqui sacrificus ipse sanguine fœdatus, nec̃ aliter q̃ Cyclops ille pecudẽ incidit, intestina educit, cor reuellit, circũ aræ circũfundit. Et q̃id tandẽ nõ obiens, peragensq; quod ad pietatem, sacrorumq; ritum pertineat? Post omnia demũ incenso igni, capram ipsa pariter cum pelle deportatã imponit: ipsam item cum lanis ouem. Nidor interim ille sacer atq; diuinus sursum fertur, atq; in ipsum usq; cœlũ subuectus paulatim diffunditur. Iam uero Scythæ reliquis omnibus hostijs omissis: ut quas uiles atq; humiles existimẽt, ipsos homines mactant Artemidi, atq; eo ritu deam placant. Verũ hæc fortassis modesta uideantur: cũq; his ea quæ factitant Assyrij, quæ Phryges, quæ Lydi. Verũ, si in Aegyptũ profici scaris: ibi demũ, ibi uidebis permulta religiosa, planeq; cœlo digna. Puta Iouem arietino uultu: Mercurium illum optimũ facie canina: Panẽ uero totũ hircum. Ad hæc alium Ibim, alium Crocodilum, aliũ etiam Simiam. Quod si his quoq; de rebus

Quo planè pernosse queas dicisse libebit

Complureis sophistas audies: tum scribas, ac prophetas, mento raso, qui tibi narrent (Sed prius, ut dici solet, Fores occlude prophane.) Quẽadmodũ uidelicet quondã ea seditione territi, quã mouerãt hostes atq; gigantes, in Aegyptũ deuenerint: ut illic in posterũ tuti ab hostibus latitarent. Et ob eam causam alius hircũ induerit, alius arietem, nimiũ præ formidine, alius feram, alius auem. Atq; hinc esse, ut dij nũc etiam eas obtineãt formas, quas id tẽporis assumpserãt. Nam hæc diligenter mandata literis, idq; ante annos plus decies mille in adytis illorũ reposita seruantur. Porrò sacrorũ peragendorũ idem ferme apud illos ritus, nisi quod hostiam luctu prosequũtur: iamq; mactatæ circũ fusi membra laniant. Sunt qui sepeliant duntaxat, postea q̃ occiderint. Nã Apis ille qui quidẽ deus apud illos est maximus, si quãdo moriatur, quis usq; adeo magni faciat cesariem suam: qui non eam detondeat, ac nudo capite luctum præ se ferat: etiã si uel purpureã, nisi comam habuerit? Est autẽ hic Apis deus ex armento iam antea suffragijs delectus: utpote multo formosior ac uenerabilior reliquis illis priuatis & gregarijs bubus. Hæc igitur quum sic habeant, & tamen à uulgo uera, seriaq; credantur: mihi quidem postulare uidentur: non qui reprehendat, sed uel Heraclitum potius aliquem, uel Democritum: quorum hic amentiam eorum rideat, ille deploret insciatiam.

LVCIANI DE SACRIFICIIS FINIS.

Erasmus

ERASMVS ROTERO

DAMVS IOANNI EVTYCHIO SVO S. D.

VANQVAM hic Luciani Dialogus Eutychi doctiſſime, plurimũ habeat artis, ob decorũ mire ſeruatũ in perſonis tam multis, tamq; diuerſis: tamẽ aliquot repperi, qui dicerent eſſe premendũ, quod liberius, ac uelut ἐξ ἀμάξης philoſophorum omne genus laceret. At mihi uidetur iuſtius eſſe ſtomachandũ in huius ſeculi mores, quo uidemus philoſophorũ ac theologorũ ſcholas multo puerilius etiam inter ſe diſſidere: nec minus atrociter digladiari, tum inter religionis profeſſores nihilominus cruentã eſſe pugnã, quàm in eo conuiuio fuiſſe Lucianus, uel finxit, uel retulit. Hunc igitur libellũ, quoniã forte ἀδέσποτον repperi, & tamen patrono uidebatur egere, Eutychio dicaui. Bene uale, ὦ φίλη εὐτύχη, ut planè ſis quod diceris. Antuuerpiæ. AN. M. D. XVII.

LVCIANI CONVIVIVM SEV LAPITHAE DES. ERASMO ROT. INTERP. PHILON. LVCIANVS. PHILON.

OVAM quandã & uariã diſputationẽ Luciane uobis fuiſſe narrant, ſuper cœnã apud Ariſtænetũ: tum philoſophicos quoſdã ſermones dictos, ac ſuper his ſummã contentionẽ exortã fuiſſe. Quod ni mentitus eſt Charinus, etiam ad uulnera uſq; rem proceſſiſſe: deniq; ſanguine conflictũ fuiſſe diremptũ. LVCIA. Atqui undenam Philon iſta reſciuit Charinus? neque enim is nobiſcum aderat in conuiuio. PHILON. E Dionico medico aiebat audiſſe ſeſe. Porrò Dionicus etiam ipſe è conuiuarũ numero fuit opinor. LVCIA. Fuit maxime. Verũ ne is quidẽ ab initio rebus omnibus fuit præſens: ſed ſerius aduenerat, media fermè pugna, paulóq; ante uulnera. Proinde demiror, ſi qd cõperti, certiúe referre potuit, qui nõ ordine ſpectarit illa: unde inter illos nata lis, poſtea ad ſanguinem uſq; deducta eſt. PHIL. Proinde Luciane Charinus, etiã ipſe ſi rem cõpertius uellẽ cognoſcere, & quo ſingula modo ſint geſta doceri, te adirem iuſſit.

Nam

Nam Dionicũ etiam ipsum fassum fuisse: ne se quidem toti negocio præsentẽ adfuisse. Te uero quicqd esset actum, id omne cõperto, certóque scire: tum etiã quæ dicta inter illos fuerint, meminisse: quippe qui eiusmodi nõ obiter neqꝫ neglectim audire, sed per ociũ atqꝫ attẽte auscultari sis solitus. Proinde nuncꝫ effugies, quin nos hoc suauissimo accipias epulo: quo mihi quidẽ haud scio, an ullum possit accidere iucundius: præsertim qd' sobriũ per ocium tuto ac citra sanguinẽ, extraꝫ teli, quod aiunt, iactum constituti sumus epulaturi.

Siue senes aliquid. Super cœnam sunt debacchati.
Siue etiam iuuenes

â mero cõpulsi sunt: quæ neutiꝫ fas erat, tum dicere, tũ facere. LVCI. Iuuenilius tu quidẽ Philon, atqꝫ inconsultius hæc nos iubes in uulgus efferre, eáqꝫ referre, quæ inter pocula ab ebriis sunt acta: quũ hæc magis oporteat obliuioni tradere, eáqꝫ omnia Baccho deo uelut autori imputare: qui quidem haud scio, an quenꝫ suis non afflatum Orgijs, & Bacchanaliũ expertem præterierit. Proinde uide ne hominis sit parũ bene morati, eiusmodi adamussim exquirere: quæ rectius erat in conuiuio reliquisse, atqꝫ ita discedere. Siquidẽ odi (sicut inquit uersus poẽticus) memorem cõpotorem. Neâ Dionito quidem recte factum: qui hæc apud Carinũ effutiuerit, immodicãqꝫ & pridianã dissiparit temulentiã hoim philosophorũ. Cæterũ ego, absit ut istiusmodi quippiam sim dicturus. PHIL. Nugas agis Luciane, quũ ista dicis. Quin haud quaqꝫ oportebat ad istum modum apud me præsertim agere: ut qui certò sciam, te multo cupidiorem esse narrandi, quàm ego sim audiendi. Adeo ut mihi uidearis, si desint qui te audiant, uel ad columnam aliquã, aut statuã libenter accessurus, quo cuncta pariter euomas. Quod si nunc coner discedere, nõ sines, ni te prius audiero, abire. Verũ ultro aderis, consectabere, rogabis. At tum ego te uicissim lusero. Iamque adeo, si ita uis, abimus: ex alio quopiam hæc eadem audituri. Tu uero ne dicito. LVCIANVS. Age ne quid succenseas: equidem dicam, quandoquidẽ usqꝫadeo cupidus es audiendi: uerum heus ea lege, ne passim in uulgus efferas. PHILON. Ni prorsus ignoro Lucianũ, tute istuc potius feceris. Nam prior ipse denarrabis omnibus, ut me quidẽ ad id nihil futurũ sit opus. Sed illud mihi primo respõde loco. Aristænetus, num filio Zenoni dabat uxorem, atqꝫ ita in nuptijs eius uos accepit? LVCIANVS. Non: imò filiam suam elocauit Cleantidem. Idqꝫ Eucriti nũmularij filio, qui philosophiæ dat operam. PHILON. Formoso admodum per Iouem adulescentulo: tametsi tenero adhuc & uxoriæ rei non admodũ maturo. LVCIA. Verũ at nõ inueniebat, opinor, alterum generũ magis idoneum. Hunc igitur qui tum modestus

ſtus uideretur,tum ad philoſophiæ ſtudiũ propenſus: præterea autẽ unicus Eucriti diuitis,ex omnibus delegit filiæ ſuæ maritũ. PHIL. Cauſam neutiq; leuem dixiſti,nempe quia diues ſit Eucritus. Verum heus Luciane,quinam erant conuiuæ? LVCIA. Reliquos illos quorſum attinuerit tibi recenſere? Verum è philoſophorũ numero, ac literatorũ, quos potiſſimũ opinor,audire cupis. Zenothemis erat,ſenex ille Stoicus: unáq; cũ hoc Diphilus,cui cognomen Labyrinthus: & hic quidẽ quod eſſet Zenoni Ariſtæneti filio præceptor. Deinde peripateticæ factionis Cleodemus: noſti hominẽ, nempe dicacem illũ & argutũ, atq; ad refellendũ inſtructũ. Diſcipuli gladiũ ac bipẽnem nominãt. Quin & Hermon aderat Epicureus. Verũ hunc quũ ingrederetur, Stoici toruis obtuebantur oculis,& auerſabantur,palámq; perinde quaſi parricidam quempiã atq; impium ac funeſtũ deteſtabantur. Et hi quidem tanq; Ariſtæneti ipſius amici,familiaresq; fuerant ad cœnam uocati, quos comitabaẽ & Iſtiæus grãmaticus, & Dionyſodorus rhetor. Iam uero propter ſponſum Cheream unà cum illo ad conuiuiũ acceſſerãt; Ion ille Platonicus: quod is iuueni præceptor eſſet, uir uenerãdus aſpectu,ac maieſtatis quiddã præ ſe ferens,multũq; dignitatis ipſo oſtendens ore: Vnde nõnulli ꝓpter animi conſtantiã ac rectitudinẽ regulã illum appellant. Huic ſimul ut ingrediebatur aſſurgebãt omnes,ac ueluti præcipuum quendam ac primarium hominẽ comiter atq; officioſe exceperunt: adeo ut planè numen aliquod aduenire uideretur, quũ adeſſet Ion admirãdus ille. Tandem uero,quum iam omnes fermè cõuiuæ præſentes eſſent,tempus erat ut diſcũberetur. Itaq; ad dextrã ingreſſus totam illam ſpondam mulieres (erant autem complures) occupabãt. Inter quas erat & ſponſa ſummo ſtudio culta: hinc atq; hinc ſtipata fœminis, Porrò ex aduerſo oſtij,altera turba,pro cuiuſq; dignitate locis diſtributis. Porrò è regione mulierũ primo loco accumbebat Eucritus,ſecũdo Ariſtænetus: ſub hæc ambigi cœptũ,utrũ altero priorem oporteret accũbere, Zenothemim ne Stoicũ: quippe ſenem,an Hermonẽ Epicureũ. Nam hic erat Caſtoris ac Pollucis ſacerdos: tum autẽ nobiliſſimæ inter ciues familiæ. Verũ eã hæſitationẽ ſuſtulit Zenothemis: ſi me inquiens Ariſtænete,minoris ducis Hermone,uiro uidelicet iſto,ut ne quid aliud mali dicam Epicureo, diſcedo,totumq; cõuiuium uobis relinquo. Et puerũ protinus aduocat, diſcedere parans. Tum Hermon. Imò habeto,inquit, tibi priores partes Zenothemi. Quanq; etiam ſi nihil aliud, uel hoc nomine par erat concedi,quod ſacerdos ſim,ut planè cõtemnas Epicurũ. Rideo,inquit Zenothemis, ſacerdotẽ Epicureũ. Simulq; cũ dicto accũbebat. Poſt hũc tñ Hermon. Deinde Cleodemus Peripateticus: pone hunc Ion. ꝓxime hunc ſponſus

ſus,poſt eũ ego,iuxta me Dephilus:huic aſſidebat Zenon diſcipulus: Poſtremo rhetor Dionyſodorus cum Iſtiæo grãmatico.PHIL. Papæ Luciane Muſarũ conuentũ quendã mihi narras fuiſſe iſtud cõuiuiũ: quippe plurimis ſapiẽtibus ac doctis uiris refertum. Ego uero laudo Ariſtænetũ, qui quum optatiſſimã illam, ac ſplendidiſſimã ſolẽnitatẽ celebraret,præ cæteris ſapiẽtiſſimos uiros adhibere uoluerit:idq; adeo delectis ex unaquáq; philoſophiæ ſecta præcipuis,non hos aduocãs, illos præteriens:uerum promiſcue uocans omneis.LVCIA. Is uero ne quaq; eſt è uulgarium iſtorum diuitum numero,uerum & literarũ eſt ſtudioſus,ac maximã uitæ partem in his rebus uerſatur.Cœnabamus igit̃ initio quidẽ taciti & quieti,uariusq; erat apparat9 & omnijugus. Neq; enim arbitror operæ precium,ut numero recẽſeam etiã illa cõdimenta,cupedias,aromata, atq; id genus illectamenta.Cuncta ſiquidẽ affatim ſuppetebãt.Inter hæc Cleodemus admoto ad Ionis aurẽ ore: nõ uides,inquit,ſenẽ illũ Zenothemim dicebat (ſubauſcultabã enim) ut ſeſe obſonijs ingurgitat,utq; iure ueſtem oppleuit:tũ q̃ multa puero à tergo ſtanti porrigit, putans interim ſe aliorũ oculos fallere: neq; meminit poſt ſeſe accũbentiũ? Hæc igitur fac & Luciano cõmonſtres, quo teſtis eſſe poſſit. Mihi uero nihil Ione mõſtratore op9 erat: qppe qui hæc multo ante limis iam oculis præuiderã.Hæc ſimulatq; dixiſſet Cleodemus: irruit in conuiuiũ & Alcidamas Cynicus:atq; is quidem inuocatus, uulgatũ illud feſtiuitatis gratia præfatus de Menelao, qui ultro ad fratris conuiuium acceſſiſſet. Itaq; pleriſq; turpiter atq; impudenter uiſus eſt feciſſe: & quod cuiq; tum forte in mentem ueniebat,in eum torquebant,alius illud:Inſanis Menelaë. Alius rurſum.

Verum Agamẽnoniæ menti non iſta placebant.

Ad hæc alia quæ pro tempore ſalſe,lepideq; dici poterant,in eum obmurmurabãt. Nam palàm nullus audebat quicq; dicere,ppterea qd metuerẽt Alcidamantẽ,utpote conuiciatorẽ egregiũ,unumq; è Cynicis omnibus clamoſiſſimũ.Qua quidẽ re adeo uiſus eſt reliquis antecellere,ut nulli non eſſet formidandus.At Ariſtænetus, collaudatum illum quod inuocatus aduenijſſet,iuſſit accepta ſella, iuxta Iſtiæum ac Dionyſodorũ accũberet. At ille: Apage,inquit,muliebre quiddã ac molle dicis uti in ſcamno aut ſella ſedeam quemadmodum facitis uos,mollibus in ſtratis penè ſupini recumbẽtes, purpura ſuffulti.Quin ego tibi uel ſtans cœnauero in ipſo interim conuiuio etiam obambulãs.Quod ſi defatigatus fuero: tum humi ſubſtrato pallio,cubito innixus cubuero:qualem uidelicet Herculem pingunt.Ita fiat,inquit Ariſtænetus,ſiquidem iſthuc mauis.Sub hæc Alcidamas in orbem conuiuiũ luſtrãs, cœnabat,Scytharum ritu:ad uberiora paſcua ſubinde ſeſe tranſferens, unáq; cum

unáq; cũ his qui inferebãt edulia, circũiens atq; obambulans. Atq; interim tamen dum cibum caperet, haudquaq; negocio uacabat, de uirtute obiter, de uitio differens, tũ in aurum atq; argentũ dicteria iaculans: iamq; Aristænetum percontabatur, quidnam sibi uellent tã multa, tam magna pocula, quũ non minus usui possent esse fictilia? Verũ Aristænetus iam obturbantem, molestũq; esse pergentem, in præsens quidẽ compescuit: ministro innuens, ut ingentem calicẽ, infuso meracissimo uino, illi porrigeret. Atq; id quidẽ uisus est optime excogitasse: nondũ etiam intelligens, quantorum malorum is calix esset autor futurus. Hunc igitur ut accepisset Alcidamas, aliquantisper silentiũ agebat. Ac solo sternens sese cubabat seminudus, quẽadmodum facturum se sese fuerat pollicitus, cubito humi fixo innitẽs, simulq; dextra scyphũ sustinens: qualem Herculẽ apud Pholum pictores effingunt. Iam uero & inter alios calix assidue circũagebatur, tum inuitatiunculæ ad bibendum, & confabulationes ortæ, demũ & lucernæ illatæ. Interim ego quũ puerum, qui iuxta Cleodemum adstabat (erat aũt is pocillator egregie formosus) subridentem uidissem (nã arbitror, quicquid obiter inter cœnandũ obtigit, cõmemorari oportere: maxime, si quid sit elegantius ac scite factum) iam admodũ attentus obseruare cœpi, quidnam rei rideret. Ac paulo post, accedebat puer tanq; calicẽ à Cleodemo recepturus. At ille simul & digitũ illius substringebat, & drachmas puto duas unà cum calice tradebat. Porrò puer, ad substrictũ digitum rursus arridebat. Cæterum, de pecunia, quum nõ sensisset opinor, eóq; non recipiret, in terram delapsis drachmis strepitus est concitatus, moxq; ambo pariter rubore suffundebantur, idq; ita palàm, ut nemo non animaduerteret. Ambigebat igitur inter eos, qui proxime sedebant, cuiusnam essent illi nũmi, quũ & puer negaret à se proiectos, & Cleodemus itẽ: iuxta quem strepitus acciderat, sibi excidisse dissimularet. Verũ ea res tũ neglecta est: ac cõniuenter omissa, propterea quod id quod acciderat, non ita multi uidissent, præter unũ (ut mihi quidem uisum est) Aristænetũ. Nam is paulo post puerũ loco mouit, clanculum ablegans, & alij cuidam innuit, uti Cleodemo pocillator assisteret, uidelicet ex exoletis illis, ac robustis, mulioni, aut equisoni cuipiã. Ad hunc modũ ea res utcũq; abijt, summũ alioqui allatura pudorẽ Cleodemo, siquidem, ad omnes permanasset, ac nõ protinus occupans Aristænetus eam sopisset, ciuiliter dextreq; admodũ inducta temulentia. Cæterũ Alcidamas (iam emẽ potus erat) percontatus, quid nam esset nomen puellæ nubenti: tum clara uoce indicto silentio simul, & ad fœminas conuerso uultu: præbibo, inquit, tibi Cleanthi, Herculis Archegetæ omine. Sub hæc quũ risissent omnes: Ridetis, inquit, sacrilegi, quod spõsæ, Herculi Dei

mei nomine propinauerim? Imò illud ſcito, opus eſt, ni ſcyphum à me traditum accipiat, nunc̄ꝫ futurū, ut illi filius obtingat talis, qualis ego ſum, uirtute interritus, animo liber, tum corpore adeo robuſto, ſimulcꝫ cum dicto, ſeſe magis etiam renudabat: etiã uſcꝫ ad illa quæ ſunt maxime pudenda. Ad ea quũ iterum arriſiſſent conuiuæ, indignatus ille ſurrexit, toruis iam atcꝫ efferatis obtuens oculis, uultucꝫ ipſo teſtans iã neꝫ pacem, neꝫ quietem acturũ amplius. Forſitan & baculum illiſiſſet alicui, ni commodũ id temporis placenta prægrandis fuiſſet illata. Nã hanc ſimulatꝫ conſpexit, lenior ac mitior eſſe cœpit, ac ſtomachari deſiit: obambulans interim ac placentã auide uorans. Iã uerò plericꝫ temulenti eſſe cœperant, & clamoribus undicꝫ perſtrepebat conuiuiũ. Nam & Dionyſodorus rhetorem illic agens, orationes quaſdam pronunciabat, laudabaturcꝫ à miniſtris, qui à tergo aſſiſtebant. Et Iſtiæus Grammaticus uiciſſim, qui poſt illum accumbebat, uerſuum centones quoſdam recitabat, Pindari, Heſiodi, & Anacreontis carmina ſimul cõtexens atcꝫ conſarcinans: ita ut ex omnibus unicam redderet cantilenã: oppido cꝫ ridiculam. In primis aũt illa, perinde quaſi uaticinans, de his quæ poſtea acciderunt.

Commiſere ſimul clypeos.
Tum illud quocꝫ.
Tum uero clamorcꝫ uirûm luctuſcꝫ coortus.

At uero Zenothemis, libellulũ quempiam minutis conſcriptum literulis, à puero acceptum legebat. Verũ quum ij quorum partes erãt edulia inferre, aliquantiſper, ita ut ſolent, ceſſarent morarenturcꝫ: Ariſtænetus ſedulo curãs, ne uel id interea temporis, aut ocioſum eſſet, aut uoluptatis expers, accerſitũ intro Morionem: iuſſit ridiculũ aliquid uel dicere, uel facere, quo magis etiam exhilararentur cõuiuæ. Moxcꝫ ingreſſus deformis quidã, deraſo capite, pauculos capillos in uertice geſtans, eoſcꝫ criſtæ in morẽ erectos, hic ſaltabat, atcꝫ inter ſaltandũ, quo maiorem cõcitaret riſum, rotatu ſeſe circũagebat, diſtorquebatcꝫ. Tũ cymbalo cõcuſſo, ſonabat interim quiddã, linguam imitans Aegyptiorũ. Poſtremo dicteria quædã iaculabatur in eos qui aderãt. Ac reliqui ſcommate tacti ridebãt. Verũ ubi & in Alcidamantẽ ſimile quiddã torſiſſet: catulum illũ Melitæum appellans, indignatus ille (lãdudum aũt præſe ferebat, quod inuideret illi: dũ ꝓbaretur, ac conuiuarum oculos retineret) abiecto pallio, ut ſecum luctaretur prouocauit. Quod ni faceret, hunc, inquit, baculum tibi impingã. Atcꝫ ita miſer ille Satyrion (nam id erat Morioni nomen) congreſſus cum eo, Pancratio decertabat. Erat id ſpectaculi multo iucundiſſimum, quippe quum uiderent hominem philoſophũ cũ Morione compoſitũ, quũ ferire, tũ uiciſſim feriri. Proinde

inde qui aderant partim pudore tangebantur, partim ridebant: donec iam ictus Alcidamas, pugnam detrectaret, ab homuncione omnium plausu cõprobato certamine superatus. Hæc igitur, quum essent non mediocri risu excepta: ibi tãdem ingressus & Dionicus medicus haud multo post peractam concertationẽ. Aiebat autem in mora fuisse Polypreponten tibicinẽ, dum hunc phrenesi correptum curandi gratia ui seret. Ac planè quiddam risu dignum, cõmemorabat. Dicebat enim in ædes illius ueniisse sese ignarum etiam hominem iam eo morbo teneri. At illum protinus surrexisse, foribusq; occlusis, ac nudato gladio, tibias ipsas sibi tradidisse, iussq; uti caneret iussisse. Deinde ubi id non posset illum percussisse scutũ sublata manu gestantẽ. Sese porrò in tanto periculo tale quiddam fuisse commentum. Nempe ad canendi certamen prouocasse hominẽ: idq; ea lege ut uictus præscriptũ certumq; plagarum numerũ acciperet. Ac sese priorẽ ceciniisse, praue atq; imperite: deinde traditis illi tibijs scutum ab illo recepisse: gladium autem extemplo per fenestras in aream abiecisse. Dein quum minore iã discrimine cũ illo luctaret, auxilio aduocasse uicinos. Eos reuulsisse belluam, atq; ita illorũ opera seruatum sese. Ostendebat aũt & plagarum uestigia quædam: nónullaq; in facie tubera liuẽtia. Ergo cum Dionicus ob huiusmodi fabulam hó minus placuisset, q; Morio ipse proxime Istiæum reclinatus sese, de reliquijs cœnabat. Atq; hic quidem haud absque numine quodã nobis aduenerat: imò prorsum usui futurus ad ea quæ postea contigerunt. Nã prodiens in mediũ conuiuium puer quidam, qui se ab Etœmocle Stoico uenire diceret, epistoliũ quoddam adferẽs, aiebat ab hero sibi mandatum, ut eo palàm omnibus audientibus perlecto, rursus domũ sese reciperet. Hic igitur permittente Aristæneto, ad motus ad lucernã legebat. PHILON. Nũ orationẽ Luciane in sponsæ laudem cõpositam, aut carmẽ nuptiale: quod genus permulta faciũt? LVCIA. Videlicet nos quoq; tale quippiam existimabamus. Verũ ne accedebat quidẽ ad id, ut aiunt. Cæterum in literis ita scriptum erat. Etœmocles philosophus Aristinæto. Quã nó mouear conuiuijs omissis ante acta uita mea fuerit, testis. Qui quidem quum quotidie mihi cõplures ea causa molesti sint, te multo ditiores, tamẽ haud unq; illis morẽ gessi: perpendens nimirum, quãtum sit in eiusmodi cõpotationibus tumultus, quantũ licentiæ petulantiæq; : uerum aduersus unũ te mihi uideor meo iure stomachatus, q quum tantum temporis à me officiosissime cultus & obseruatus, tamen indignum habueris, quem uel inter reliquos amicos tuos numerares, sed solũ ex omnibus præterieris, idq; quum uicinus essem. Proinde tua causa magis discrucior, qui quidem te tam ingratum præbueris. Nã ipse felicitatem nequaq; in hoc statuo,

si quis mihi impartiat,uel suem syluestrem,uel leporem:uel placentã: quæ mihi affatim cõtingunt apud alios,qui officia norunt. Quãdoquidem etiam hodie quum apud discipulum Pamenem cœnare mihi licuerit,opiparam(ut uocant)cœnam,nõ annui tamen uehementer obsecrãti,tibi scilicet demens ego,memetipsum reseruãs. At tu nobis præteritis,alios accipis conuiuio. Idq; merito facis,neq; enim ullo modo potes quid sit rectius dignoscere,nec appræhensuam illam phãtasiam habes. Cæterum haud sum nescius, unde mihi ista sint profecta: nempe ab egregijs istis philosophis tuis Zenothemide ac Labyrintho,Quibus equidem(absit inuidia dicto)uel unico syllogismo mihi uideor os protinus obturare posse. Alioqui respõdeat istorũ aliquis quid sit philosophia, aut hæc quæ inter elementa tradunt: quid habitio differat ab habitu,ut ne quid interim de perplexis illis rogationibus proponã, quid sit syllogismus cornutus:quid acerualis,quid metens. Verum tu quidem istis fruaris licet. Nam ego,qui solam in bonis ducam quid sit honestum,facile tulero cõtumeliam. Atqui ne possis posthac ad istam excusationem confugere,ut dicas te mei oblitum fuisse:nimirum in tãto rerum strepitu,tãtisq; occupationibus:bis te hodie sum alloquutus, primum mane domi tuæ: deinde rursum in Castoris ac Pollucis templo rem diuinam facientem. Ac his quidem de rebus hæc respõderim. Qd si tibi uideor cœnæ gratia succensere:quid Oeneo acciderit cogitato. Videbis nimirum ipsam etiã Dianam indignãtem,quod ille se solã nõ adhibuerit ad sacrificium,quũ reliquos deos omneis acciperet conuiuio. Nam hac de re sic alicubi meminit Homerus:

Seu quia non norat:seu non succurrerat illi:
Acriter est offensa tamen.

Item Euripides.

Chalydon quidem hæc Pelopeŋ regio soli:
Qua parte sæuum spectat aduersa fretum
Agros habens,tum diuites, tum fertiles.

Rursum Sophocles.

Immanis apri triste monstrum,in Oenei.
Immisit agros gnata Latonæ dea
Docta eminus missis ferire spiculis.

Hæc tibi è plurimis pauca citaui:ut intelligeres,cuiusmodi præterito uiro Diphilum ad cœnã adhibeas,cui & ipsi filium cõmiseris tuũ. Idq; recte. Est em̃ iucũdus adolescenti,& ita cum eo uiuit,ut placeat,atq; obsequatur:atq; adeo ni mihi turpe dictu fuerat,addidissem & aliud quiddam. Quod quidem tu,si libebit, è Zopyro eius pædagogo uerũ esse cognosces. Verum non cõuenit obturpare in nuptijs:neq; accusare

quenq;:

quenꝫ, præsertim criminibus usq; adeo fœdis ac pudendis. Tametsi Diphilus dignus in quem facerē, quippe qui duos iam discipulos à me retraxerit: ego tamen ipsius philosophiæ causa reticebo. Porrò famulo huic mādaui, uti si quā ipsi partem dare uelles, uel apri, uel cerui, uel placentæ, mihi deportādam, ut isthoc pacto te mihi de cœna purgares: ne reciperet, ne ad hoc ipsum à nobis missus fuisse uideat. Hæc amice quum legerentur, sudor interim utiq; mihi manabat præ pudore: simulq; iam illud quod uulgo dici solitū est, optabā, ut terra mihi dehisceret: quū uiderē eos qui præsentes aderāt ad singulas epistolæ partes inter se ridentes, potissimum autem hos, qui nouerant Etœmoclem uirum canum, tantumq; seueritatis præse ferentem. Admirabantur igitur quod eiusmodi uir esset: hactenus fugisse sese, barba uidelicet ac uultus austeritate deceptos. Cæterum Aristænetū mihi quidem haud uidebatur hominem cōtemptu negligentiaue præteriisse, uerū quod desperasset, si fuisset inuitatus, unq; adduci posse, ut annueret: utq; ad eiusmodi res se morigerum præberet. Eoq; ne tentandum quidem esse putasse. Ergo posteaq; puer iam legere desiisset, uniuersum conuiuium in Diphilum ac Zenonem torquebant oculos, quod hi iam metu trepidi sederent, ac pallidi, ipsaq; uultus inconstantia ac perplexitate crimen agnoscentes, ab Etœmocle intentū. Porrò Aristænetus quanq; esset sane perturbatus, uehementerq; cōsternatus animo, tamen nos iubebat bibere, conans nimirum id quod euenerat, cōmode uertere, subridens interim. Ac puerum redire iussit, respondens, ea sibi curæ fore. Paulo autē post surgēs & Zeno dāculum sese abduxit è conuiuio, submonitus à pædagogo, ut discederet innuente, idq; tanq; patris iussu. Ibi uero Cleodemus, qui iamdudum occasionem quæritabat, (Nam gestiebat omnino cum Stoicis cōflictari, uerum dirumpebat, quod nō reperiret causam ad id satis idoneam) tum igitur, ansam præbente epistola huiusmodi, inquit, facit egregius ille Chrysippus & Zenon ille mirabilis, neq; non Cleanthes, uerbula misera, neq; quicq; præter rogatiunculas, & umbras duntaxat philosophorum. Cæterum Etœmocles sunt pleriq; omnes. Videtis q; & ipsæ epistolæ graues sint ac seniles. Postremo Aristænetus hic Oeneus est: Etœmocles Diana, Dij boni, q; bene auspicata omnia, q; cōgrua celebrādæ festiuitati. Ita per Iouem inquit Hermon, supra hūc accumbens, inaudierat aūt, ut opinor, aprū quendā Aristæneto paratum, ut in cōuiuio proponeretur, eoq; putabat non intempestiue factam mentionem apri illius Calydonij, per lares Aristænete fac q; primum sacri partem mittas, ne senex interim ille fame pereat, tanq; Meleager tabefactus. Tametsi nihil queat acerbū accidere, quandoquidem Chrysippus hæc indifferentia censet esse,

Itáne uos Chrysippū nominatis inqt Zenothemis? erigēs sese, maximáq uoce intonās, an ex uno homine, qui nō legitime philosophiā exerceat, nēpe præstigiatore isto Eteemocle, Cleantem ac Zenonē metimini, uiros sapientes? Atqui tādem estis ipsi uos; qui hæc dicitis, an non tu Hermon Castoris & Pollucis cæsariem, quā habebāt aureā circumcidisti? Cuius quidem facti pœnā dabis carnifici traditus. Tu porrō Cleodeme, nōne Sostrati discipuli tui uxorem stuprasti? Nōnne in adulterio eo deprehensus nefandissima passus es? Aut nō igitur silebitis, quū huiusmodi dedecorum uobis sitis cōscij? Atqui non sum meæ ipsius uxoris leno, Cleodemus inquit, quemadmodū tu, neq; discipuli diuersantis apud me uiaticū sustuli, qd is depoſuerat, eoq; facto rapuisse me p Palladem deierās abnegantis neq; quaternis drachmis fœnero, neq; discipulos obtorto collo in uincula duco, nisi in tempore mercedem ploluerint. Verum illud inqt Zenothemis, haud quaq; possis infitias ire, te Critoni uenenū quo patrem necaret, misisse. Atq; interea sorte bibebat, quicquid aūt erat in calice reliquum (erat aūt ferme semper uinum) in duos illos profundebat. Porrō conspersus est pariter & Ion, idq; præmiū tulit, quod illis uicinus acquiesceret, alioqui eo malo nō indignus. Hermon igitur demisso ueste merum e capite abstergebat, eos interim qui præsentes erat attestans, quod id genus contumelijs esset affectus. Cleodemus aūt quum non haberet calicem, inuadens primū cōspuebat Zenothemidi, deinde læua cōprehensum à barba, plagam in tempus erat illaturus, ac fenē fortasse necasset, ni Aristænetus dextrā sublatā retinuisset. Is mox trāsiens Zenothemide inter utrumq; medius assedit, ut eo ueluti muro diremti, pacem inter ipsos ageret. Hæc igitur dū gerebantur Philon, equidem uaria meo cū animo uoluebam. Primū illud statim occurrebat, nullū esse operæpretiū, si qs disciplinas perdiscat, ni simul & uitæ rationes, ad id qd est optimū, accōmodet atq; cōponat: quū uidere illos qui uerbis alios antecellerent, cōq; factis ipsis sese ridiculos exhiberēt. Deinde & illud ueniebat in mentem, ne forte uerū esset, qd uulgo plerisq; dictitarent, uidelicet eruditionē à recta ratione bonisq; institutis abducere istos, qui solos libros spectarēt, quiq; sollicitudine curaq; quā illi adferrent, perpetuò tenerent. Quandoquidem quū ibi tā multi præsentes essent philosophi, ne casu quidem ullū erat cernere à peccādo immunem. Verū alij faciebāt turpia, alij dicebāt turpiora. Neq; em iam poterā eorum quæ fiebāt culpam, uino autori imputare: mecum reputās, cuiusmodi essent, quæ Eteemocles, neq; cibo, neq; potu etiamdum gustato, scripserat. Itaq; rerum uices præposteræ atq; inuersæ uidebantur, siquidem uidisses idiotas illos summa cum modestia conuiuiū agentes, neq; uino petulantes, neq; indecore

sese

ſeſe getentes. At ridebant dūtaxat: & iā damnabant eos opinor, quos dudum ſuſpexerāt, ex habitu iudicantes eos alicuius eſſe precij. Contrā ſapientes illi, & in libidinē ferebant, & cōuicijs certabant, & ſupra modum ſeſe potu cibisq; explebant: poſtremo uociferabantur & ad manus uſq; conſerendas rapiebantur. Cæterū admirandus ille Alcidamas, etiam meiebat ſub oculis omnium, nihil reueritus fœminas. Ac mihi quidē, ſi quis hæc quæ in eo cōuiuio gerebantur rectiſſime uoluiſſet conferre, ſimillima uidebātur ijs: quæ de Eride dea poetæ fabulantur: nempe hanc, quod non eſſet ad Pelei nuptias aduocata, malum in medium conuiuiū, abieciſſe, ex quo tam ingens apud Troiam bellum fuerit ortum. Itidem Etœmodes mihi uiſus eſt epiſtola illa, quaſi malo quopiā in mediū proiecta, nō minus malorū, q̄ Ilias habebat, excitaſſe. Neq; enim finem cōtentionis faciebāt Zenothemis ac Cleodemus: q̄q; medius inter utrūq; interceſſerat Ariſtænetus. Age inquit Cleodemus, in præſentiarū quidem ſat eſt: ſi literas neſcire cōuincamini: ſed craſtino die uos ulciſcar, quibus cōueniet modis. Reſponde mihi Zenothemi, uel tu, uel elegantiſſimus iſte Diphilus: qua tādē gratia pecuniæ poſſeſſionem inter indifferētia ponendam eſſe cēſeritis: cū ex omnibus nil aliud ſpectetis, q̄ ut ipſi q̄ plurimū pecuniæ poſſideatis? Atq; ob id cauſæ, ſemper apud diuites hæretis: fœneratis atq; uſuris incumbitis, neq; non mercede docetis? Rurſum quum uoluptatem deteſtemini, atq; hac de cauſa Epicureos in ius uocetis: quum ipſi uoluptatis gratia, turpiſſima tum facitis, tum patimini: indigne ferentes ſi quis uos non uocarit ad cœnam, rurſum ſi uocemini, non ſat eſt tantum uotare ut cibo turgeatis, niſi & famulis tantum donetis. Atq; hæc quum diceret: pariter & linteum reuellere conatus eſt, quod Zenothemidis puer tenebat: omni carnium genere refertum, planeq; futurum erat, ut apertum illud ac ſolutum medium in ſolum abijceret, niſi quia puer non omittebat è manibus gnauiter aduerſus trahentē retinens. Hic Hermon: Euge Cleodeme, reſpōdeāt qua gratia damnēt uoluptatem: quum ipſi ſupra cæteros omneis ſtudeant uoluptati? Quin magis, inquit Zenothemis, tu Cleodeme reſpondeto, quāobrem diuitias inter indifferentia numeres. Imò tu potius. Atq; hunc ad modum diutius eſt altercatum: donec Ion capite tandem in apertum prolato, deſiſtite inquit: Ego ſi libet ſermonum argumenta proponam in medium, conuiuio nuptijſq; digna. Vos porrò citra contentionem uiciſſim, & dicite & auſcultate: quēadmodum & apud Platonem noſtrū, alternis dicendi uicibus res, ut plurimum agitatur. Id dictum probabant, quum omnes qui aderant, tum in primis Ariſtænetus atq; Eucritus, nimirum in ſpem erecti, fore ut eo pacto ab odioſis illis con-

tentionibus discedi posset. Et Aristænetus priorem in locum sese recepit, iam partam esse pacem ratus. Iamq; nobis inferebatur ea conuiuij pars, absolutam cœnam uocant, singulæ singulis aues, carnes apru-gnæ, pulpa leporina, piscis Tagenicus, placentæ, beuiter illa, quæcunq; liberum est, seu uelis in aluũ condere: seu domum asportare malis. Apponebatur igitur, non sua cuiq; quadrula, uerum Aristæneto atq; Eucrito, eadẽ in parte mensæ, una ambobus comunis, ita ut de sua utriq; parte quæ se spectaret, esset edendũ, aut tollendum. Deinde altera Zenothemidi Stoico, & Hermoni Epicureo, & his item inter ipsos communis. Deinceps Cleodemo atq; Ioni. Post hos spõso ac mihi. Porrò Diphilo duorum pars apposita, propterea quod Zeno iam discesserat. Hæc facito Philon, uti memoria teneas. Nam paulo post, ad intellectum narrationis erunt usui. PHI. Meminero sane. LVCIA. Tum Ion, primus igit exordiar inquit, si quidem uidetur. Deinde ubi pauliper interfluisset, Conueniebat, inquit, fortassis, ut apud eiusmodi uiros de ideis, atq; incorporeis substantijs, deq; animi immortalitate sermo haberetur, uerũ ne mihi contradicant, ñ qui diuersam philosophiæ sectam sequuntur, de nuptijs dicam, ea quæ cogruunt. Atq; illud quidem optimum fuerat futurũ, si nuptijs opus non haberemus, sed Platonis ac Socratis dogma sequuti a fœminarum commercio nos penitus abdicaremus. Etenim qui ita fecissent: ñ demum ad absolutam illã uirtutem pertingere potuissent. Quod si uiris omnino ducendæ sint uxores, ut eas iuxta Platonicam sententiam inter se communes habeant, uidelicet quo Zelotypia uacemus. Hæc quum essent risu excepta, ut quæ nimis intempestiue dicerentur, tum Dionysodorus, non tu desines, inquit, barbarica ista nobis occinere? Nam ubi zelotypiam istam reperias, aut apud quem? At tu etiam hiscere audes, inquit, sterquilinium? Ad Hæc Dionysodorus, opinor, iam erat conuicia quæ conueniebat regesturus, uerum grãmaticus Istiæus uir optimus ille, Desinite inquit, Ego uobis epithalamion recitabo, simulq; cœpit legere. Erant autem Eleagiaci uersus hi, si satis memini.

Nuper Aristaineti in ædibus unica summo
Nutrita est studio diua Cleanthis hera.
Virginibus cunctis reliquis præstantior una
Vel potior Phœbe, uel potior Venere.
Salue & tu iuuenum ualidissime sponse ualentum:
Nereo prior, ac fortior Aeacida.
At rursum uobis hoc carmen sæpius olim,
Commune ambobus coniugiale canam.

Hæc ita ut est cõsentaneũ, risus est cõsecutus. Reliquũ erat, ut cibi tollentur

Iamq; tollebāt Aristæneτus,atq; Eucritus ex his quæ sibi fuerāt ppo / sita suam uterq; partem. Tum ego quæ mihi,& Chereas item quæ sibi erāt proposita. Eūdem ad modū Ion & Cleodemus. Porrò Diphilus etiam Zenonis digressi partem tollere parabat: affirmans uni sibi ea fuisse proposita :atq; hac de causa cum ministris dimicabat,ac uicissim inter sese trahebant manibus utrinq; in auem iniectis: nō aliter q̄ Patrocli cadauer hinc atq; hinc attrahere conātes. Postremo uicit ille,atq; abstulit:plurimum interim risum præbēs cōuiuis:maxime quum eam ob rem postea grauiter stomacharet :perinde quasi atroci affectus iniuria. Iam uero Zenothemis atq; Hermon, qui pariter ut dictum est, accumbebāt:alter superius,puta Zenothemis:alter infra hunc, reliqua quidem,quoniā æqualia fuerāt appositā,citra pugnam sustulerāt. Cæterum auis:quæ iacebat ad Hermonis partem : erat altera paulo pinguior:idq; ita casu euenerat,opinor. Iamq; suā utercq; sublaturus erat, ibi Zenothemis(sed tu mihi nūc q̄ maxime fac animum aduertas, iā em̄ ad ipsum negocij caput puenimus)Zenothemis inquā: omissa ea quæ sese spectabat,eā quæ ante Hermonem iacebat tollere est aggressus:quæ quidem(uti iam diximus)erat pinguiuscula. At ille cōtra nitēs retinebat,haud sinens,ut ea in re potiores ferret. Inter hæc clamore coorto utriq; in alterū irruentes ipsis auibus facies mutuò cædebant : ac barbis inuicē prehensis auxilio aduocabant:hic quidem Cleodemum: puta Hermon,ille uero,nēpe Zenothemis,Alcidamātem ac Diphilū. At cæteri quidem ad partes accesserūt, partim huius,partim illius:præter unum Ionē,qui sese neutrum atq; ancipitem seruabat. Cæterum illi inuicem cōserti pugnabāt. Ac Zenothemis quidē scyphū è mēsa sublatum,eum qui coram Aristæneto stabat,abiecit in Hermonem.

Atq; hunc haud tetigit,alio sed flexus aberrat.

Verū spōsi caput dissecuit:alto grauissimóq; uulnere. Itaq; mulierum coorta uociferatio, quæ mediū in prælium insiliebāt:cum primis autē adulescentuli mater:quū iam sanguinē eius aspexisset,præterea & spōsa metu territa, pslijt. Inter hæc Alcidamas,strennuū uirum præstitit, quum Zenothemidi ferret opē, & illiso suo baculo, Cleodemi quidē caluariā,Hermonis uero maxillam cōminuit:ad hæc è famulis aliquot opitulari parantes uulnerauit. Quanēq; illi nihil his rebus territi cessêrunt: Verum Cleodemus intentato digito Zenothemidi oculum effodit: tum admotus narem mordicus auulsit. Porrò Hermon Diphilum Zenothemidi suppetias ferre conatum:è sponda in terram præcipitem dedit. Sauciatus est & Istiæus grammaticus,dum interuentu suo eos studet dirimere: calce uidelicet in dentes illius illiso: idq; à Cleodemo, quum hunc Diphilum esse credidisset: non Istiæum. Iacebat

cebat igitur miser ille iuxta suum ipsius Homerū: Sanguinem ab ore uomens. Præterea tumultus atq; lachrymarum plena undiq; erant omnia: dum & mulieres eiularent Chereæ sponso circumfusæ, dumq; alij has studerent compescere. Porrò maxima malorum omnium pars erat Alcidamas, postea q̄ semel ad suū rediisset ingeniū feriēs, quicūq; sorte in ipsum incidisset. Neq; uero pauci in eo prælio cecidissent scito, ni baculum is fregisset. Ego porrò iuxta parietem erectus assistens, spectabā omnia, neq; me ei negocio admiscebā, nimirum Istiæi iam doctus exēplo q̄ esset periculosum eiusmodi cōflictus uelle dirimere. Lapithas itaq; Centaurosq; uidisses, euerti mensas, effundi sanguinē, pici scyphos. Demū Alcidamas subuersa lucerna magnas induxit tenebras. Iamq; res ut est cōiectu facile, atrocior etiā multo esse coepit, præsertim quum haud esset prodiue, luminis copiam alicūde recuperare, sed multa interim ac sæua patrata sunt in tenebris. Post ubi accederet, nescio qs lucernā tandem adportās, Alcidamas quidē repertus est tibicinæ uestē sustollēs, uiq; cū illa cōgredi pugnās. Dionysodorus aūt in alio quodā ridiculo facinore deprehēsus est. Nā ut surrexerat, scyphus è sinu illius elapsus in solū decidit, postea excusans aiebat, Ionem in tumultu calidem sublatū sibi tradidisse, ne periret. Id ita factū. Ion admodū sollicite quasi patronum agēs assueverabat. His rebus dimissum est cōuiuium, à lachrymis denuo in ridiculū exitum cōuersum, idq; Alcidamātis, Dionysodori, atq; Ionis gratia. Porrò q erāt saucij, sublati sarcinæ ritu, foras deportabant miseris affecti modis, maxime senex ille Zenothemis, patiter tū oculo tum nare mutilatus, enecari se præ cruciatu damitās: adeo ut Hermon, quanq; ne ipse quidē expers malorum, nā huic duo dentes fuerāt excussi, palàm attestaret. Memineris inquiēs ò Zenothemis, ne posthac dolorem in medijs habendū ducas. At Sponsus iā uulnere à Dionico curato, domū reuectus est falcijs reuincto capite, eidē impositus uehiculo quo spōsam fuerat abducturus. Atq; ita miser ille nuptias acerbas celebrarat. Deinde & alijs item Dionicus p sua uirili remediū adhibuerat. Postremo postq; iā dormierant, asportati sunt, pleriq; medijs in uijs uomētes. Cæterum Alcidamas inibi remanebat. Neq; em̄ ualebāt hominē extrudere, posteaq; semel sese in spondā abiecerat, atq; ibi transuersus accubuisset. Hic erat ò bone Philon, eius exitus conuiuij, de quo rectissime illud dici possit, quod in fine Tragœdiarum nōnunq; accingitur.

Sunt fortunæ uarij casus. Plurima quæ haud speraueris unq;
Ea conficiunt numina diuûm. Rursum quæ certò speraris,
Ea frustratò non contingunt.

Siquidem & hæc planè præter expectationem atq; inopinatò exierūt.

Præterea

Præterea & illud iam didici non esse tutum, cui non sit opus, cum eiusmodi philosophis agitare conuiuium.

LVCIANICI CONVIVII SIVE LAPITHAE. DES. ERAS. ROTEROD. INTERP. FINIS.

LVCIANVS DE ASTROLOGIA, DES. ERAS. ROT. INTERP.

DE cœlo, déq; astris est nobis institutus sermo. Non de ipsis quidē astris, neq; ipso de cœlo, uerū de diuinatione ac ueritate, quæ ab illis in hominum uitā proficiscitur. Neq; rursum mihi libellus hic se traditurū aut docturum profitetur, quo pacto diuinationem hāc assequi liceat. Sed illud queror, doctos omneis cū in cæteris omnibus exerceāt sese, suísq; omnibus tradant, solam Astrologiam nec habere in precio, nec exercere. Atqui hoc doctrinæ genus uetustum est, neq; nuper ad nos peruenit, sed inuentum est priscorum regum, quos Dij amabant. At huius ætatis mortales nō solum insciti a socordiáq;, uerūetiam odio laboris, diuersa ab illis sentiūt. Cumq; forte inciderint in eos, qui falsa prædicunt, tū & astra culpant, & ipsam Astrologiā habent exosam, neq; salutarē eam, neq; ueridicā arbitrātes. Sed artē magis falsam atq; inanē, haud recte, sicuti mihi qdē uidet, sentiētes. Neq; enim ob imperitiā fabri, ars ipsa culpatur, neq; ob cantoris insciti ā, ipsa musica parū est erudita: quin illi potius artiū sunt ignari. Cæterū ars unaquæq; suapte natura scita est. Primū igitur Aethiopes hāc rationē mortalibus tradiderūt. In causa fuit partim gētis eius sapiētia. Nā cæteris quoq; in rebus Aethiopes reliqs hoies antecellūt sapiētia. Partim regionis quā incolūt opportunitas, propterea qd apud eos perpetua sit cœli serenitas, trāquillitasq;, neq; patiuntur anni mutationes, sed eadē tēperie uiuunt. Itaq; cum primū uiderēt lunam nō semper eodē uultu apparentem, sed uaria subinde specie, & in aliā atq; aliam uerti formā, uisa est illis ea res admiratione atq; disquisitione digna. Deinde cū inquisissent, reppererunt hanc esse earū rerum causam, q; lunæ nō esset lumen propriū, sed à sole mutuatū. Inuenerūt aūt & reliquarū stellarū motus, harū quas nos errones appellamus, nā stellarum hæ solæ mouent, naturamq; earum ac potestatē, & effectus, quos unaquæq; præstet nominibus quoq; inditis, nō illis quidē utcūq; usum est, confictis: sed quæ notæ rerū essent. Hæc igitur in cœlo perspexerunt Aethiopes, mox Aegyptijs finitimis artem imperfectā tradiderūt. Porrò Aegyptij diuinādi rationem, quā ab illis dimidiatā acceperāt, in maius puexerunt, quippe q mensurā etiā, ad quā unaquæq;

stella

ſtella moueretur,indicarint. Ad hæc annorum,menſium, horarumq; numerũ inſtituerunt. Ac menſes quidem illi luna metiuntur, atq; eius recurſu finiunt. Annum uero ſole, & huius circuitu metiũtur. Quin his etiam maiora oſtenderunt. Nam ex uniuerſo cælo reliquisq; ſtellis, & errantibus & fixis,neq; ſimul cum cæteris ſeſe mouentibus, duodecim partes effecerunt in his quæ mouentur, & unamquãq; ſuis animantibus repræſentarunt, partim marinis,partim homine, partim feris,partim uolatilibus, partim pecudibus. Vnde & ſacra Aegyptiorum uarie fiunt. Neq; enim omnes Aegyptij,ex omnibus duodecim partibus diuinabant. Sed alij alijs utebantur partibus. Itaq; arietem colunt, qui ad arietem ſpectabant: piſcibus non ueſcuntur,qui piſces annotarant. Nec hircum mactant, qui Capricornum uiderant, atq; alij item alia uenerabantur, quæ quiſq; inuenerat. Quin taurum etiam ob honorẽ cœleſtis tauri colunt. Nam Apis apud illos,res in primis ſacra. regionem ſortitus eſt,& qui eã incolunt partem ,oraculum quoq; dicarunt, ſignum uidelicet diuinationis, quã à cœleſte tauro petunt. Ac nõ multo poſt Libyes quoq; artem hanc ſunt aggreſſi. Siquidem & oraculum quod eſt apud illos Ammonis ,ad cœlum , & huius ſcientiam refertur, iuxta Ammonem,quem illi arietis ſpecie fingunt. Calluerunt autem hæc omnia & Babylonij, atq; hi quidem affirmant ſe primos omniũ fuiſſe. Verum ut ego exiſtimo,multo poſterius ad hos ſcientia peruenit. At uero Græci nec ab Aethiopibus,nec Aegyptijs de Aſtrologia quicq; audierunt. Verum illis Orpheus Oeagro Callipeq; prognatus,primus iſta monſtrauit,non ille quidem admodum dilucide, neq; rem clare docuit,ſed præſtigijs ac myſticis inuolucriſ obtexit. Sic enim illi uiſum eſt. Nam concinnata lyra,Orgia inſtituit, ſacrasq; cantiones decantabat, Porrò lyra cum ſeptem haberet chordas concentum mobilium ſtellarum repræſentabat. Hæc cõquirens atq; hæc agitãs Orpheus, omnia delinebat, omniaq; uincebat. Neq; enim illam hominis lyram ſpectabant, neq; illi alterius muſices ſtudium erat, uerũ hæc magna illa Orphei lyra. Hiſce rebus cum Græci honorem habere uellent, locum illi in ipſo cœlo deſignarunt,& compluſculæ ſtellæ uocantur Orphei lyra. Quod ſi quando Orpheum uideris uel ſaxo expreſſum,uel coloribus effictum,ſedet in medio,canenti ſimilis,manibus tenens lyram. Circum hunc animãtium innumera multitudo,inter quæ & homo & taurus & leo. Cũq; horum ſingula uideris ,ſac horum mihi memineris,cuiuſmodi ſit illius cantus ,cuiuſmodi lyra. Cuiuſmodi taurus & cuiuſmodi leo Orpheũ audiant. Quod ſi eorũ quæ dico,cauſas intelligas,tum & in cœlo harũ unumquodq; contẽplator. Fertur autẽ & Tireſia genere Bœotius,diuinãdi gloria multum celebris fuiſſe. Hũc

Tireſiam

Tireſiã ex Græcis aiunt dixiſſe, ſtellarum erraticarũ alias eſſe fœminas, alias mares, non tamen eadem efficere. Vnde eundem ancipiti quoq; ſexu fuiſſe fabulantur, aliquando fœminam, aliquando marem. Porrò Atreo & Thyeſte de regno paterno decertantibus, iam tum maximam Aſtrologiæ, cœleſtiſq; doctrinæ curã fuiſſe Græcis, palàm eſt. Ac publico conſenſu ſtatuerũt Argiui, ut uter ſcientia præcelleret, is imperio potiretur. Ibi Thyeſtes arierem illis in cœlo demonſtrauit, atque hinc aureum arietem Thyeſtæ fuiſſe proditum eſt fabulis. At Atreus de ſole, déq; uario illius exortu locutus eſt, oſtendens non eodem modo ferri ſolem & mundum, ſed contrario inter ſe curſu rapi. Et qui nunc uidetur occaſus, cum ſit occaſus mundi, ſolis exortum eſſe. Hæc locutũ, Argiui regem crearunt, magnamq; doctrinæ laudẽ eſt aſſecutus. Equidem & de Bellerophonte ſimilia ſentio. Nam alatum equum illi fuiſſe, non admodum credo. Verum arbitror illum hanc diſciplinam ſectantem, ſublimiáq; cogitantem, & inter aſtra uerſantem, in cœlũ non equo aſcendiſſe, ſed animo. Eadem de Phryxo Athamãtis filio dixerim, quẽ aureo ariete per aërem uectum fabulantur. Quin & ipſum ſane Dædalum Athenienſem, etiam ſi res eſt noua auditu, tamen haud exiſtimo eum ab Aſtrologia fuiſſe alienum. Sed cum ipſe ea maxime eſt uſus, tum filium ſuum eandem perdocuit. Aſt Icarus cum iuuentutis cálore & inſcitia, non ea diſquireret, quæ cõueniebant, ſed ad ipſum uſq; polũ animo tolleretur, delapſus eſt à uero, totáq; aberrauit arte, & in mare præceps decidit rerum immenſæ profunditatis. De quo Græci ſecus fabulantur, qui ex huius nomine ſinum eius maris Icarium fruſtra uocant. Fieri poteſt, ut Paſiphaë quoque cum ex Dædalo de Tauro audiſſet inter ſtellas apparente, decq; ipſa Aſtrologia, in artis amorem inciderit, ob id exiſtimant factum, ut Dædalus illam tauro copularit. Sũt autem qui ſciẽtiam in portiones partiti in ſingulis partibus ſinguli elaborarint, alíj in ijs quæ ad lunam, alíj quæ ad Iouem, alíj quæ ad ſolem pertinent cõgerentes, neque non curſum, ac motum & uim illorũ. Atq; Endymion lunæ rationem tradidit. Phaëton ſolis curſum deprehẽdit, non ille quidem uere, ſed moriẽs imperfectam artem reliquit. Hæc quí ignorant, Phaëtontem ſolis filium credũt, fabulamq; de illo haudquaquàm ueram narrant, adíſſe Solem patrem, ac poſtulaſſe ab eo, ut ſibi liceret lucis currum moderari, illum id conceſſiſſe, monuiſſeq; qua ratione foret aurigandum, Phaëtontem uero conſcenſo curru, partim ob ætatem, partim ob imperitiam ita egiſſe, ut aliquando eſſet uicinus terræ, aliquando longo ſemotus ſpacio à terra, interim mortales frigus atque æſtus intolerabilis conficiebat. Ob hæc indignatum Iouem ingen

ti fulminis telo percussisse Phaëtontem. Eum deiectum sorores circum stantes magno luctu prosequebantur, donec immutarent formas, quæ nunc sunt Populi, ac lachrymarum uice, quibus fratrem deplorabant, electrum destillant. Haudquaq; hæc ita gesta sunt, neq; pium est his habere fidē, neq; Soli fuit filius, neq; illi filius interijt. Sed narrāt Græci & alia permulta fabulosa, quibus ego non admodū credo. Nam qui consentaneum est credere Aeneam Veneris fuisse filiū, aut Minoa Iouis, aut Ascalaphum Martis, aut Autolycum Mercurij? Verum hi homines pij Dijsq; grati fuerunt, eosq; nascentes, hunc Venus, illum Iuppiter, alium respiciebat Mars. Etenim qui patresfamiliâs sunt mortalibus, in hoc progignendi genere, ij ueluti parentes sibi similia producūt omnia, & colorem, & formam, & facta, & animum. At rex quidem Minos Iouis auspicijs, Aeneas formosus Veneris fauore natus est. Fur Autolycus. At ea furacitas illi ex Mercurio contigit. Iam uero nec Saturnum Iupiter coniecit in uincula, nec in tartara præcipitem dedit, neque cætera machinatus est, quæ putant homines. Verum Saturnus extremus mouetur, procul q; à nobis semotus est. Segnis illi motus, neq; facilis animaduersu mortalibus, atq; hanc ob causam illū stare dicunt. ceu uinculis alligatum. Cæterum ingens aëris altitudo tartarus appellatur. Sed potissimum ex Homeri poëtæ Hesiodiq; carminibus liceat intelligere priscorum fabulas cum Astrologia consentire. Siquidem ubi Iouis catenam narrat, ac Solis iacula, quæ quidem ego radiorum ictus esse conijcio, tū urbes quas in clypeo finxerat Vulcanus, præterea choream, & uineam, ad hæc quæcunq; de Veneris ac Martis adulterio dixit, deq; detectione, haud aliunde, quàm ex hac scientia sunt conficta. Quandoquidem Veneris & Martis cōcursus, Homericæ cantilenæ præbet argumentum, in alijs autem uersibus utriusq; diuersum effectum descripsit, Veneris, cum ait illi.

Tute Venus iucunda magis connubia cura.

Porrò de belli negocijs,

Cuncta cito hæc curæ fuerint Marti atq; Mineruæ.

Hæc cum intelligerent ueteres illi, maxime diuinationibus utebantur, nec eam ociosam esse putabant, adeo ut nec urbes conderent, neq; mœnia circumducerent, neq; quenq; occiderent, neque ducerent uxores, priusq; de singulis à uate responsum accepissent. Denicq; nec ipsa deorum oracula, ab arte astrologica erant aliena. Verum apud Delphos uirgo prædicendi munus administrat, quæ cœlestem illā uirginem repræsentat, ac Draco sub tripode uocem ædit, quoniam & inter stellas Draco conspicitur, in Didymis uero templum est Apollinis, & hoc, sicuti mihi

uidetur

uidetur,ex his Didymis,id est,geminis,qui cœlo sunt,appellatum. Vsq; adeo uero diuinatio uisa est illis res sacra,ut Vlysses etiam cum errando fessus uellet certo de rebus suis cognoscere,ad inferos penetrarit, nō quo uideret umbras & locum inamœnū,sed quod cuperet cū Tiresia colloqui. Qui simul atq; in locum peruenerat,quem Circe monstrarat, foueam fodit,oues mactauit,cumque complures essent umbræ, atque inter has,matris quoque sanguinem bibere cupientes,nō prius ille permisit ulli,ne matri quidem,quàm Tiresia gustasset,coactusque esset sibi uaticinium ædere,potuitq; interim matris umbram uidere sitiētem. ad hæc Lycurgus Lacedæmonijs omnem reip.administrationem è cœlo temperabat,ac legem illis dedit,ne quando in bellum prodirent,ante plenilunium. Non enim existimabant eandem esse ciuitatis administrationem,crescente luna & euanescēte,propterea quod omnia ab illa regerentur. Porrò Arcades soli hæc non receperūt,nec in precio habuerunt Astrologiam,sed ijdem ob imperitiam & stultitiam aiunt se luna antiquiores esse. Proinde cum nostri maiores usq; adeo fuerint Astrologiæ studiosi,huius ætatis homines partim aiunt fieri nō posse, ut homines finem inueniant diuinandi scientiæ,propterea quod neque certa sit,neque uera,neque Martem aut Iouem nostra causa moueri in cœlo,uerum illis humanarum rerum nullam esse curam,neque quicquàm esse eis cum his negocijs,cōmercij, uerum secundum hos necessitate circumaguntur,partim dicunt Astrologiam non esse quidem mendacem,at inutilem. Non enim mutari uaticinio quæcunque fatis decreta instant. At ego sanè utrisq; respondere possum,stellas in cœlo suo quidem motu uolui,cæterum obiter eius motus effectum ad nos peruenire. An uis equo currente,& gallinis aut hominibus tumultuantibus,lapides subsilire, stipulasque moueri uentis cursu concitatis,syderū uero uertigine nihil præterea effici,tum ab igni exiguo calor ad nos permanat,neque nostra tamen causa quicquam erit ignis, neque illi curæ est æstus noster,ab astris autem nihil ad nos defluit. At sanè fieri non potest,ut per Astrologiam ex malis bona faciamus,neque mutare quicq; earum rerum,quæ ab illis ad nos demanant. Sed hanc utilitatē ars adfert utentibus. Bona multo ante delectat eos,qui uentura præsciérint, mala uero facile cum imprudentibus uenerint,accipiuntur. Neq; enim in illos irruunt,sed quia meditata expectataq; sunt,leuia mitiaq; uidētur. Hæc mea est de Astrologia sententia.

LVCIANI DE ASTROLOGIA, DES. ERAS. ROTERODAMO INTERPRETE FINIS.

ORNATISSIMO DO

CTISSIMOQVE VIRO, THOMAE RVTHALO RE GIO APVD ANGLOS SECRETARIO,

THOMAS MORVS S. P. D.

I QVISQVAM fuit unq̃ uir doctiſſime, q̃ Horatianum præceptum impleuerit, uoluptatemque cum utilitate cõiunxerit, hoc ego certe Lucianũ in primis puto præſtitiſſe. Qui & ſupercilioſis abſtinens Philoſophorũ præceptis,& ſolutioribus Poëtarum luſibus, honeſtiſſimis ſimul & facetiſſimis ſalibus, uitia ubiq̃ notat atq̃ infectatur mortalium. Idq̃ facit tanq̃ ſcite,tantaq̃ cũ fruge,ut quum nemo altius pungat, nemo tamen ſit,qui non æquo animo illius aculeos admittat. Quod quum nunc̃ non egregie faciat,feciſſe tamen mihi ſingulari quodam modo uidetur in tribus his Dialogis,quos ob idipſum è tanto feſtiuiſſimorũ numero potiſſimum delegi,quos uerterem, alijs tamen alios fortaſſe longe præferendis. Nam ut è uirginibus non eandem omnes, ſed alius aliam,pro ſuo cuiuſq̃ animo præfert,deamatq̃; non quam præcipuã tuto poſſit afferere,ſed quæ ſibi uideatur,ita è lepidiſſimis Luciani dialogis,alius alium præoptat, mihi certe iſti præcipue placuerunt, neque temere tamen(uti ſpero)neq̃ ſoli. Nam ut à breuiſſimo incipiã,qui Cynicus inſcribitur,quiq̃ poſſe uideatur ipſa breuitate contemni,niſi nos Horatius admoneret,ſæpe etiam in exiguo corpore uires eſſe præſtantiores,ipſiſq̃ minimas etiam gemmas eſſe uideremus in precio. In eius ergo delectu honorifico calculo mecum ſuffragatus eſt diuus Ioannes Chryſoſtomus,uir acerrimi iudicij,doctorum fermè omnium Chriſtianiſſimus,& Chriſtianorum(ut ego certe puto)doctiſſimus,quem uſq̃ adeo Dialogus hic delectabat,ut bonã eius partẽ in Homiliã quãdam quã in Ioannis euangelium cõmentatus eſt, inſeruit. Neq̃ id immerito. Quid enim placere uiro graui,uereq̃ Chriſtiano debuit,q̃ is dialogus,in quo dum aſpera,paruiſq̃ cõtenta Cynicorum uita defenditur, mollis,atque enneruata delicatorũ hominũ luxuria reprehenditur? Nec non eadẽ opera, Chriſtianæ uitæ ſimplicitas,temperãtia,frugalitas,denic̃ arcta illa atq̃ anguſta uita,quæ ducit ad uitam,laudatur. Iam Necromantia(nam hic ſecũdo dialogo titulus eſt)nõ ſatis auſpicato uocabulo,ſed materia tamen felicitſſima,q̃ falſe taxat,uel Magorum præſtigias,uel inania Poëtarũ figmẽta, uel incertas quauis de re philoſophorũ inter

rum interſe digladiationes. Supereſt Philopſeudes, qui nō ſine Socratica ironia, totus uerſatur (id quod titulus ipſe declarat) in ridenda, coarguendaq; mentiendi libidine, dialogus neſcio certe lepidiór ne, an utilior. In quo non ualde me mouet, quod eius animi fuiſſe uidetur, ut nō ſatis immortalitati ſuæ confideret, atq; in eo fuiſſe errore, quo Democritus, Lucretius, Plinius, plurimiq; itidem alij. Quid enim mea refert quid ſentiat his de rebus ethnicus, quæ in præcipuis habent fidei Chriſtianæ myſterijs? Hunc certe fructū nobis afferet iſte dialogus, ut neq; magicis habeamus præſtigijs fidem, & ſuperſtitiōe careamus, quæ paſſim ſub ſpecie religionis obrepit, tum uitam ut agamus minus anxiam, minus uidelicet expaueſcentes triſtia quæpiam ac ſuperſtitioſa mendacia, quæ plerunq; tanta cum fide atq; autoritate narrantur, ut beatiſſimo etiam patri Auguſtino, uiro grauiſſimo, hoſtiq; mendaciorū acerrimo, neſcio quiſnam ueterator perſuaſerit, ut fabulam illā de duobus Spurinis, altero in uitam redeūte, altero decedēte, tanq; tem ſuo ipſius tēpore geſtam pro uera narraret, quam Lucianus in hoc dialogo, mutatis tantum nominibus, tot annis anteq; Auguſtinus naſceretur, irriſit. Quo minus mireris, ſi pinguioris uulgi mentes ſuis figmentis afficiant ij, qui ſe tum demum rem magnam confeciſſe putant, Chriſtumq; ſibi deuinxiſſe perpetuo, ſi cōmenti fuerint, aut de ſancto aliquo uiro fabulam, aut de inferis tragœdiam, ad quam uetula quæpiam aut delira lachrymetur, aut pauida inhorreſcat. Itaq; nullā ferè martyris, nullam uirginis uitam prætermiſerunt, in quam non aliquid huiuſmodi mendaciorum inſeruerint, pie ſcilicet, alioqui enim periculum erat, ne ueritas non poſſet ſibi ipſa ſufficere, niſi fulciretur mendacijs. Nec ueriti ſunt eam religionem contaminare figmentis, quam ipſa ueritas inſtituit, & in nuda uoluit ueritate conſiſtere, nec uiderunt uſq; adeo nihil iſtiuſmodi fabulas conducere, ut nihil pernicioſius officiat. Nempe (ut memoratus pater Auguſtinus teſtatur) ubi admixtū ſubolet mendacium, ueritatis ilico minuitur ac labefactatur autoritas. Vnde ſæpe mihi ſuſpicio ſuboritur, magnam huiuſmodi fabularum partem à uafris ac peſſimis quibuſdam nebulonibus, hæreticisq; cōfictam, quibus ſtudium fuit, partim ex incauta, ſimplicium potius, quàm prudentium credulitate, uoluptatem capere, partim fabularum fictarum cōmercio, fidem ueris Chriſtianorum hiſtorijs adimere, quippe qui frequenter quædam his quæ in ſacra ſcriptura continentur, tam uicina confingunt, ut facile ſe declarent, adludendo luſiſſe. Quamobrem quas ſcriptura nobis hiſtorias diuinitus inſpirata cōmendat, eis indubitata fides habenda eſt. Cæteras uero ad Chriſti doctrinam, tanq; ad Critolai regulam, applicantes caute & cum iudicio, aut recipiamus, aut reſpuamus, ſi carere uo

lumus,& inani fiducia,& superstitiosa formidine. Sed quò progredior? epistola fere iam librum superat: nec interim tamen uerbum de tuis laudibus ullum, in quas alius fortasse totus incubuisset: quarumq; citra ullam adulandi suspicionem uberrimam mihi materiam præbuissent (ut cæteras uirtutes tuas omittã) uel egregia doctrina tua, summáq; in rebus agendis prudentia: quam tot in diuersis nationibus, in tam arduis negocijs, tam feliciter actæ legationes declarant: uel singularis fides, grauitasq;: quam nisi satis perspectam, exploratamq; haberet, nuncq; te prudentissimus princeps sibi à secretis esse uoluisset. Sed cæteratũ uirtutum tuarum prædicationi unica modestia tua reluctatur: quæ facit, ut quum laudãda tam libenter facias: feciſſe te tamen non libenter audias. Parco igitur pudori tuo: hoc unum duntaxat abs te precatus: ut has in græcis literis studij mei primitias æquo animo suscipias, sinasq; ut qualecũq; apud te sint amoris, officijq; in te mei monumentũ, quas tibi sim ausus eo maiori fiducia cõmittere, quod &si tam acre tibi iudicium sit, ut quicquid erratum fuerit, nemo penetrantius uideat: is tamẽ est ingenij tui candor, ut nemo libentius conniueat. Vale.

LVCIANI CYNICVS, THOMA MORO INTERPRETE.

Personæ, LVCIANVS ET CYNICVS.

LVCIANVS.

VID TV tandem? barbam quidem habes, & comã, tunicam non habes, nudusq; conspiceris, ac sine calceis, delecta nimirum uaga, inhumanáq; ac ferali uita, tum proprio corpore contra quàm faciunt cæteri, semper usus incõmode, nunc huc, nunc illuc circumis, in arido præterea solo cubans, adeo ut plurimũ etiam sordium, tritum isthoc pallium referat, alioqui nec ipsum, uel tenui filo, uel molle uel florulentum. CYNI. Neque enim indigeo, siquid est huiusmodi, ut comparetur facillime, dominóque minimum exhibeat negocij, id inquam mihi sufficit. At tu per Deos dic mihi, putasne esse in luxu uitium? LVCIA. Immò admodum. CYN. Contra in frugalitate uirtutem? LVCIANVS. Admodum. CYNICVS. Cur igitur tandem quũ me uideas uiuentem frugalius quàm uulgo faciunt homines, eos uero sumptuosius, me, non illos arguis? Lucia. Quia non frugalius per Iouem uideris mihi, sed egentius uiuere, immò uitã omnino egenam atque inopem. Nam tu nihil à mendicis differs, qui cibum mendicant

in diem

in diem: CYNICVS. Vis ergo uideamus (quãdoquidem huc processit oratio) quidnam inopia sit, quidq; rursus copia? LVCIA. Si tibi quidẽ ita uidetur. CYNICVS. Nunquid ergo satis id cuiq; est, quicquid ipsius explet necessitatem? an aliud quippiam dicis? LVCIANVS. Esto istud. CYNICVS. Indigentia uero quicquid cuiusquàm usui deest, nec eò quò sit necesse peruenit? LVCIANVS. Scilicet. CYNI. Nihil igitur meis in rebus deest. Nihil enim in his est, quod necessitatem non expleat meam. LVCIA. Quo pacto istud ais? CYNICVS. Scies si consideres in quem usum eorum quodq; paratum est, quorum egemus, ut domus, an non tegumẽti gratia? LVCIANVS. Maxime. CYNI. Quid uestis, cuius gratia? nónne tegumenti etiam ipsa? LVCIANVS. Sanè. CYNI. At ipso per Deos tegumento, cuius rei gratia indiguerimus, nõne ut melius se habeat id quod tegitur? LVCIA. Mihi quidem sic uidetur. CYNI. Vtrum igitur tibi peius se habere hi uidentur pedes? LVCIA. Nescio. CYNI. Atqui hoc pacto didiceris, quodnam pedum officium est? LVCIA. Ingredi. CYNI. An deterius ergo ingredi pedes tibi uidentur mei, quàm aliorum? LVCIA. Istud uero fortasse non. CYNI. At nõ possent, seu sese melius seu deterius haberent, officiũ suũ præstare? LVCIA. fortasse. CYNICVS. Pedibus ergo nihilo peius affectis uideor, quàm alij? LVCIANVS. Non uideris. CYNICVS. Quid corpus uero meum? Num deterius quàm reliquorũ? Nempe si deterius se haberet, esset idem imbecillius, corporis quippe uirtus robur est. An meũ ergo debilius? LVCIANVS. Non uidetur. CYNI. Neque pedes ergo tegumento uidentur egere, neq; reliquũ corpus. Quippe si egerent, male haberent. Egestas etenim omnino mala, ac peius habere se facit, ea quibuscunque adfuerit. At ne ali quidem deterius corpus uidetur meum, quod quibuslibet cibis alitur. LVCIA. Manifestum est id quidem. CYNI. Nam nec uegetum esset, robustumque si aleretur male. Mala siquidem alimenta corpus tabefaciunt. LVCIA. Ista quidem ita se habent. CYNI. Quo pacto igitur, dic mihi, his ita se habentibus, me arguis, uitamque improbas meam, ac miseram prædicas? LVCIANVS. Ideo per Iouem, quod quum natura (quam tu colis) ac superi terram in cõmuni statuerint, ex ea multa nimirũ ac bona ædiderint, ut nobis omnia superessent abunde, non in necessitatem modo: uerũ in uoluptatem quoque, tu tamen horum omnium aut maximæ saltem partis expers es, nec eorum quoquàm frueris nihilo certe magis, quàm feræ. Nempe aquam bibis, quam etiam bibunt feræ: Comedis uero quicquid offenderis, quemadmodum canes, tum cubile nihilo melius canibus habes: quãdoquidem gramen tibi sufficit, quemadmodũ & illis, pallium præterea circũfers nihilo mẽdico decẽtius. Quanq; si tu

his contẽtus recte ſapis,tũ Deus profecto neutiq̃ recte fecit, primum quod oues effecit pingues,deinde uites dulcis uini feraces,ac reliquũ deinde apparatũ uarietate mirabilem,& oleũ & mel & reliqua, omnia ut nos haberemus,edulia quidem omnigena haberemus,potũ dulcẽ haberemus,pecunias haberemus,mollẽ lectũ haberemus. Præterea pulchras domos,ac reliqua demum omnia mirum in modum præparata. Nam & ipſa quoq̃ artium effecta deorum dona ſunt. At uiuere omnibus huiuſce bonis priuatũ,id fuerit profecto miſerũ,etiam ſi ab aliquo quopiam priueris. Quemadmodũ hi qui ſeruantur in uinculis. Longe uero miſerius,ſiquis ipſe ſeſe omnibus bonis priuet. Nam ea demum manifeſta inſania eſt. CYNI. Et recte quidem fortaſſe dicis. Verũ iſtuc dic mihi: Siquis diuite quopiã alacriter atq̃ hũane,quin prolixe quoq̃ exhibente conuiuiũ,tum hoſpites excipiente,& multos ſimul, & omnigenos,alios quidem imbecillos,alios autem robuſtos,deinde apponẽte multa,atq̃ omnigena,ſiquis,inquam,omnia corripiat,omniaq̃ deglutiat,nõ ea tantum quæ uicina ſunt,ſed ea quoq̃ quæ procul abſunt, præparata uidelicet inualidis,ipſe tamen ualens, quum unũ duntaxat uentrem habeat,nec multis ut nutriatur indigeat,diutius tamen quàm alij multi immoretur, hic uir cuiuſmodi tibi uidetur eſſe? probus ne? LVCIA. Non mihi quidem. CYN. Quid uero, num temperans? LVCIA. Ne id quidẽ. CYN. Quid uero ſiquis eiuſdẽ menſæ particeps,multa illa ac uaria negligat,uno quopiam ex his quæ proxime apponuntur,electo,quum ſatis in ſuam habeat neceſſitatem, id decenter edat, eóque ſolo utatur: cætera illa ne reſpiciat quidem,an non hunc temperatiorem & meliorem uirum illo putabis? LVCIA. Ego certe. CYN. Vtrum ergo iam intelligis,an me oportet dicere? LVCIA. Quid nam? CYN. Quod Deus illi quidem pulchre conuiuium inſtrueti ſimilis eſt, ut qui apposuerit multa ac uaria,atq̃ omnigena, uti eſſent quæ cuiq̃ conueniant,alia quippe ualentibus,alia rurſus ægrotantibus, atq̃ alia quidem robuſtis,alia uero inualidis,non ut omnibus utamur omnes, ſed ut his utantur ſinguli,quæ ſuæ cuiuſq̃ naturæ cõueniunt, & ex his ipſis,quacunque re maxime quemq̃ indigere contigerit. At uos illum qui per inſatiabilitatem atque incontinentiam omnia corripit refertis, ut qui rebus uti uelitis omnibus,& undecunque partis,non ſolis cõtenti præſentibus,exiſtimantes propriam quidem neque terram, ne mare ſufficere,ſed importãtes ab ipſis uſq̃ terræ finib? uoluptates, patriiſq̃ rebus peregrina præferẽtes,ſumptuoſaq̃ frugalib?,atq̃ ea quæ difficile cõparantur his quæ ſunt cõparatu facilia. In ſũma denicq̃ moleſtias, malaq̃ potius eligẽtes,quàm abſq̃ moleſtijs uiuere. At iſti quidẽ plurimi

rimi ac precioſi, beatiq; apparatus, quibus exultatis, per magnam ad uos miſeriam, erumnamq; peruenium. Aurum ipſum tam optabile, ſi libet, argentumq; conſidera: domus cõſidera ſumptuoſas, ueſtes operoſas cõſidera: atq; eius generis omnia, quãto negocio emuntur, quot laboribus, periculis: imò ſanguine, ac cæde quantóq; hominũ interitu: non ideo ſolum quod dũ nauigant, propter iſta pereunt conplures: ac dum quærunt, parantq;, grauia perferunt: ſed ob id quoq; quod diglaꝺiationes multas pariunt, quodq; ob ea inſidiantur inuicem & amicis amici, & parentibus liberi, & maritis cõiuges. Sic opinor Eriphylen quoque auri gratia prodidiſſe maritum. Atq; hæc quidem omnia fiunt, quum tamen ueſtes illæ uariæ nihilo magis quicquàm queant calefacere, auratáq; illa ædificia nihilo prorſus magis tegant, nec poçula illa argentea potui quicq; magis conducant. Sed nec aurei illi, nec eburnei itẽ lectuli, ſomnum ſuauiorem præbeant, imò uidebis frequenter in eburneo lecto, ſumptuoſisq; ſtromatibus, beatis illis ſomnum cõtingere nõ poſſe. Præterea omnigenæ illæ circa edulia curæ, nihilo magis alunt, quin tabefaciunt potius corpora, iſdemq; morbos ingenerant. Quid autem dicere attinet, libidinis gratia quantas moleſtias mortales & faciunt, & patiuntur? quanq; facile eſt iſti cupiditati mederi, niſi quis uelit indulgere delitijs. At ne hæc quidem inſania, corruptelaq; ſufficere uidetur mortalibus, ſed iam rerum etiam uſum peruertunt, ſingulis rebus ad id utentes, ad quod minime paratæ ſunt, quẽadmodum lecto ſiquis uti carpenti loco uelit, ac tanq; curru. LVCIA. Quiſnam is eſt? CYN. Vos, inquam, qui hominibus tanq; iumentis utimini. Nam eos iubetis, ut lecticas tanq; currus in ceruicibus ferant. Ipſi uero in ſublimi reſidetis delicati, atq; illinc hoiẽs perinde tanq; aſinos aurigamini, imperantes ut hac, non illac eant, & qui hæc facitis maxime, iſdẽ maxime beati uidemini. Tũ hi qui piſciũ carnibus non tantũ ut alimentis utuntur, uerum tincturas etiam quaſdam ex his machinantur, eos dico, qui purpuram tingunt, nónne & hi præter naturam his utũtur, quæ à deo præparata ſunt? LVCIA. Non per Iouem, ſiquidem tingere etiam poteſt non comedi tantũ purpuræ caro. CYN. At nõ in id tamẽ nata eſt. Nam & cratere quiſpiam, ſi præter naturam detorqueat, ollæ loco poſſet uti, nec in id tamen paratus erat. Sed quo pacto poſſet quiſpiã uniuerſam illorum infelicitatem percurrere, quæ tãta eſt? At tu me quoq; quod nolo eius eſſe particeps, incuſas. Viuo ego tamẽ quẽadmodũ modeſtus ille, his uidelicet dũtaxat, quæ mihi apponunt ueſcens, ac frugaliſſimis utens. Varijs uero illis atq; omnigenis minime inhiãs. Accedin de quũ paucis egeã, ac minime multis utar, ferinã tibi uideor uitã uiuere. At

re. Atqui hac ratione tua Dij, profecto in periculũ ueniũt, ne & ipſi ſint ſe ris etiam deteriores, quippe qui rei nullius indigẽt. Verum ut exactius intelligas, cuiuſmodi horum utrunq; ſit, uel paucis uidelicet egere, uel multis, conſidera quod pluribus egent, primum pueri quàm adulti, deinde mulieres quàm uiri, tum ægroti quàm ualentes, atque omnino, in ſumma, inferiora quælibet præſtantioribus plurium indigent, proinde Dij omnino nullius egent rei, qui uero ad Deos accedunt proxime quàm minimis egent. An Herculem putas omnium hominum præſtãtiſſimum, quippe diuinum uirum, deumque recte creditum miſerum tunc fuiſſe, quum circuiret nudus, pelle duntaxat indutus, harum rerum noſtrarum nihil deſiderans? At ille miſer profecto non erat, quippe qui miſeriam ab alijs propulſabat, neque rurſus pauper, qui terra, mariq; dominabatur. Nempe quocũque intendiſſet impetum, omnes quaquauerſum ſuperabat, nec in quenquàm ſui temporis incidit, qui ſe uel æquarit unquàm, uel uicerit, quoad ex humanis exceſſit. At tu illi ſtromata putas, calceoſque defuiſſe? atque ob id mundum obambulaſſe tantum uirum? Dicendum profecto non eſt. Sed continens erat ac fortis, & moderate uiuere uolebat, non indulgere delitijs. Quid Theſeus eius diſcipulus? An non rex erat Athenienſium omnium, ac filius etiam, ut ferunt, Neptuni, ſua certe tempeſtate fortiſſimus? Attamen ille quoque uoluit ſine calceis eſſe, ac nudus ingredi, barbamque & comam nutrire placuit ei, nec ei tamen ſolum, ſed omnibus etiam ueteribus placuit, nempe meliores erant quàm uos, atque adeo ne ſuſtinuiſſet quidem eorum quiſquàm aliquid huiuſmodi, nihilo profecto magis quàm leo quiſpiam ſeſe tonderi. Siquidem carnis molliciem ac læuorem decere mulieres exiſtimabant, ipſi uero ſicuti erant, ita uideri quoque uiri uolebant, ac barbam quidem cultum uiri ducebant, quemadmodum in equis iubam, in leonibus barbam, quibus deus ſplendoris quandam atque ornamenti uenuſtatem dedit, ſic & uiris barbam adiunxit. Illos igitur ego æmulor, ueteres, inquam, illos imitari uolo, huius uero tempeſtatis homines non æmulor mirabilis huius felicitatis nomine, quam in epulis & ueſtibus habent, dum poliunt ac læuigant ſingulas corporis partes, ac ne ſecretiorum quidem ullam, ita ut inſtituit natura, dimittentes. At mihi certe pedes opto, ut nihil equinis differãt, quales Chironis fuiſſe ferunt. Tũ ut ipſe ſtromatis nõ egeã more leonũ, nec cibo egeam magis exq̃ſito, q̃z canes. Cõtingat præterea mihi, ut terra quæuis mihi p̃ ſe p̃ cubili ſufficiat. Domũ uero ut mundũ hũc exiſtimẽ. Alimẽta demũ ut eã deligam, quæ facillime cõparari poſſint. Aurum uero, argentumq; ne deſiderem unq̃, neq; ego, neq;

neque meorum amicorum quiſquàm. Omnia nanq; mala inter homines ex horum cupiditate naſcuntur, & ſeditiones, & bella, & inſidiæ, & cædes. Hæc omnia fontem habent plus habendi cupidinem. At hæc à nobis abſcedat procul, ne unquàm plus ſatis appetã, minus uero quũ habeam, ferre æquo animo ualeam. Noſtra quidem ita ſe habent. Plurimum profecto à uulgi ſententijs iſta diſſentiunt. Neque quicquàm ergo mirandum eſt, ſi ab his differimus habitu, à quibus tantum differimus inſtituto. Sed te demiror, quonam pacto quum ſuam quandam citharœdo ueſtem tribuas, cultumq;, atq; adeo tibicini ſuum, & tragœdo ſuum, bono uiro cultum, ueſtemque propriam nullã exiſtimas, ſed eandem ei cum uulgo habẽdam cenſes, idq; quum uulgus malum ſit. Quod ſi bonorum cultus proprius debet eſſe ullus, quinam deceat magis quàm hic meus, qui maxime luxurioſis pudendus ſit? quẽq; illi maxime auerſentur? Cultus ergo meus huiuſmodi eſt, ſqualidum eſſe, hirſutum eſſe, tritum pallium indui, comam producere, ac ſine calceis ingredi. Veſter uero Cinædorum ornatui ſimillimus eſt, nec dignoſcere uos quiſquàm ab illis poſſit, neque colore ueſtium, neque mollicie, neque camiſiarum numero, neque lacernis, neque calceis, neq; capillorum cura, neq; odore. Nam & redoletis ut illi, iam præſertim uos qui eſtis feliciſſimi. Et quidem quid facias, quum uir eundem cũ Cinædis odorẽ oleat? Etenim in ferendis laboribus nihil illis præſtatis. Voluptatib9 uero nihilominus quàm illi ſuperamini, eadem comeditis, eodem modo dormitis, atque inceditis, imò uero incedere non uultis, ſed geſtari potius, tanq; ſarcinæ, alij ab hominibus, alij uero à iumentis. At me pedes ipſi geſtant quocunque ſit opus. Egóq; & frigus tolerare ſufficio, & calorẽ pati, eáq; quæ dij obtulerint, minime moleſte ferre, ideo uidelicet, quia miſer ſum. Vos uero propter hanc felicitatem nulla eſtis fortuna contẽti, ſed omnium pœnitet, ac præſentia ferre non poteſtis, abſentia deſideratis, hyeme quidem optantes æſtatem, æſtate rurſus hyemem, atque in calore frigus, in frigore uiciſſim calorem, quemadmodum ægrotantes, moroſi ſemper & queruli, quod in illis quidem facit morbus, in uobis uero mores. Atque hæc ita quum ſint, iam nos in uitã ueſtram traducere æquum cenſetis, noſtramq; corrumpere, quum ſæpe male conſulta ſint, quæ facitis, ipſiq; ſitis in ueſtris ipſorum negocijs minime circumſpecti, nihilq; eorum iudicio ac ratione, ſed conſuetudine cupiditatis faciatis. Quamobrem nihil profecto differtis uos, ab his qui torrente feruntur. Illi quippe quocunque fluxus intenderit, eò rapiuntur, & uos itidem quocunque libidines. At ſimiliter quidem uobiſcum agitur, ut cum quodam qui equum inſanum aſcenderat.

Equus

Equus igitur uirum corripiens abstulit. Hic uero amplius iam desilire equo currente non poterat. Quidam uero quum occurrisset ei, rogauit quónam tenderet? Hic respondit, quocunque huic uidetur, equum demonstrans. Quod si uos quisquàm roget, quò feramini, si uerum uultis dicere, dicetis in uniuersum quidem quocunque uideatur affectibus, sigillatim uero, interdum quocũq; uoluptati, interdum quocunque ambitioni, interdũ rursus quò lucri studio. Quin interdũ ira, interdũ met⁹ interdũ aliud quippiã huiusmodi uos auferre uidet. Neq; enim unũ duntaxat equum uos, sed multos insilientes, nunc hunc, nunc illum, furiosos quidem omnes auehimini. Auferunt ergo uos in barathrum, ac præruptа. Vos tamen priusq; cadatis casuros uos esse nescitis, at hoc de tritum pallium quod uos ridetis comaque habitusq; meus tantam habet uim, ut uitã mihi quietam præbeat, utq; agam quicquid uolo, uerseq; cum quibus uolo. Nempe ex indoctis, atque ineruditis hominibus nemo me adire uoluerit, ob hunc habitum. At molles etiam qui sunt adhuc admodum procul declinant. Congrediuntur uero scitissimi atque modestissimi, & qui uirtutem cupiunt, hi potissimum congrediũtur mecum, horum ego consuetudine delector. Eorum uero fores qui homines uocantur, nõ obseruo, tum coronas aureas ac purpuram pro fastu habeo, atque homines ipsos derideo. At ut cultum hunc intelligas, non bonos modo uiros, sed ipsos etiam deos decere, atque eum deinde, si libet, irrideas, deorum statuas considera, utri uideantur uobis ne, an mihi similiores, neque Græcorum solum, sed barbarorum etiam templa circumspicias, utrũ ipsi dij, ut ego, comati, barbatiq; sunt, an quẽadmodum uos, rasi finguntur atque pinguntur. Quin plurimos etiã sine tunicis cõspicies, ut me nũc esse uides. Quo pacto igit audeas posthac hũc habitũ uitio dare, quũ deos etiã decere uideatur?

DE SORBONNE BIBLIOTHEQUE

LVCIANI CYNICI, THOMA MORO INTERPRETE, FINIS.

MENIPPVS SIVE NECROMANTIA LVCIANI THOMA MORO INTERPRETE. MENIPPVS, PHILONIDES.

MENIPPVS.

SALVE atrium, domusq; uestibulum meæ: Vt te lubens aspicio luci redditus.

PHILO. Num nã hic Menippꝰ est canis ille? Non hercle alius, nisi ego forte ad Menippos omneis hallucinor. At quid sibi uult habitus huius insolẽtia? daua, lyra, leonis exuuiæ? Ad eundus tamen est. Salue Menippe. Vnde nobis aduenisti? diu est quod in urbe non uidimus.

MENIP.

Adsum reuersus mortuorum è latibulis,
Foribusq; tristium tenebrarum nigris:
Manes ubi inferi manent superis procul.

PHILO. O Hercules dam nobis Menippus uita functus est, reuixitq; denuo?

MENIP.

Non, sed me adhuc uiuum recepit tartarus.

PHILO. Quænã causa tibi fuit nouæ huiꝰ atq; incredibilis uiæ? MENI.

Iuuenta me incitauit, atq; audacia:
Quàm pro iuuenta haud paululum impotenior.

PHILO. Siste ó beate Tragica, & ab iambis descẽdens sicpotius simpliciter eloquere, quænã hæc uestis, quæ causa tibi itineris inferni fuit, quũ alioqui neq; iucunda neq; delectabilis sit uia?

MENIP.

Res dilecte grauis me infernas egit ad umbras,
Consulerem manes ut uatis Tiresiãi.

PHILO. Atqui deliras, alioqui non hoc pacto caneres apud amicos cõfarcinatis uersibus. MENIP. Ne mireris amice, nuper enim cum Euripide atq; Homero uersatus, nescio quo pacto uersibus sic impletus sum, ut numeri mihi in os sua sponte confluant. Verum dic mihi quo pacto res humanæ hic se habent in terris? & quid nam in urbe agitur? PHILO. Nihil noui. Sed quẽadmodum prius actitabant, rapiũt, peierant, fœnerantur, usuras colligunt. MENIP. O miseri atque infelices. Nesciunt enim, qualia de nostris rebus nuper apud inferos decreta sunt, qualesque sorte iacti sunt in diuites istos calculi, quos per Cer-

berum nullo pacto poterunt effugere. PHILO. Quid ais? Noui ne aliquid apud inferos noſtris de rebus decretum eſt? MENIP. Per Ioue, & quidem multa, uerum prodere non licet, neque arcana quæ ſunt reuelare, ne quis forte nos apud Rhadamanthum impietatis accuſet. PHILO. Nequaquàm Menippe per Iouem, ne amico ſermonem hunc inuideas. Nam apud hominem tacendi gnarum, & initiatum præterea ſacris edifferes. MENIPPVS. Dura profecto iubes, & neutiquàm tuta, uerum tui gratia tamen audendum eſt. Decretum eſt ergo, diuites iſtos ac pecunioſos aurum tanquàm Danaën ſeruantes abſtruſum. PHILO. Ne prius ó beate quæ ſunt decreta dixeris, quàm ea percurras omnia quæ abs te audire libētiſſime uelim: Quæ uidelicet de ſcēſus cauſa fuerit, qs itineris dux, deinde ex ordine, & quæ illic uideris, & quæ audieris omnia. Veriſimile eſt enim te, quum res pulchras uidendi curioſus ſis, eorum quæ uiſu aut auditu digna uidebātur nihil omnino prætermiſiſſe. MENIP. Parēdum etiam in his tibi eſt. Nam quid facias, urgente amico? Ac primum ſanè tibi expediam, quæ res animum meum ad hunc deſcenſum impulerint. Ego igitur quum adhuc puer eſſem, audiremque Homerum atque Heſiodum, ſeditiones ac bella canentes, non ſemideorum modo, ſed ipſorum etiam deorum, ad ulteria quoque, uiolentias, rapinas, ſupplicia, patrum expulſiones, & fratrum & ſororum nuptias. Hæc me herde omnia bona pulchráque putabam, & ſtudioſe erga ea afficiebar. Poſtquàm uero in uirilem iam ætatem peruenirem, hic leges rurſus iubentes audio poëtis apprime contraria, neque uidelicet adulteria committere, neque ſeditiones mouere, neque rapinas exercere. Hic igitur hæſitabundus conſtiti, incertus omnino quo me pacto gererem. Neque enim deos unquàm putaui mœchaturos, aut ſeditiones inuicem fuiſſe moturos, niſi de his rebus perinde ac bonis iudicaſſent. Neque rurſus legumlatores his aduerſa iuſſuros, niſi id cōducere exiſtimarent. Quoniam igitur in dubio eram, uiſum eſt mihi philoſophos iſtos adire, atque his me in manus dedere, rogaréque uti me utcunque liberet uterentur, uitæquæ uiam aliquam ſimplicem ac certam oſtenderent. Hæc igitur mecum reputans ad eos uenio, imprudens profecto, quod me ex fumo (ut aiunt) in flammam conijcerem. Apud enim hos maxime diligenter obſeruans ſummam repperi ignorantiam, omniáque magis incerta, adeo, ut præ his ilico mihi uel idiotarum uita iam aurea uideretur. Alius etenim ſoli me iuſſit uoluptati ſtudere, atque ad eum ſcopum uniuerſum uitæ curſum dirigere. In eo ipſam ſitam eſſe felicitatem. Alius rurſus omni

no labo-

no laborare, corpusque siti, uigiliis, ac squalore subigere, misere semper adfectum, contumeliisque obnoxium assidue. Hesiodi sedulo inculcãs celebria illa de uirtute carmina, & sudorum uidelicet, & accliuem in uerticem montis ascensum. Alius contemnere iubet pecunias, earumque possessionem indifferentem putare. Alius contra bonas ipsas etiam diuitias esse pronunciat. De mundo uero quid dicam? de quo ideas incorporeas, substantias, atomos, & inane, ac talem quandam pugnantium inuicem nominum turbam in diem audiebam. & quod absurdorum omnium maxime fuit absurdum, de contrariis unusquisque quũ diceret, inuincibiles admodum rationes ac persuasibiles adferebat, ut nec ei qui calidum, nec ei qui frigidum idem prorsus esse contenderent, contra quicquàm hiscere potuerim, atque id, quum tamen manifeste cognoscerem fieri nũquàm posse, ut eadem res calida simul frigidáque sit. Prorsum igitur tale quiddam mihi accidebat, quale solet dormitantibus, ut interdum capite annuerem, interdum contra abnuerem. Praeterea quod multo erat istis absurdius, uiram eorum diligenter obseruans, comperi eam cum ipsorum uerbis præceptisque summopere pugnare. Eos enim qui spernendam censebant pecuniam, auidissime conspexi colligendis diuitiis inhiare, de fœnore litigantes, pro mercede docentes. Omnia denique nummorum gratia tolerantes. Ii uero qui gloriam uerbis aspernabantur, omnem uitæ suæ rationem in gloriam referebant. Voluptatem rursus omnes fermè palàm incessebant. Clanculum uero ad eam solam libenter confluebant. Ergo hãc quoq; spe frustratus magis adhuc ægre moleste que tuli. Aliquantulum tamen inde memet consolabar, quod unà cum multis & sapientibus & celeberrimis uiris ipse insipiensque essem, atque uere adhuc ignarus oberrarem. Per uigilanti mihi tandem, atque hisce de rebus mecum cogitanti, uenit in mentem, ut Babylonem profectus magorum aliquem ex Zoroastri discipulis ac successoribus conuenirem. Audieram siquidem eos inferni portas carminibus quibusdam ac mysteriis aperire, & quem libuerit illuc tuto deducere, ac rursus inde reducere. Optime ergo me facturum putaui, si cum horum quopiam de descensu pacisceus Tiresiam Bœotium consulerem, ab eóque perdiscerem (quippe qui uates fuerit & sapiens) quæ uita sit optima, quanam sapientissimus quisque potissimum elegerit. Ac statim quidem exiliens quàm poteram celerrime Babylonem uersus recta cõtendi. Quò quum uenio, diuersor apud Chaldæorum quendam hominem certe sapientem, atque arte mirabilem, coma quidem canum, admodumque promissa barba uenerabilem.

Nomen autem illi fuit Mithrobarzanes. Orans igitur obsecransq; uix exoraui, ut quauis mercede uellet, in illam me uiam deduceret. At tandem homo me suscipiens primum quidem dies nouem ac uiginti cum luna simul incipiens abluit ad Euphratem, mane solem orientem uersus perducens, ac sermonem quempiam longum mussitans, quem non admodum exaudiebam. Nam (quod in certamine præcones inepti solent) uolubile quiddam atq; incertum proferebat, nisi quod quosdã uisus est inuocare dæmones. Post illam igitur incantationem ter mihi in uultum spuens deducit rursus, oculos nusq; in obuium quenquam deflectens. Et cibus quidem nobis glandes erant, potus autem lac atque mulsum & Choaspi lympha, lectus uero in herba sub dio fuit. At postq; iam præparati satis hac diæta fumus, medio noctis silentio ad Tigridem me fluuium ducens, purgauit simul atq; abstersit, facesq; lustrauit ac squilla, tum pluribus itidem aliis, & magicum simul illud carmen sub murmurans, deinde totum me iam incantatis, ac ne à spectris læderer circumiens, reduxit domũ, ita ut eram reciprocantem, ac reliqua noctis parte nauigationi nos præparauimus. Ipse igitur magicam quandam uestem induit, Medorum uesti ut plurimum similem, ac me quidẽ his, quæ uides ornauit, claua uidelicet, ac leonis exuuijs, atque insuper lyra. Iussit præterea ut nomen si quis me roget, Menippum quidem ne dicerem, sed Herculem, Vlyssem, aut Orpheum. PHILO. Quid ita ô Menippe? neque enim causam aut habitus, aut nominis intelligo. MENIPPVS. Atqui perspicuum id quidem est, ac neutiq; arcanum. Nam hi qui ante nos ad inferos olim ului descẽderant, putauit si me his assimilaret, fore ut facilius Aeaci custodias fallerem, atque nullo prohibente transirẽ, utpote notior tragico admodum illo cultu emissus. Iam igitur dies apparuit, quum nos ad flumen prioregressi in recessum incumbimus. Parata siquidem ab illo fuerant, cymba, sacrificia, mulsa, & in id mysterium denicq; quibuscunq; opus erat. Hæc postquam ergo quæ promptа erant imposuimus, tum nos quoq;

Ingredimur tristes lachrymisq; implemur obortis.

Atq; aliquantisper quidem in fluuio ferimur, deinde in syluam delati sumus, ac lacum quendam in quem Euphrates conditur. Tum hoc quoq; transmisso, in regionem quandam peruenimus solam, syluosam atq; opacam, in quam descendentes (præibat enim Mithrobarzanes) & puteum effodimus, & oues mactamus, & foueam sanguine conspergimus. At magus interim accensam facem tenens, haud amplius iam summisso murmure, sed uoce quam poterat maxima clamitas, dæmones si

nes simul omnes cõuocat, Pœnas, Erinnes, Hecaten nocturnam, excel samq; Proserpinam, simulq; polysyllaba quædam nomina barbara, atq; ignota commiscet. Statim ergo tremere omnia, & rimas ex carmine solum ducere, ac porrò Cerberi latratus audiri, & iam res planè tristis ac mœsta fuit,

Vmbrarum at timuit rex imis sedibus Orcus.

Ac protinus quidē inferorum patebant pleraq;, lacus pyriphlegethon, ac Plutonis regia. Tum per illum delcendentes hiatum, Rhadamanthum propemodum metu reperimus extinctum. Ac Cerberus primū quidem latrabat cōmouitq; sese. At quum ego lyram celeberrime correptam pulsassem, cantu statim sopitus obdormit, deinde posteaq; ad lacum uenimus, tranare fere non licuit. Iam enim onustum erat nauigium, & eiulatu certe plenū. Vulnerati quippe in ea nauigabāt omnes, hic femur, ille caput, alius alio quopiam membro luxatus, usqueadeo, ut mihi certe ex bello quopiam adesse uiderentur. At optimus Charon quum leonis uideret exuuias, esse me ratus Herculem recepit, transque uexit libens, tum exeuntibus quoque nobis monstrauit semitam. Sed quoniam iam eramus in tenebris, præcedit quidem Mithrobarzanes, ego autem à tergo continuus illi comes adhæreo, quoad in pratū quoddam uenimus maximum, asphodelo consitum, ubi circumfusæ undiq; mortuorum stridulæ nos sequuntur umbræ. Tum paulo procedentes longius ad ipsum Minois tribunal accessimus. Erat ipse quidem in solio forte quodam sublimi sedens. Astabant autem illi Pœnæ, Tortores, mali Genij, Furiæ. Ex altera parte plurimi quidam adducti sunt ex ordine longa funē uincti. Dicebantur autem adulteri, lenones, mœchi, homicidæ, adulatores, sycophantæ, ac talis hominum turba quidquis in uita patrantium. Seorsum autem diuites ac fœneratores prodibant pallidi, uentricosi, ac podagrici, quorum quisq; trabe unctus erat, ferri pondere duorū talentorum impositō. Nos igitur astantes, & quæ fiūt omnia cōspicimus, & quæ dicuntur auscultam⁹. Accusant aūt nouī quidam atq; admirabiles rhetores. PHILO. Quinā ergo hi per Iouem sunt, ac ne isthuc quidem te pigeat dicere. MENIPPVS. Vmbras ne untq; istas nosti, quas opposita soli reddunt corpora? PHILO. Quid ni? MENIPPVS. Hæ nos igitur quum primū functi uita sumus accusant, testantur, atq; redarguunt, quicquid in uita peccauimus, & sanè quædā ex his dignæ admodum fide uidentur, utpote nobiscum uersatæ semper, nostrisq; nusquam digressæ corporibus. Minos igitur curiosè quelibet examinans, impiorum relegabat in cœtum, pœnas ibi sceleribus suis dignas luiturum. In hos præcipue tamen incenditur, quos opes dū

uiuerent,ac dignitates inflauerant,quiq; adorari se ferè expectabãt, ni mirũ breui perituram eorũ superbiã fastũq; detestatus,quippe qui nõ meminissent mortales ipsi quum sint,sese bona quoq; mortalia consequutos. At nunc splendida illa exuti omnia diuitias, inquã, genus, munia,nudi ac uultu demisso steterunt tanq; somniũ quoddã hũanã hãc felicitatẽ recogitantes,adeo ut hæc dũ conspicarer nimis q; delectatus fuerim. Et si quẽ eorũ forte agnoueram accessi,atq; in aurẽ silenter admonui,qualis in uita fuerat,quantoperéq; fuerat inflatus, tum quum plurimi mane fores eius obsidentes pulsi interim excluſiq; à famulis illius expectabãt egressum. At ipse uix tandẽ illis exoriẽs puniceus,aureus aut uersicolor,felices ac beatos se facturũ salutãtes putabat,si pectus dextramue porrigens,permitteret osculandam. Illi uero audientes ista moleste ferebant. At Minos quiddã etiã iudicauit in gratiam. Quippe Dionysiũ Siciliæ tyrannum multis & atrocibus criminibus & à Dione accusatum,& graui Stoicorum testimonio conuictum, Cyrenæus Aristippus interueniens: Nam illum nalde suspiciunt inferi, eiusq; plurimum ibi ualet autoritas,fermè iam Chimæræ alligatum absoluit à pœna,asserens illum eruditorum nõnullos olim iuuisse pecunia. Tum nos à tribunali discedentes,ad supplicij locum peruenimus. Vbi ó amice & multa,& miserãda audire simul,ac spectare licuit. Nam simul & flagrorũ sonus auditur,& ejulatus hominũ in igne flagrantiũ,tũ rotæ & tormenta,catenæ,Cerberus lacerat,Chimæra dilaniat, cruciãturq; pariter omnes,captiui,reges,præfecti,pauperes,mendici,diuites,& iam scelerũ omnes pœnitebat. Et quosdã quidem eorũ,dũ intuemur, agnouimus, uidelicet qui nuper è uita discesserant. At hi se pudentes tum occulebãt, nostróq; subtrahebant aspectui,aut si nos aliquãdo respiciebãt, id seruiliter admodum abiectéq; faciebant,atq; hi quidẽ quàm olim puras oneroſi fastosiq; in uita? At pauperibus malorum dimidium remittebatur, & quum interquieuissent, denuo repetebantur ad pœnam. Sed illa quoq; quæ fabulis feruntur aspexi,Ixionem,Sisyphum,Phrygiumq; grauiter affectum Tantalũ, genitumq; terra Tityũ,Dij boni, quantũ? Integrũ stratus agrũ occupabat. Hos tandẽ prætereũtes, in cãpum uenimus Acherusiũ, ubi semideos,heroidasq; reperimus,atque aliã simul mortuorũ turbã in gentes,tribusq; dispositã,alios quidẽ uetulos,quosdã ac marcidos,atq; (ut Homerus ait) euanidos,alios uero iuueniles & integros,& hos porissimũ ob illam condiendi efficaciã Aegyptios. Verũ dignoscere quẽlibet haud pcliue fuit,adeo nudatis ossibus oẽs erant inuicẽ similimi,nisi quod uix tandẽ eos diu intendẽtes agnouimus. Quippe cõferti cõsidebãt obscuri atq; ignobiles,nullũq; seruantes amplius pristinæ formæ uestigium. Cũ igit multi simul ossei cõsisterent, inuicẽ

inuicem omnino ſimiles, qui terrificum quiddam per cauos oculorum orbes tranſpicerent, dentesq; nudos oſtenderent, hæſitabã certe mecũ, quonam ſigno Therſitem à Nireo illo formoſo diſcernerem, aut mendicum Irum à Phæacũ rege, aut Pyrrhiam coquũ ab Agamemnone. Quippe quibus iam nihil ueteris permanſit indicij, ſed oſſa fuerũt inter ſe ſimilia, incognibilia, nullis inſcripta titulis, nullicq; unc̃q; dinoſcenda. Hæc igitur ſpectanti mihi, perſimilis hominũ uita pompæ cuipiã longæ uidebat, cui præſit ac diſponat quæcq; fortuna, ex his qui pompam agunt, diuerſos uariosq; cuiq; habitus accõmodans. Alium ſiquidem fortuna deligens, regijs ornat inſignibus, & tiaram imponens, & ſatellites addens, & caput diademate coronans. Alium ſerui rurſus ornatum induit, hunc formoſum effigiat, hunc deformem atq; dericulum fingit: nam omnigenum, ut opinor, debet eſſe ſpectaculum. Quin habitus quorundam plerunq; in media quoq; pompa demutat, neq; perpetuo eodem ſinit ordine, cultuq; progredi quò prodierant. Sed ortu cõmutato Cręſum quidem coegit ſerui, captiuiq; ueſtes induere. Mæandrium autẽ olim inter ſeruos incedentem, Polycratis uicißim ornat tyrãnide. Et aliquantiſper quidem eo cultu permittit uti, uerum ubi iam pompæ tempus præterijt, apparatum quiſq; reſtituẽs, & cum corpore ſimul exutus amictu, qualis ante fuit efficitur, nihilo à uicimo differens. Quidam tamen ob inſcitiam quũ ſuos fortuna cultus exigit, ægreferunt atq; indignantur, tanquam propriis quibuſdam bonis priuati, ac non potius alienis, quibus paulißper utebantur, exuti. Quin in ſcena quoque uidiſſe te plerunq; puto hiſtriones iſtos tragicos, qui (ut fabulæ ratio poſcit) modo Creontes, modo Priami fiunt, aut Agamemnones. Idemq; (ſi ſors tulerit) paulo ante tam grauiter Cecropis aut Erechthei formam imitatus, paulo poſt ſeruus, poeta iubente, progreditur. At quum fabulæ iam finis affuerit, quiſque auratas illas ueſtes exutus, perſonam deponens, & ab altis illis crepidis deſcendens, pauper atq; humilis obambulat, haud amplius Agamemnon ille Atreo prognatus, aut Creon Menœcei filius, ſed Polus filius Charidei Sunienſis, aut Satyrus filius Theogitonis Marathonius. Sic ſe mortalium res habent, quemadmodum mihi tum ſpectanti uidebatur. PHILO. Die mihi Menippe, iſti qui magnificos altosque tumulos habent ſuper terram, & columnas, imagines, titulos, nihiló ne ſunt apud inferos plebeis quibuſlibet umbris honoratiores? MENIPPVS. Nugaris tu quidem, nam ſi uidiſſes Mauſolum, Carem illum dico Pyramide celebrem, ſat ſcio, nunquam ridere deſiſtes, ita in antrum quoddam abſtruſum deſpectim abiectus eſt, in reliqua mortuorum turba delitescens. Hoc tantum cõmodi mihi uidetur ex monumento re-

ferre,quod impoſito tanto pondere,laborat magis & premitur. Nam quum Aeacus ô amice,locum cuiq; metitur,dat autem cui plurimum haud amplius pedem neceſſe eſt eo iacere cõtentum,ſeſeq; ad loci modum contrahere; At uehementius multo riſiſſes,opinor, ſi reges hoſce noſtros ſatrapaſq; uidiſſes,apud eos mendicantes, & aut ſalſamenta uendẽtes,aut primas ipſas literas urgente inopia profitentes, & quemadmodum contumeliis à quouis afficiantur, atq; in faciem cædantur perinde atq; uiliſſima mancipia. Itaq; Philippum Macedonem conſpicatus,continere me certe nõ potui,oſtenſus eſt mihi in angulo quodam detritos calceos mercede refarciens. Quin alios præterea multos erat uidere mendicantes in triuiis,Xerxes uidelicet,Darios,ac Polycrates. PHIL. Admiranda narras iſta de regibus penéq; incredibilia. Socrates autem quid facit, ac Diogenes? & ſi quis eſt ſapientum alius. MENIP. Socrates profecto etiam ibi obuerſatur,omnesq; redarguit: perſantur autem cũ illo Palamedes, Vlyſſes, & Neſtor, & quiſquis eſt alius inter defunctos garrulus. Inflantur autem illi etiammum, atq; intumeſcunt exhauſto ueneno cruſa. At optimus Diogenes Sardanapalo uicinus, Aſſyrio Midæq; Phrygio, atq; alijs item pluribus exiſtorũ ſumptuoſorum numero manet, quos quũ eiulantes audit, ueteris fortunæ magnitudinem recognitantes, & ridet & delectatur, ac ſupinus cubans, ut plurimum cantat, aſpera nimis atque iniucunda uoce illorum eiulatus obſcurans, adeo ut id egreferentes, nec Diogenem ferre ualentes, de mutanda ſede deliberent. PHIL. De his iam ſatis quidem: cæterum quodnam illud decretum eſt, quod initio dixeras aduerſus diuites eſſe ſanctum? MENIPPVS. Bene admones: neſcio enim quo pacto quum hæc de re dicere propoſuiſſem,ab inſtituto ſermone procul aberraui. Dum igitur ibi uerſabar, magiſtratus concionem aduocauerunt,his uidelicet de rebus, quæ in commune conducerent. Conſpiciens ergo multos concurrere, mè quoque cum illis ſimul immiſcens, unus de numero eorum qui in concione aderant,efficior. Agitata ſunt igitur & alia multa: poſtremo uero de diuitibus negocium, in quos poſteaquam plurima fuiſſent obiecta,uiolentia,ſuperbia,faſtus, iniuriæ, aſſurgens tandem ex populo primas quidam,huiuſmodi decretum legit. Quoniam,inquit, multa diuites perpetrant in uita rapientes, ac uim inferentes, inopesque omni modo deſpectui habentes, Curiæ Populóque uiſum eſt, ut quum functi uita fuerint, corpora quidem eorum pœnas cum alijs ſceleratorum corporibus luant: animæ uero ſurſum remiſſæ in uitam, in aſinos demigrent, donec in tali rerum ſtatu quinquies ac uicies decem annorum milia tranſegerint. aſini ſemper ex aſinis nati, onera ferentes, atque à pauperibus

agitati. Dein ut liceat illis è uita excedere. Hanc ſententiam dixit Caluarius, patre Aridello, patria Manicenſis, tribu Stygiana. Hac igitur lege recitata, approbauerunt principes, ſciuit plebs, adfremuit Proſerpina, allatrauit Cerberus: ſic enim rata quæ inferi ſtatuunt, autenticáque fiunt. Quæ igitur in concione agebantur, erant huiuſmodi. Tum ego ſtatim, cuius gratia ueneram, Tireſiam adeo, atque illi re, uti erat, ordine narrata ſupplicaui, ut mihi diceret, quodnam optimum uitæ genus putaret. Hic uero ſubridens (eſt autem ſenicylus quiſpiam cæcus, pallidus, uoce gracili) ó fili, inquit, cauſam tuæ perplexitatis ſcio à ſapientibus iſtis profectam, haudquaquam idem inuicem iſdem de rebus ſentientibus, uerum haud fas eſt id tibi proloqui: ſiquidem quod Rhadamanthus interdixit. Nequaquam, inquit, ó pater, ſed dic iterabo, neque me contemnas, qui in uita te etiam ipſo cæciot obtero. Abducens ergo me, procul ab áliis auferens, ad aures mihi inclinans: Optima eſt, inquit, idiotarum priuatorúmq; uita, ac prudentiſſima. Quam obrem ab hac uaniſſima ſublimium conſideratione deſiſtens, mitte principia ſemper ac fines inquirere, & uafros hoſce ſyllogiſmos deſpuens, atque id genus omnia nugas æſtimans, hoc ſolum in tota uita perſequere, ut præſentibus bene compoſitis minime curioſus, nulla re ſollicitus, quàm plurimum potes hilaris uitam ridenſque traducas. Hæc quum dixiſſet, rurſus Aſphodelorum in pratum ſeſe corripuit. Ego igitur (nam & nunc uéſper erat) age, inquam, ó Mithrobarzane quid cunctamur? ac non hinc rurſus abimus in uitam? Ad hæc ille confide, inquit, ó Menippe, breuem quippe facilémque tibi monſtrabo ſemitam, & me protinus abducens in regionem quandam magis priore tenebricoſam, manu procul oſtendens ſubobſcurum tenuéque ac uelut per rimam influens lumen: Illud, inquit, Trophonij templum eſt, atque illac ad inferos è Bœotia deſcenditur, hac aſcendas, atq; illico fueris in Græcia. Ego igitur hoc ſermone gauiſus, ſalutato Mago difficile admodum per anguſtas antri fauces ſubrepens, neſcio quo pacto, in Lebadiam perueni.

NECROMANTIAE SEV MENIPPI LVCIANI, THOMA MORO INTERPRETE, FINIS.

Luciani

LVCIANI PHILOPSEVDES SIVE INCREDVLVS, THOMA MORO INTERPRETE.

Personæ. TYCHIADES ac PHILOCLES.

TYCHIADES.

OTes mihi Philocles dicere, quidnam id tandem sit, quod multos in mentiendi cupiditatem adducit, ut pariter gaudeant, quũ & ipsi nihil sani loquuntur, & his qui talia narrant, maxime animũ intendant? PHILOC. Multa Tychiade sunt, quæ nonnullos mortales mentiri compellunt, quia in rem uident condecere. TYCH. Nihil ad rem hæc (ut aiunt) nec enim de his rogabam, qui quum usus postulat mentiuntur, uenia nimirum hi, imò laude plerique eorum digni sunt, quicunq; uel hostes fefellerunt, uel ad salutẽ tali quopiam pharmaco usi sunt in necessitatibus. Cuiusmodi multa Vlysses etiam fecit, ut & uitam suam, & sociorum reditum redimeret: sed de illis uir optime dico, qui nulla necessitate mendacium ipsum ueritati longe anteponunt, ipsa re uidelicet delectati, atque in ea sine ulla idonea occasione uersati. Isti ergo scire cupio, cuius commodi gratia istud agunt. PHILOC. An alicubi tales alios deprehendisti, quibus hæc insita sit mentiendi libido? TYCH. Et quidem admodum multi sunt huiusmodi. PHILOC. Quid aliud ergo in causa est, quod mentiuntur nisi dementia? siquidem rem pessimam, optimi loco præoptant. TYCH. Hoc nihil est, nam ego tibi multos ostenderim ad cætera prudentes, ac sapientia mirabili: nescio tamen quo pacto captos hoc malo, mendaciq; studiosos, adeo ut ego certe moleste feram, quod uiri tales, omnibus cæteris in rebus optimi, gaudent tamen & se, & eos in quos inciderint fallere. Nam ueteres illi, id quod tibi notius est quàm mihi, Herodotus, Cteſiasque Cnidius, atque his superiores, denique Homerus ipse, uiri celebres, mendacijs etiam scriptis utebantur, ut non solum eos fallerent, à quibus tunc audiebantur, uerum usque ad nos etiam mendacium per manus traditum perueniret, in pulcherrimis uersibus metrisque seruatum. Me ergo sæpe illorum uersuũ nomine subijt pudor, si quando cœli sectionem, ac Promethei uincula recensent, gigantumq; rebellionem, atque

omnem

omnem illam de inferis tragœdiam. Et quo pacto ob amorem Iupiter in taurum & cygnum uersus sit, & quemadmodum ex muliere quispiam in auiculã ursamue mutatus sit. Pegasos præterea, Chimærasq; & Gorgonas, ac Cyclopas, atq; id genus omnia, admodum absurdas monstrosasq; fabulas, & quæ mentes afficere puerorum queant, qui laruam adhuc lamiamq; metuunt: quanquam poëtica sint fortasse tolerabilia. At urbes iam gentesq; totas una uoce ac publicitus mentiri, an nõ hoc ridiculum? Veluti quum Cretenses sepulchrum Iouis ostendere non pudet: Athenienses Ericthonium æditum è terra ferunt primosq; illos homines in Attica olerum more ex terra emersisse. Hi tamen multo uerecundiores quàm Thebani, qui ex serpentis dentibus satiuos quosdam progerminasse narrant: quod si quis hæc, quum sint ridicula, uera esse non credat, sed ea prudenter examinans, Chorebi cui iuspiam, aut Margitæ existimet esse: si quis aut Triptolemum credat in alatis draconibus per aërem uectum esse, aut Panа quendã ex Arcadia in Marathonem uenisse auxilio, uel Orithyiam à Borea raptam esse, impius nimirum hic atq; insanus uideatur eis: quippe qui tam manifesta ueráq; non credat, usqadeo obtinet mendacium. PHILOPS. At poëtis Tychiade, urbibusq; fuerit fortassis ignoscendũ: nam illi delectationẽ illam quæ ex fabula proficiscit, ut quæ maxima sit illecebra, poematibus suis immiscent, qua potissimum erga auditores opus habent. Athenienses uero Thebaniq;, & si qui sunt alij, patriæ suæ plus maiestatis ex huiusmodi figmentis conciliant: quod si quis fabulas auferat è Græcia, nihil obstiterit quo minus earũ narratores fame intereant, quandó iam nemo futurus sit hospitum, qui uerum uel gratis audire uelit. At si qui nulla tali causa, gaudent tamen mendacio, hi omni no ridiculi merito uideãtur. TYCHIADES. Recte dicis, nam ego protinus ab Eucrate illo celebri uenio, ubi multa incredibilia ac fabulosa quum audissem, imò uero medio in sermone discessi, non ferens narrationem tam supra fidem, sed me uelut furiæ quædã abegerunt, dum monstrosa multa atq; absurda referrent. PHILOPS. Atqui Tychiade, uir grauis Eucrates est, & nemo certe crediderit illum tam promissa barba uirum sexagenarium: & qui præterea sit plurimum in philosophia uersatus, sustinuisse ut alium quenquam audiret se præsente mentientem, nedum ut ipse tale quicquam audeat. TYCH. At nescis amice qualia referebat: tum ea quàm cõstanter asserebat: præterea quàm sancte in plerisque iurabat, admotis etiam filijs, adeo ut ego quum eum respicerem, uaria mecum cogitarem, interdum quidem illum insanire, neque animo constare: interdum uero ita cogitabam, fugisse me, quod impostor esset, ac tantũ temporis sub leonis pelle ridiculam quandam

simiam

ſimiam circũtuliſſet,adeo abſurda narrabat.PHIL. Quænam illa (per lares) ſunt Tychiade? nam cupio cognoſcere quamnam præſtigiatură ſub tam longa barba occuluerit.TYCH. Solebam quidem etiam aliâs Philocles aliquoties eum interuiſere, ſi quando uidelicet multo ocio abundarẽ.Hodie uero quũ opus eſſet mihi cõuento Leõthico(eſt aũt, ut ſcis,amicus mihi) edoctus â puero,eũ ſe ad Eucratẽ mane cõtuliſſe, ut eum morbi inſpiciendi cauſa uiſeret,amborũ nomine, nempe ut & Leonthicum conuenirem,& Eucratem uiderem, ignoraueram autem quod ægrotaret,ad eum peruenio. At Leonthicum ibi iam non inuenio:nam paulo ante ut dicebant exiuerat,alios uero confertos reperio, in qbus erat & Cleodemus Peripateticus, & Dinomachus Stoicus, & Ion,noſti uirũ? illum dico,qui ex Platonica doctrina magnam ſui admirationem expectat, ut qui ſolus mentem uiri deprehenderit, quiq; eius oracula aliis quoq; poſſit enarrare:uides quos tibi uiros nomino, nimirum omni ſapientia atq; omni uirtute præditos, utpote ipſum ex quaq; ſecta caput,reuerendos herde omnes,atq; aſpectu propemodũ terribiles.Aderat præterea medicus Antigonus,ut uſui in morbo eſſet aduocatus opinor:& melius iam habere ſe uidebatur Eucrates:ac morbus quidã ex familiaribus erat:humor enim rurſus in pedes ei deſcenderat.Sedere me ergo Eucrates in lecto iuxta ſe iuſſit uoce languidule remiſſa paululum,quum me conſpiceret:quanq; interim dum ingrederer,uociferantem eum ac uocem intendentem audieram:tamẽ ego admodum curioſe cauens ne pedes eius tangerẽ, ubi me uulgaribus iſtis uerbis purgaueram,quod eum ægrotare neſciuerim: quod ubi reſciſſem, curriculo uenerim,adſedi prope, & illis quidẽ ſermo iam de morbo erat,& quædam iam ante dixerant,quædam uero etiam tunc narrabant:præterea medicamenta quædam quiſq; proferebat. Cleodemus igiť: Si quis ergo (inquit)ſiniſtra manu tollẽs humo muſtelæ dentẽ,ſic interfectæ,ut ante dixi,in leonis pellem illigauerit, nuper excoriati, ac deinde circum crura poſuerit,illico ſedatur dolor. Non in leonis pellem (inquit Dinomachus)ut ego audiui, ſed in ceruæ potius fœmellæ uirginis adhuc, & nõdũ initæ, & res quidem magis eſt hoc pacto credibilis:uelox enim cerua eſt,maximéq; ualet pedibus:& leo quidem fortis eſt,pinguedóq; eius ac manus dextra, piliq; qui recti è barba prominent,magnam uim obtinent,ſi quis uti nouerit,cum proprio cuiq; carmine,at pedum curam minime pollicentur. Et ipſe quoq;, inquit, Cleodemus,olim ſic putabam ceruina pelle utendum, propterea quod cerua uelox eſſet. At nuper uir quidã Libycus,peritus profecto in rebus huiuſmodi contra me docuit, ceruis oſtendens uelociores eſſe leones: quippe qui eas,inquit,etiã perſequendo capiunt. Laudabant qui aderant,

rant,tanq; recte dixisset Libycus ille: Tum ego: Putatis,inquã, incantamentis quibusdam sedari talia: aut foris admotis appendiculis, quũ intus malũ grassetur? Riserũt hunc sermonẽ meũ: & palàm in me magnam damnabant amentiam, qui apertissimas res ignorarem, & quibus nemo qui sapiat, contradicat: quin sic se habeant. At medicus certe Antigonus delectari mihi uisus est hac rogatione mea. Iamdudũ autem neglectui habitus fuerat, opinor, quum opem Eucrati ferre ex artè uellet, denuncians uidelicet uino ut abstineret: atq; oleribus uescerẽtur, & uigorẽ animo omnino minueret. Cleodemus ergo subridẽs interim, Quid ais, inqt, Tychiade? incredibile tibi uidet esse, ut ex rebus huiuscemodi parent quædã aduersus morbos remedia? Mihi certe uidetur inquã, ego: nisi naribus adeo mucosis sim, ut credã ea quæ foris applicãtur, nihilq; cum his quæ morbos excitãt, intus cõmunicant: per uerbula tamen, ut dicitis, ac præstigiaturã operari: & quum appendũtur, sanitates immittere, id profecto nunq; fieri possit: nec si quis uel in Nemei leonis pellem sedecim mustelas integras insuerit. Ego pfecto leonẽ ipsum è dolorib9 sæpe claudicantẽ uidi in uniuersa sui ipsius pelle. Nimium idiota es, inquit Dinomachus, neq; unq; tibi curæ fuit, ut disceres quonam modo res istiusmodi aduersus morbos, quum adhibentur cõferunt, ac mihi uideris ne notissima quidem ista recepturus: febrium uidelicet istarum profligationes, quæ certo quodã ambitu recurrunt, tum serpentũ demulsiones, ac bubonũ sanationes, & cætera: quæcunq; anus etiam iam faciunt: quod si illa fiunt omnia, quur tandem non putabis hæc etiam similibus rebus fieri? Infinita congeris, inquam, Dinomache, clauumque, ut aiunt, clauo extrudis. Neq; enim constat ea quæ cõmemoras, eiusmodi ui fieri. Quamobrem nisi reddita ratione persuaseris primum natura fieri posse, ut febris tumorq; ue reatur, aut nomen aliquod diuinum, aut dictionem aliquam barbaricam: ob idq; ex inguine fugiat: aniles adhuc fabulæ sunt quæcunq; retulisti. Tu mihi uideris, inquit Dinomachus, quum ista dicas, ne deos quidem esse credere. Siquidem putes fieri non posse, ut per sacra nomina remedia morbis adferantur. Hoc, inquam ego, uir optime ne dixeris, nihil enim prohibet quo minus, etiam si maxime dij sint, ista tamen sint uana. Ego uero & deos colo, & medelas eorum uideo, & leuamenta quæ laborantibus conferunt, pharmacis uidelicet, atq; arte medica restituẽtes. Itaq; Aesculapius ipse eiusq; posteri salutaria pharmaca admouentes medebantur ægrotis: non leones, aut mustelas circũligantes. Mitte hunc, inquit, Ion. At ego uobis mirabile quiddã narrabo. Eram adhuc adolescẽtulus: annos natus fermè quatuordecim: quum quidam ad patrem meum uenit nuncians ei, Midam uitis cultorẽ

torem ſeruum,etiam alijs in rebus robuſtum atq; induſtrium,circa ple num iam forum à uipera morſum iacere iam putrefacto crure.Etenim dum ligaret palmites,ac uallis circũplicaret, adrepẽtem beſtiolam ma ximum ei pedis momordiſſe digitum. Tum illam quidem ilico aufu giſſe,& ſeſe rurſus in latebram condidiſſe.Illum uero eiulare perditũ è doloribus.Hæc ergo quum nunciarentur,iam Midam ipſum uideba mus in lectica domum à conſeruis adportari: inflatum totum, liuidũ, ac ſuperficie tabefactum,uix iam ſpirantẽ.Pater ergo quum id mole ſte ferret, amicorũ quiſpiam, qui tum forte aderat,Bono animo es, in quit.Ego enim uirum quendam Babyloniũ ex Chaldæis,quos uocãt, protinus huc adducam,qui ſanabit hominẽ:& ne diem narrando con teram,uenit Babylonius,ac Midam reſtituit: effugato ex corpore ue neno,quadã incantatione,& ad pedem eius appenſo uirginis defun ctæ lapillo,quem è columna exciderat. Atq; iſtud quidẽ hactenus for ſan mediocre fuerit. Tum Midas iam ipſe ſublato, in quo allatus erat ſcabello,diſceſſit in agrum:tantũ potuit incantatio, & colũnaris ille la pis.At idem iſte Babylonius alia præterea diuina plane fecit. Nempe in agrum profectus mane,quũ pronunciaſſet ſacra quædam ex uetu ſto codice,ſeptem nomina,ſulphure ac face luſtrato loco in orbem ter obambulans,ſerpentes omneis inuitos exciuit: quicunq; intra eam re gionem erant. Veniebant ergo tanq; ad incantationẽ tracti,ſerpentes multi,atq; aſpides,& uiperæ,& ceraſtæ,& iaculi, phryniq; , ac phyſali: relinquebatur autem unus draco,annoſus,prorepere (ut opinor) ob ſenectam non ualens,qui non fuerat audiens dicto. At magus, Non adſunt omnes inquit. Tum unum quendã ex ſerpentibus eum uideli cet qui natu minimus erat , ſelectum legatum mittebat ad draconem: ac paulo poſt uenit etiam ille.At poſtq; iam collecti conſtitiſſent,Ba bylonius in eas inſibulauit. Atq; illi repente admodũ omnes ab eius flatu incenſi ſunt,nobis interim admirantibus. Tum ego,dic mihi in quam Ion.Serpens ille legatus,iuuenem illum dico,utrum manu per duxit draconẽ,qui iam (ut ais) ſenuerat,an ille baculum geſtans inni tebatur? Ludis tu quidem,inquit Cleodemus. At ego,qui & ipſe quo que olim minus talia credebã,quàm nunc tu,putabam enim nulla rati one fieri poſſe,ut ea crederem: tamen quum uolantem primum con ſpicerem,peregrinũ illum barbarum (erat autem ut ferebãt ex Hyper boreis) credidi,ac uictus ſum: quũ tamen multũ diuq; repugnaſſem, nam quid facerem quum eum cernerem in aëre uolantem , atq; id in terdiu,ac ſuper aquam ingredientem , atq; per mediũ ignem inceden tem,idq; lente ac ſenſim? Tu ne,inquam ego,iſta uidebas, uirum Hy perboreum uolantem, aut ſuper aquas ambulantẽ:& maxime, inquit

ille

ille,carbatinis indutum,quo calceamẽti genere illi potiſſimũ utuntur. Nã minutula iſta,quid attinet referre,quæcunq; fecit,quo pacto amores immiſerit,ac dæmones exegerit, mortuosq; marcidos in uitam reuocauerit,atq; Hecaten ipſam palàm conſpectibus exhibuerit,lunãq; è cœlo detraxerit? Quin ego uobis referam, quæ ab eo fieri conſpexi in Glaucia Alexidis filio. Glaucias hic quũ patris nuper defuncti ſubſtantiã ſuſcepiſſet,Chryſidem amabat Demæneti filiam,ac me quidẽ præceptore in diſciplina utebatur:ac niſi amor ille à ſtudio deduxiſſet eum,uniuerſam Peripateticorũ doctrinã perdidiciſſet: ut qui octo & decem quũ eſſet annorũ,iam abſoluerat analytica: tum phyſicam auſcultationẽ in finem uſq; percurrerat. Amore tamen uictus, mihi rem omnẽ ſignificat. Ego uero quemadmodũ par erat, quippe qui præceptor eram,Hyperboreũ illum magum ad eum duco:conductũ quatuor ilico minis in manum datis: oportebat enim præparari quiddã ad ſacrificia,tum ſedecim præterea,ſi Chryſide potiretur. Ille uero creſcentem obſeruans lunam (Nam tunc ut plurimũ huiuſmodi ſacra peraguntur) foſſam quum effodiſſet in aperto quodam loco domus, ſub dio circa mediam noctem,euocauit nobis primũ quidem Anaxidem Glauciæ patrem,ante ſeptem menſes uita defunctũ. Succenſebat autẽ ob amorem ſenex,atq; indignabatur. Tandem tamen ei permiſit: ut amaret. Poſtea uero Hecaten quoq; eduxit: adferẽtem unà Cerberũ, tum lunam detraxit multiforme quoddam ſpectaculũ, & quod aliâs aliud apparebat. Primũ quidem muliebrem formam referebat: deinde in uaccam formoſam uertebatur: Poſtremo uero catula uidebatur. Hyperboreus ille tandem,quum finxiſſet quendam è luto Cupidinẽ. Abi,inquit,atq; huc perducas Chryſidem:ac lutum quidem protinus euolabat:paulo poſt autẽ affuit illa pulſans oſtiũ. Tum ingreſſa Glauciam cõplectitur,eum quàm inſaniſſime deperiens, & cum eo uerſata eſt,quoad gallos canentes audiuimus. Tum uero luna ſubuolabat in cœlum,atq; Hecate ſubijt terrã,cæteraq; ſpectra diſparuerũt:& Chryſidem tandem emiſimus circa ipſum fermè diluculũ. Hæc Tychiades ſi cõſpexiſſes,haud quaq; amplius dubitaſſes,eſſe multa in carminibus iſtis cõmoda. Bene dicis,inquam,ego credidiſſem equidẽ,ſi uidiſſem ea:nunc uero ignoſcendũ mihi puto,ſi qualia uos uidetis,acute perſpicere non poſſum:uerũtamen Chryſidem illam quam dicis, noui,mulierem planè meretricem ac facilem:nec uideo ſanè cuius gratia ad illam egueritis luteo illo legato magóq; ex Hyperboreis uſque, atq; ipſa inſuper luna. Quippe quã uiginti drachmis ducere in Hyperboreos uſq; potuiſſes. Mirifice enim ſeſe offert ad hanc incantationẽ mulier. Et cõtrariũ quiddã ſpectris iſtis habet. Nam ea quidem æris ferriúe ſonũ

si audierint fugiunt (nam id uos prædicatis) illa uero si argentum uspiam sonuerit, accurrit ad tinnitū. Præterea ipsum etiã magum admiror: quod cum ditissimas mulieres in amorem sui possit elicere, atq; ab eis solida talenta suscipere, is tamẽ ob quatuor minas admodũ tantilli lucelli auidus Glauciã amoris compotem fecerit. Ridicule facis, inquit Ion, qui nihil credis. Ego te libenter ergo rogauerim quid de his respõdeas, qui dæmoniacos liberant erroribus, adeo manifeste spectra illa carminibus eiicientes? Atq; hæc me dicere nõ opus est, uerum omnes nouerunt: Syrus ille ex Palestina, qui harum rerum artifex est, quàm multos mortales suscipiat, qui ad lunam cõcidant, oculosq; distorqueant, spumáq; ôs oppleant: quos tamen erigit ac sanos remittit, magna accepta mercede, diris eos malis liberans. Etenim quum iacentibus instet, rogauerit́q;, unde sint in corpus ingressi: ægrotus quidẽ ipse tacet, at dæmon uero respondet (aut lingua Græca loquens, aut barbarica, aut undecunq; fuerit ipse) & quomodo & unde intrauit in hominẽ. Ille uero adiurans eum, ac ni paruerit minitans etiam, expellit abigitq; dæmonẽ. Quin ego quoq; dæmonẽ quendã exeuntem uidi nigrũ certe & colore fumidũ. Non magnũ erat, inquam ego, talia te Ion cernere: cui ipsæ etiam apparent Ideæ, quas uestræ familiæ parens ostendit Plato: rem uidelicet spectatu tenuem, atq; euanidam: quantũ ad nos homines luscioſos. Ita ne solus Ion, inquit Eucrates: istiusmodi uidit: ac non alij etiã multi inciderũt in dæmones: alij noctu, alij etiam interdiu? Ego profecto non semel, sed millies iam talia conspexi, ac primũ quidem turbabar ad ea: iam uero ob consuetudinẽ nihil nouum, aut prodigiosum mihi uidere uideor, maximeq; nunc ex quo annulũ mihi Arabs dedit ex ferro de cruce quapiã sumpto, factum carmenq; docuit nominibus multis plenum, nisi forte ne mihi quidem fidem sis habiturus Tychiade. At qui fieri possit inquã, ut Eucrati non credam Dionis filio: uiro in primis sapienti ac libere, quæ sibi uidentur domi in priuato suo cum autoritate narrãti? Illud ergo de statua, inquit Eucrates, quæ omnibus qui in domo sunt singulis noctibus apparet: tum pueris, tum adolescẽtibus, tum senibus: hoc inquã, non à me dũtaxat audieris, uerũ etiam à nostris omnibus? De qua statua, inquam egó? Non uidisti (inquit) quum ingredereris statuã quandã in atrio collocatam, sanè quàm pulchram, opus Demetrij: qui statuas humana specie fingere consueuit? Nonne illam dicis, inquã, quæ discum iacit: quæ inclinata est ad emissuri gestũ reflexa in eam quæ discũ fert, altero pede modice inflexo, quæq; se erectura uidetur unà cum iactu? Non inquit: nam unum est ex Myronis operibus ille disci iactator, quem dicis. Sed nec eam quæ est ei proxima: eum loquor cui tenuis caput uinctum

ctum eſt,formoſam illam.Nam id Polydeti opus eſt:uerum eas quæ à dextra ſunt egredientibus omitte,inter quas & tyrannicidæ illi ſtant: Critiæ Neſiotæ plaſmata: tu uero an non ad aquã illam quæ influit, quampiã uidiſti uentre prominulo,caluam,ſeminudatã,uulſis quibuſdam barbæ pilis,inſignibus uenis, uero homini ſimillimam? Pelichus dux Corinthius eſſe uidetur. Per Iouem,inquã uidi quandã à dextra Saturni,quæ tenias coronaſq; aridas habebat,pectoreq; folia quædã inaurata.Ego,inquit Eucrates, ea inauraui,quum me ſanaſſet triduo, febre pereũtem.Erat nẽ igitur etiam medicus,inquã ego, optimus iſte Pelichus? Eſt,neq; ride,inquit Eucrates:alioqui homo te haud multo poſt inuadet. Nouí ego certe quãtũ ualeat hæc, quam tu rides ſtatua. An non eiuſdem putas eſſe immittere febres,in quos uoluerit quandoquidem potis eſt eijcere? Propitia,inquam,placataq; ſit hæc ſtatua mihi,quæ tantũ ualeat. Quidnam ergo aliud facientem eam uiderũt omnes qui in domo ſunt? Quũ primũ nox eſt, inquit,hæc è baſe deſcẽdens in qua ſteterat,in orbem totam domũ circuit:omnes occurrũt ei interdũ etiam canenti:nec quiſq; eſt quẽ unq; læſerit, diuertere tantum oportet.Illa uero præterit, nihil intuẽtes infeſtans,quũ & lauat ſæpe, & tota nocte ludit,ut ex ipſo aquæ ſtrepitu licet audire. Vide ergo inquã ego,ne forte nõ Pelichꝰ hæc ſtatua ſit,ſed Talus potius Cretẽſis, qui apud Minoëm fuiſſe dicitur. Nam & ille æreus quidam Cretæ cuſtos erat:quod ſi non ex ære,non autem ex ligno facta eſſet,nihil eam prohiberet,quin non opus Demetrij,ſed una potius ex Dædali machinis eſſe uideat. E baſe nanq; (ut ais) etiam iſta fugit. Vide,inquit, ô Tychiade, ne te poſthac ſcõmatis huius pœniteat. Noui quidẽ ego, quid illi euenerit,qui obolos ſurripuit,quos ei quoq; nouilunio ſuſpẽdimus.Prorſus atrocia,inquit Ion,oportebat accidere:quippe qui ſacrilegus erat:quomodo ergo illum ultus eſt ô Eucrates? Nam audire cupio,etiam ſi q̃ maxime Tychiades iſte diffiſurus eſt. Multi, inquit ille,ad pedes eius oboli iacebant,aliaq; item numiſmata, quædam argentea ad crus eius affixa cæra,ac laminæ quoq; argenteæ: uota cuiuſque,aut merces ob ſanationẽ eius,qui ab eo liberatus eſſet, quũ febre detineretur. At erat nobis ſeruus quidam Libycus ſceleratus, equorũ curator. Hic noctu aggreſſus eſt ea auferre omnia, abſtulitq; digreſſã iam quum obſeruaſſet ſtatuam.At quum primũ reuerſus intellexit ſacrilegio ſe compilatũ Pelichus,uide quo pacto ſeſe ultus eſt, atq; furtũ prodidit Libycum. Tota nocte atrium obambulabat in orbem miſer, exire non ualens, tanq; in Labyrinthũ incidiſſet, quoad orta die iam deprehenſus eſt,ea tenens quæ furto abſtulerat: ac tum quidem comprehenſus,plagas non paucas recepit,nec temporis multum ſuperſtes

malus male perijt: uapulãs, ut dicebat, ſingulis noctib⁹: adeo ut uibices poſtridie apparerẽt in corpore. I nũc & poſt iſta quoq; Tychiades Pelichum ride, ac me tanq; coætaneũ Minoi iam delirare puta. At ò Eucrates, inquã ego, quàm diu æs erit æs, operiſq; plaſtes Demetrius Alopecenſis fuerit: qui nõ deos, ſed homines fingere conſueuit: Pelichi nũquã ſtatuam uerebor: quippe qui nec ipſum etiam uiuentẽ, ſi mihi minaretur, admodum timuiſſem. Ad hæc medicus Antiochus. Et mihi ò Eucrates, inquit, Hippocrates æreus eſt magnitudine fermè cubitali: qui tunc dumtaxat quum lucerna extincta ſit, totam in orbem domũ ambit: perſtrepens ac pyxides euertens, pharmacáq; commiſcẽs, atq; oſtia circumuertens: maximéq; ſi quãdo ſacrificia prætermittimus: quibus in ſingulos annos ei ſacrificamus. Poſtulat ergo, inquam ego, etiã Hippocrates medicus iam ut ſibi ſacrificetur: indignaturq; niſi in tempore iuſtorum ſacrificiorum epulis accipiatur: quem nimirum decebat, boni conſulere, ſi quis ei libauerit, aut mulſum inſperſerit, aut caput coronauerit. Audi ergo, inquit Eucrates: iſtud certe etiam teſtibus probauero, quod ante annos quinq; uidi. Erat fermè uindemiæ tẽpus. Ego uero in agrum circa meridiem uindemiatum dimiſſis operarijs, in ſyluam ſolus abibam: cogitans interim quiddã atq; cõſiderans. At poſtquam in ſaltum perueni: canũ primo latratus inſonuit. Ego uero Mnaſona filium meum, cum æqualibus uenientem, ludere uenariéq; (quẽadmodum ſolebat) conijciebam. At res haudquaq; ſic ſe habebat: uerum paulopoſt facto terræmotu, ſonoq; uelut è tonitru, mulierem aduenientẽ uideo terribilem: proceritate fermè ſemiſtadiali: habebat autem in ſiniſtra facem: in dextra uero gladiũ uiginti circiter cubitorũ. Et inferne quidẽ pedibus erat ſerpentinis, ſuperne uero Gorgonẽ referẽs uultu uidelicet, atq; aſpectus horrore: pro coma quidem draconibus, tanq; cæſarie circũcincta: alijs collum amplectẽtibus, alijs etiam per humeros ſparſis. Videte, inquit, amici quo pacto etiam inter narrandum exhorrui: & ſimul hæc dicens Eucrates, oſtẽdit omnibus brachij ſui ſetas erectas metu. Ion ergo ac Dinomachus, & Cleodemus uehemẽter inhiantes auſcultabãt eum uiri ſenes, tanq; naribus traherentur, adorantes apud ſeſe tam incredibilẽ Coloſſum: mulierem ſemiſtadialem, gigantëum quoddã Mormolycium. Ego uero conſiderabam interim, cuiuſmodi erant hi qui cum iuuenibus ſapiẽtiæ nomine uerſentur, uulgoq; in admiratione habeantur: quũ ſola nimirũ canicie barbáq; ab ipſis differant infantibus: Cæterũ etiam illis ipſis facilius ductiles ad credenda mendacia. Dinomachus ergo, dic mihi, inquit Eucrates: illi canes deæ, quanta magnitudine erant? Elephantis, inquit, ille proceri

ores

ores Indicis,nigri & ipſi hirſutiq; ſordido ſqualidóq; uillo. Ego igitur quum uiderẽ, reſtiti,inuerſo protinus in interiorem digiti partẽ (qđ Arabs mihi dederat)ſigillo.Hecate ergo percuſſo draconicis illis pedibus ſolo,hiatum effecit maximum:& qui immani magnitudine penitus æquaret tartarum.Deinde paulo poſt abiit in eum deſiliens. Ego uero præſente animo porrecta ceruice inclinatus,inſpexi apprenſa arbore quapiam,quæ uicina ſtabat,ne obortis mihi tenebris ac uertigine,in caput præceps inciderem,deinde cõſpexi ea quæ in inferno ſunt omnia:pyriphlegetontem,lacum, Cerberum,manes: adeo ut quoſdã etiam eorum agnoſcerem. Patrem ergo meum manifeſte cernebã adhuc his ipſis amictum, quibus eum ſepeliuimus. Quid agebant (inquit Ion) ò Eucrates animæ? Quid aliud,inquit ille, quàm per tribus familiaſq; cũ amicis cognatiſq; uerſantur:in Aſphodelo collocati? Cõtradicant ergo etiam nunc (inquit Ion) Epicurei ſacro Platoni, eiuſque de anima rationibus.At tu nonne Socratem etiam ipſum Platonemq; uidebas inter manes? Socratem (inquit) uidi: neq; illum tamen euidenter,niſi quod inde conieci,quoniam caluus, ac uentricoſus erat. Platonem uero non cognoui: nam apud amicos nimirum uera fateri oportet.Simul ergo atq; ego omnia conſpexi, & hiatus coiit, & ex famulis meis quidam quærentes me,atq; in his Pyrrhias hic,ſuperuenere hiatu nondum plenè obducto:dic Pyrrhia, an non uera narro? Per Iouem (inquit Pyrrhias) & latratum audiui per hiatum: & ignis quidem à face mihi ſuffulgere uidebatur.Tum riſi ego profecto, teſte latratum ignemq; in cumulum addente. Tum Cleodemus:haud quaquam noua iſta,inquit,neq; alijs inuiſa uidiſti. Nam & ipſe haud ita pridem quum ægrotarem tale quiddam conſpexi.Proſpiciebat mihi curabátq; Antigonus hic,ac ſeptima dies erat:febriſq; ò qualis? incendio certe uehementior.Omnes ergo me relinquentes ſolum, clauſis foribus foris manebant. Sic enim iuſſeras Antigone: ſi quo pacto poſſem obdormiſcere. Tunc igitur aſtitit mihi iuuenis quidam uigilanti: pulcher admodum,ueſte circumamictus candida. Ac me quum excitaſſet,per hiatum quendam ducit ad inferos: ſicuti ilico cognoui: Tãtalum quum uiderem ac Tityũ Siſyphũq;. At cætera uobis quid cõmemorẽ? Poſtq; uero ad tribunal perueni (aderat autẽ & Aeacus, & Charon,Parcæq; atq; Erinnes) quidam uelut rex (Pluto certe mihi uidebatur)aſſedit ſingulorũ nomina percenſens,qui morituri erãt: quos diem iam uitæ præſcriptũ præterijſſe cõtigerat. Iuuenis ergo me, adducẽs illi exhibuit. At Pluto tunc incãduit,& ad eũ qui me ducebat, nondũ illi cõpletũ eſt ſtamen,inquit. Abeat ergo. Tu uero fabrũ De-

mylum adduc: iam ſiquidem ultra colum uiuit. Tum ego lætus recurrens, ipſe quidem iam febre liber eram: denunciabam uero omnibus, quod Demylus eſſet moriturus. Manebat autẽ nobis in uicinia ægrotans, etiam ipſe nonnihil ut renunciatum eſt. Ac paulo poſt audimus eiulatum eorum qui lugebant eum. Quid miri eſt, inquit Antigonus? Ego etenim quendã noui poſt uigeſimum diem quàm ſepultus eſt, reſurrexiſſe. Nam hominẽ & anteq; moreretur, & poſtq; reſurrexit, ipſe curaui. Et quo pacto (inquam ego) in diebus uiginti, neq; tabuit corpus, neq; præterea fame corruptũ eſt, niſi fortaſſis Epimenidẽ quempiam tu curaſti? Hæc quum diceremus, protinus ingrediebantur Eucratis filij è palæſtra redeuntes. Alter quidem iam ex ephebis exceſſerat, alter uero annos natus erat circiter quindecim. Tum ſalutatis nobis iuxta patrem adſidebant in lecto, ac mihi quidem ſella illata eſt. Tum Eucrates tanq; è conſpectu filiorum admonitus: ſic his frui mihi contingat, inquit, ſimulq; manum eis iniecit, ut apud te Tychiades uera narrabo. Felicis memoriæ uxorem meam horum matrem nouerunt omnes, quo pacto dilexerim: Nam declaraui his rebus quas in eam feci, non modo dum uiueret: uerum etiam poſtq; uita functa eſt. Quippe qui mundũ eius uniuerſum ueſtẽq; qua dũ uiueret, oblectabatur, in rogum illius iniecerim. Septima uero poſt mortẽ die, ego quidem hic in eundem lectum incumbebã: quemadmodũ nunc, luctum eum mihi cõmitigans, quem de illa conceperam. Legebam enim tacitus Platonis illum de anima libellum. Ingreditur interim Demenete ea ipſa, atq; adſidet iuxta: quemadmodũ nunc Eucratides hic, minorẽ deſignans filium. Hic uero ilico tremuit admodũ pueriliter, ac dudũ ad narrationem pallebat. Ego uero (inquit Eucrates) ut conſpexi, amplexus eam ſingultim lachrymabam. Illa uero me uociferari non patiebatur, uerum incuſabat me, quod quum ei fuiſſem in reliquis gratificatus omnibus, è ſandalijs aureis alterum non cremaueram, ſupereſſe autem id dicebat, quod ſub arca ceciderat: atq; ob id nos quum non inueniremus, alterum tantum cremaueramus. Nobis autem adhuc diſſerentibus ſceleſtiſſimus quidem caniculus, qui mihi in delitijs erat, in lecto cubans allatrabat, ea uero ad latratũ euanuit. At ſandalium ſub arca repertum eſt: poſteaq; à nobis incenſum. An hæc etiam Tychiades recuſabis credere, quum tam ſint euidẽtia, quotidieq; obſeruẽtur? Per Iouẽ, inquã ego, digni fuerint, qbus aureo ſandalio nates puerorũ more feriantur: ſi qui iſta non credant, atq; uſq; adeo impudenter uero reſiſtant. Interea Pythagoricus intrabat Arignotus comatus ille, ab aſpectu uenerabilis, Noſti illum doctrinæ nomine celebrem: qui cognominatur ſacer. Atq; ego quidem, ut eum conſpexi, reſpiraui: hoc

ipſum

ipſum,quod prouerbio dici ſolet,aduenisse mihi ratus:nempe ſecùrim quampiam aduerſus mendacia:Occludet,inquã,eis ora uir ſapiens:adeo monſtroſa narrãtibus:atq; prorſus, iuxta uulgatũ illud adagium, repente deum immiſſum eſſe mihi hunc à fortuna putabam. Hic uero poſtq; adſedit:aſſurgente ei ac cedente Cleodemo,primũ de morbo percontatus eſt,ſéq; audiſſe dicebat,Eucratẽ iam ſe melius habere. At quidnã inquit,inter uos philoſophamini? Nã interim dũ ingrediebar ſubauſcultaui,ac mihi certe uidemini in re quapiam pulchra conuerſari. Quid aliud,inquit Eucrates,quàm ut huic adamãtino perſuadeamus (me demonſtrans) ut dæmones credat aliquos eſſe, phantaſmataq;,ac mortuorũ animas ſuper terrã obambulare, & ſeſe quibus libitum fuerit oſtendere? Ego igitur erubui,uultumq; deieci reueritus Arignotum. At ille,uide (inquit) Eucrates num hoc dicat Tychiades. Eorum tantũ qui uiolenter interierint,animas errare,ueluti ſi quis ſuffocatus,aut capite truncatus,cruciúe ſuffixus fuerit, aut alio quopiam iſtiuſmodi modo è uita diſceſſerit,eas uero quæ fatali morte naturaliq; diſceſſerint,haud quaq; amplius oberrare. Nam ſi hoc dicat,non uſq; adeo abſurda dixerit. Per Iouem inquit Dinomachus,ne eſſe quidem iſtiuſmodi,nec præſentia cerni putat. Quid ais,inqt Arignotus? in me torue aſpiciens,nihil horum tibi uidetur fieri? præſertim quum omnes (ut ita dicam) uideant? Ignoſces,inquã ego, mihi,ſi nõ credo, nam ſolus omniũ non uideo. Quod ſi uidiſſem,profecto & credidiſſem quemadmodũ & uos. Atqui,inquit ille,ſi quando Corinthũ uenieris,roga ubi ſit Eubatidæ domus, Atq; ubi tibi fuerit indicata, nempe circa Craneũ,in eam ingreſſus, dic ianitori Tibio,uelle te uidere,unde dæmonem Pythagoricus Arignotus quum adduxiſſet,abegerit,ac deinceps habitabilem domũ reddiderit, Quidnam hoc erat Arignote? rogabat Eucrates. Inhabitabilis erat, inquit ille, diu propter terricula, quod ſi quis inhabitaſſet,expauefactus ilico fugiebat exactus à quodam horrendo ac terribili ſpectro. Deciderat ergo iam, tectumq; rumpebatur,neq; quiſq; erat omnino qui in eam ingredi fuerit auſus. Ego uero ubi hæc audiui,libellos ſumens (Sunt autem Aegyptij mihi de talibus rebus admodũ multi) ueni in domũ circa primã uigiliã,dehortante hoſpite,ac fermè detinente,poſtq; didicerat quo iturus eſſem,in certũ,ut putabat exitiũ. At ego ſumpta lucerna ſolus ingredior,atq; in uaſtiſſimo atrio collocato lumine,humi ſedens tacite legebã. Adeſt uero dæmon ille,cum quopiã è uulgo ſe congreſſurũ ratus, ac me quoq; quemadmodũ alios perterriturum ſquallidus,hirſutus, ac tenebris nigrior. Atq; hic quum adſtaret, undiq; me adſultim petens tentauit,ſi qua poſſet expugnare,ac modo in canem, modo in taurum, modo in leonẽ

leonẽ uertebatur. At ego correpto in manũ quàm maxime horrendo carmine, ſimulq; uocem imitatus Aegyptiam, & incãtans eum in domicilij tenebroſi angulum quendã compuli. At quum animaduertiſſem, ubi ſe in terram cõdidit, tum deſtiti. Mane autẽ deſperãtibus uniuerſis, ac me quemadmodũ alios mortuũ ſeſe reperturos putantibus, præter omniũ ſpem progrediens. Eubatidem adeo, feliciter illi adnuncians, quod puram ſibi ac ſpectris liberam domũ iam liceret incolere. Atq; illum aſſumens aliosq; multos (ſequebantur autẽ huius inopinatæ rei gratia) quum ad locum duxiſſem, ubi condentẽ ſe dæmona cõſpexerã, iuſſi ut ſumptis ligonibus matuliſq; ſuffoderent. Atq; ubi id fecerant, inuentum eſt ferè ad paſſum defoſſum cadauer quoddam marcidum, oſſibus tantum humana ſpecie cohærentibus: Illud igitur effoſſum ſepeliuimus, domus uero poſtea turbari pdigijs deſijt. Hæc ubi narrauit Arignotus, uir prodigioſa ſapientia, ac reuerendus omnibus, nemo erat ex his qui aderant, qui non multã mihi imputaret inſaniam, qui talia non credam, narrante præſertim Arignoto. Ego tamen nihil ueritus neq; comam, neq; illam quam de eo habebant opinionẽ. Quid hoc inquam Arignote? Etiam tu talis eras, in quo mihi ſola ſpes fuit, fumo plenus ac ſimulacris? Illud ergo nobis in te quod dici ſolet, euenit: ut theſaurum quum ſperauerimus, carbones offenderimus. At tu, inquit Arignotus, ſi neq; mihi credis narranti, neq; Dinomacho, aut huic Cleodemo, neq; ipſi Eucrati, dic age quemnam digniorem, cui his de rebus fides habeatur, exiſtimas: qui nobis dicat cõtraria? Per Iouem, inquã ego uirum apprime mirabilem Abdera oriundum illum Democritum, cui tam firmiter erat perſuaſum eiuſmodi nihil eſſe in rerũ natura poſſe, ut quũ ſe in monimẽto extra portas clauſiſſet, ibiq; degeret dies noctesq; ſcribens atq; cõponens, iuuenesque eum quidã illudere cupientes ac perterrefacere, nigra ueſte in modum cadaueris ornati, ac perſonis in capita adfictis circũſiſtentes, illum circũ ſilirent, crebro ſubſilientes: hic neq; eorum cõmenta pertimuerit, neq; eos omnino reſpexerit, ſed inter ſcribendum: deſiſtite, inquit ineptire. Adeo firmiter credidit animas nihil eſſe poſtq; è corporibus exierint. Hoccine ais, inquit Eucrates, dementẽ quempiã uirũ eſſe Democritũ? ſiquidẽ ſic exiſtimauit. Ego uero uobis etiam aliud referã, quod mihi ipſi contigit, non quod ab alio acceperim, fortaſſis etiam tu Tychiades quum audieris, compelleris accedere, ipſa narrationis ueritate coactus. Quum in Aegypto uerſarer adhuc adoleſcens, à patre uidelicet doctrinæ gratia tranſmiſſus, cupiebam nauigio profectus in Coptum illinc adiens Memnonem, miraculum illud audire, eum uidelicet ſonum reddentem ad oriẽtem ſolem. Illum igitur audiui non hoc

uulga

uulgari modo, quo audiunt alij ſonum quempiam inanem, ſed mihi oracula etiam ædidit Memnon ipſe aperto ore ſeptem uerſibus, quod niſi eſſet ſuperuacaneum, ipſos uobis uerſus recẽſerem. Inter nauigandum uero incidit in nos una nauigãs uir Memphiticus quidam, ex ſacris illis ſcribis, mirabili ſapiẽtia, & qui uniuerſam Aegyptiorũ doctrinam callebat. Dicebatur autem tres ac uiginti annos in adytis ſubterraneis manſiſſe, Magiam interea doctus ab Iſide. Pancratem dicis (inquit Arignotus) præceptorem meum, uirum ſacrum, raſum, lineis indutum, doctum, pureq; lingua Græca loquẽtem, procerum, ſimum, labijs promiſſis, cruribuſq; gracilibus. Illum ipſum inquit ille, Pancratẽ, ac primum quidem quis eſſet ignorabam. At poſtq; uidi eum, ſi quando in portum appuliſſemus, cum alia multa miracula facientem, tum crocodilis inſidentem agitaſſe, & cum feris uerſantem, illas uero reuerentes eum, caudiſq; adulantes, agnoui ſacrum quempiã uirum eſſe, paulatimq; comitate mea me in eius amicitiam ac familiaritatem inſinuaui, adeo ut omnia arcana cõmunicaret. Ac tãdem mihi perſuadet, ut famulis omnibus in Memphide relictis, ſe ſolus conſequerer, neque enim defuturos nobis miniſtros. Atq; ex eo tempore ſic uitam duximus. Quum in diuerſoriũ quodpiam ueniremus, homo accepto piſtillo, ſcobináue, aut peſſulo, ueſtibus implicans, quum in id carmẽ quoddam dixiſſet, effecit ut ambularet, utq; alijs oibus homo uideretur. Illud ergo abiens, & aquã hauriebat, & cœnam parabat, inſtruebatq;, atq; in omnibus cõmode ſubſeruiebat miniſtrabatq; nobis. Deinde poſtq; iã ſatis huius miniſterij fuit, ſcobinã rurſus ſcobinã, ac peſſulũ, peſſulũ aliud recitans carmẽ reddebat. Hoc ego uehemẽter conat9 nõ reperiebã, quo pacto ab illo expiſcarer. Nã id mihi inuidebat, quanq; in alijs eſſet facillimus. At quadã die in angulo quodã tenebricoſo clã illo deliteſcens ſubauſcultaui propius incantationẽ illam. Erat autẽ triſyllaba. Tum ille quũ piſtillo mãdaſſet quæ curanda erant, abijt in forum. At ego poſtridie illo apud forũ occupato, acceptũ piſtillũ quũ ornaſſem, ſyllabas illas ſimili modo pronuncians, aquã iuſſi ut hauriret. Tum impletã amphorã quũ tuliſſet, deſiſte inquã, neq; aquã amplius haurito, ſed rurſus eſto piſtillum. At illud mihi haud amplius iam obtẽperare uolebat, ſed aquã hauriebat cõtinue, quoad hauriẽdo totam domũ nobis impleret. At ego quũ reſiſtere huic rei non ualerem, timebam autẽ ne Pancrates reuerſus (id quod etiã euenit) iraſceretur, correpta ſecure piſtillũ in duas partes diſſeco. At utraq; pars amphoram ſumẽs hauriebat aquã, iamq; unius loco duo mihi miniſtri eſſe cœperunt. Interea Pancrates ſuperuenit, ac re intellecta illas quidẽ in ligna rurſus, quemadmodũ antẽ carmẽ erant, mutauit. At ipſe me clanculũ

relicto

relicto,neſcio quo clanculũ ſe ſubducens abijt. At poſſis iſtud etiã nũc inquit Dinomachus,hominẽ ex piſtillo facere? Per Iouem inquit ille, dimidia ex parte ſcio,nam in priorem formam nunc̃ à me reſtitui poteſt,poſtc̃ ſemel aquarius eſſe cœperit. Sed deferenda nobis domus eſſet aquæ iam impleta. Non deſiſtitis inquam ego, huiuſmodi monſtroſa narrare uiri ſenes? Alioqui horum ſaltem adoleſcentium gratia incredibiles iſtas ac terribiles fabulas aliud in tempus omittite, ne clanculum terroribus ac prodigioſis fabulamentis impleantur. Parcere ergo eis oportet,ne talia conſueſcant audire,quæ eos per totam uitã comitata perturbabunt,atc̃ ad omnem ſtrepitum meticuloſos reddent, poſteac̃ eos omnigena ſuperſtitione impleuerint. Recte admonuiſti me,inquit Eucrates,quum ſuperſtitionem dixiſti. Nam quid tibi Tychiade de rebus huiuſmodi uidetur: de oraculis loquor ac uaticinijs, & quæcũc̃ quidã numine afflati proclamãt, quæue ex adytis audiũtur? aut quæ uirgo numeris eloquens futura prædicit? an uidelicet nec talia credis? At ego quod anulum quendam ſacrum habeo, Pythij Apollinis imaginem exprimente ſigillo,quodc̃ hic Apollo mecũ loquitur,nõ dico,ne tibi uidear ad gloriam meã res incredibiles narrare. Cæterum quæ apud Amphilochum audiui in Mallo heroë, mecum diu differente,deumc̃ meis de rebus conſulente,tum quæ ipſe uidi, uolo uobis narrare. Deinde ex ordine & quæ uidi in Pergamo, & quæ audiui in Pataris. Itac̃ quũ ex Aegypto redirem domũ, audiremc̃ illud in Mallo uaticinium apertiſſimum, ſimul ac ueriſſimũ eſſe, tamen ſic oracula dare, ut ad rem reſpondeat his, quæcũc̃ prophetæ quiſpiam in ſchedulã inſcripta tradiderit, recte me facturũ putaui, ſi dum præternauigarem,experirer oraculum,deumc̃ de futuris quippiam conſulerem. Hæc adhuc Eucrate dicente, quum uiderem quàm longe res eſſet proceſſura,quodc̃ non breuem incepiſſet de oraculo Tragœdiã, ratus non expedire,uti ſolus contradicerem omnibus,relinquens eum ex Aegypto adhuc in Mallum nauigantem. Nam & intelligebã moleſtam illis eſſe præſentiã meam, utpote qui diſſentirem refelleremc̃ eorũ mendacia. Atqui ego abeo, inquam, quæſiturus Leonticũ,nam opus habeo cum eo congredi. At uos quandoquidẽ parum ſufficere uobis res humanas putatis,ipſos etiam deos denic̃ in fabularum uobis partẽ uocate. Atc̃ hæc ſimul ac dixi,diſceſſi. Illi uero alacres iam libertatẽ nacti,ut eſt ueriſimile,mutuò ſeſe epulis accipiebãt, ac mendaciis ingurgitabant. Talibus ò Philocles apud Eucratem auditis, uenio per Iouem inflato uentre,nõ aliter quàm hi qui muſto poti ſunt,opus habens uomitu. Tum libenter alicũde magno emerim pharmacũ aliquod,quod mihi obliuionem induceret eorũ,quæ audiui,ne me nonnihil

nihil earum rerum lædat inhærens memoria: nempe monstra, dæmones, atq; Hecates mihi uidere uideor. PHILO. Quin mihi quoq; ô Tychiade, tale quiddam hic sermo tuus attulit: aiunt etenim non solum in rabiem uerti, atq; aquam formidare, quoscunq; rabidi canes mordeant, uerũetiam si quem mordicus homo morsus momorderit, illum morsum quoq; non minus canino ualiturũ, atq; eum etiam eodẽ modo formidaturum. Quin tu ergo uideris, quũ sis ipse apud Eucratem â multis mendacijs morsus, mihi quoq; morsum illum communicasse, adeo mihi mentem dæmonibus impleuisti. TYCH. At bono animo simus amice, quum magnum aduersus huiusmodi res remedium habeamus, ueritatem rectamq; omnibus in rebus rationem, quo si utamur, nullis huiusmodi uanis stultisq; mendacijs turbabimur.

LVCIANI PHILOPSEVDVS SEV INCREDVLI, THOMA MORO INTERPRETE, FINIS.

LVCIANI DECLAMATIO PRO TYRANNICIDA, THOMA MORO INTERPRETE.

ARGVMENTVM DECLAMATIONIS.

Ascendit quidam in arcem, ut tyrãnum occideret: at ipsum quidem non inuenit, filium autem eius quũ peremisset, gladium reliquit in corpore. Tyrannus ingressus, ac filium iam conspicatus mortuum, eodem gladio se transfixit: is qui ascenderat, ac tyrãni filium interemerat, tanquam tyrannicida præmium petit.

DECLAMATIO.

Vum duos tyrannos iudices uno die peremerim, alterũ quidem iam ætate defectum, alterum uero florentem, eóq; ad scelerum successionem idoneum, adsum tamẽ unicum ob utrunq; præmium petiturus: idq; quũ solus omnium qui unquam fuere tyrannicidæ, sceleratos duos uno ictu sustulerim atq; macta uerim: filium quidem gladio, patrem uero animo illo quo in filium ferebatur, affectu. Tyrannus igitur ob ea quæ gessit, satis nobis supplicij dedit, quippe qui & uiuens filium spectauit occisum, & tandem (quod maxime præter omnem spem fuit) ipse sui

coactus est tyrannicida fieri. Filius igitur à me peremptus est, inseruiuit autem mihi, etiam mortuus, ad aliam mortem: nam qui uiuens iniurias unà cum patre fecit, mortuus patrem ut potuit interfecit. Qui tyrannidem ergo sustuli, ego sum: enimuero qui peregit omnia, meus est, ordinem tantum immutaui cædium, ac perimendi sceleratos nouaui modum: illum qui fortior erat, & qui ulcisci poterat, amolitus ipse: senem uero soli relinquens gladio. Ego igitur ob ista etiam amplius aliquid à uobis expectabam, sperabamq; me præmia pro peremptorum numero suscepturum, ut qui uos non præsentibus tantum malis eripuerim, sed futurorum quoq; metu liberauerim, ac certam uobis libertatem præstiterim, nullo hærede scelerum relicto. At interim tot rebus à me prædare æditis, in periculum uenio, ne à uobis nullo præmio donatus abeam, solusq; mercede frauder, quam leges à me seruatæ statuerunt. Hic itaq; meus aduersarius, nullo Reip. studio, sicut ait, istud agere uidetur, sed eorum cæde commotus, ut in eum qui mortis eis causa fuit ulciscatur. Sed uos iudices auscultate paulisper, dum tyrannidis mala (quanquam ipsi probe sciatis) expono: nam & hoc pacto melius beneficij mei magnitudine cognoueritis, & magis item gaudebitis, reputantes quibus estis malis liberati. Neq; enim quemadmodum alijs plerisq; iam sæpe accidit, ita nos quoq; simplicẽ tyrannidem & unicã seruitutem sustinuimus: neq; unius domini libidinem pertulimus, sed soli omnium quos unquam similis pressit infelicitas, duos unius loco tyrãnos habuimus, & in duplices miseri iniurias distracti sumus. At moderatior admodũ senex erat, & in ira mitior, & ad supplicia segnior, & ad libidines tardior: utpote ætate iam impetus eius uehementiam cohibente, & uoluptatum appetitiones refrenante. Et ad causas quidem facinorum inuitus à filio dicebatur impelli, quum ipse non admodum tyrannicus esset, nisi quod illi parebat: nam in filium (ut iam ostendit) propensus supra modu fuit. Omnia illi filius erat, illi obtemperabat: & iniuste fecit quicqd ille iubebat, & puniebat quos ille uolebat: in omnibus illi morem gerebat, ac denique sub illius tyrannide uiuebat, & ultroneus filij cupiditatum satelles erat. At iuuenis uero honore ætatis gratia patri cessit, & solo imperij nomine abstinuit: cæterum re ipsa tyrannidis caput ipse fuit. Firmitas quoque ac tutamentum principatus ab illo pendebat, quoniam & quod ex iniurijs prouenit, solus ipse fruebatur. Ille erat qui satellites ducebat, qui custodias regebat, qui subditos feriebat, qui insidiatores terrebat. Ille erat qui ephebos rapuit, qui nuptias temerauit, cui uirgines adductæ sunt: & si quæ cædes erant, si qua exilia, pecuniarum expilationes, tormenta, cõtumeliæ, hæc omnia

iuuenis

inuenis fiebant audacia: nã senex ipse obsequebatur, & comes in malis erat, & tantum filij scelera comprobabat. Et res quidem nobis intolerabilis facta est: nam quũ animi libidines ab imperio sumunt licentiam, nullum iniuriarum finem faciunt. At illud tamen nos urebat maxime, diuturnam, imò æternam potius futuram hanc seruitutem sciebamus, & tradendam per successionem Rempub. populumq;, alij post alium domino ac scelerato hæreditatem cessuram. Alijs profecto non parua spem hæc res facit, quod perpendere possunt, ac secum dicere: at iam cohibebitur, at iam morietur, ac paulo post erimus liberi. De illis uero nihil tale sperabatur, sed iam nunc paratum imperij cernebamus hæredem, quamobrem nec suscipere negocium audebat fortium quisquam, qui tamen eadem mecum cupiebant: sed desperabatur omnino libertas, & inexpugnabilis uidebatur tyrannis, cum necesse esset tam multos aggredi. At me nihil ista deterruerunt, neq; perpensa negocij difficultate detractaui, neq; periculum expaui. Solus quidem, solus aduersus tam fortem ac multiplicem tyrannidem, imò uero non solus, sed cũ gladio auxiliari conscendi, consorte etiam tyrãnicidij, mortem præ oculis habens, sed propriam tamen cædem cõmuni libertate compensans. Cum in primam ergo custodiam incidissem, ac satellites haud facile amouissem, obuium quenq; perimens, & quicquid obsisteret conficiens, in ipsum negocij caput ferebar, in ipsum unicum tyrannidis robur, in ipsam nostrarum calamitatum materiam, & in summa arcis custodia sistens, quum illum conspexissem sese generose defendentem atq; resistentem, uulneribus multis tamen interfeci, ac iam quidem sublata tyrannis erat, facinus confectum erat, atq; exinde protinus omnes liberi. Senex relictus est ille solus, inermis, custodibus exutus, magno illo satellite suo adempto destitutus, nec amplius ulla generosa manu dignus. Ibi ego mecum iudices talia cogitabam: totum negocium meum bene se habet: omnia peracta sunt, omnia strenue perfecta sunt. Quonam ergo iste qui supereſt plectetur modo? Me siquidem ac dextera mea indignus est: præcipue uero facinore tam splendido ac iuuenili & generoso confecto, cuius gloriam addita hac iam inerte cæde minuerem. Dignum autẽ quærere carnificem quempiam oportet, uerum post erumnam tum, ne & hanc lucrifaciat uideat, puniatur, appositum tantũ ensem habeat: huic ergo reliqua cõmitto. Hæc ubi statuissem, illinc amolior. Ille uero sicut ego ante diuinauerã fecit, ac tyrannũ interfecit, fabulæq; meæ supremũ actum addidit. Adsum ergo popularem uobis gubernationem adferẽs, & omnibus securitatem denuncians, ac libertatem feliciter ãnuncians. Nunc igitur fa-

ctis meis fruimini. Sceleratis enim (uti uidetis) arx uacat, imperat autem nemo, sed & honores tribuere licet, & iudicare, & ex legibus contradicere: atque hæc uobis ex me, atque hoc facinore meo profecta sunt: atque ex illa una cæde, post quam pater haud amplius uiuere potuit. Dignum igitur ob ista censeo, debitum à uobis mihi præmium dari, non quod studiosus lucri sim, aut qui parua magnipendam: neque quod ob mercedē de patria benemereri in animū induxerim, sed quod mea officia cupiam uestro præmio esse comprobata, ne despectus sit, neue inglorius fiat meus conatus, tanquam à uobis mancus, & præmio iudicetur indignus. At iste contradicit, & me præter æquum ait facere, qui honorari uelim, ac præmium referre: non enim esse me tyrannicidam, neq; factum à me quicquam secundum legem esse, sed facto meo quiddam ad præmium petendum deesse. Rogo igitur eum, quid reliquum à me desideras? non uolui? non ascendi? non peremi? non liberaui? num imperat quisquā? num iubet quisquam? num dominus minatur quisquam? num me maleficorum effugit quisquam? nō dixeris. Sed omnia pacis plena, & leges omnes redditæ, & manifesta libertas, & popularis gubernatio firma, & coniugia inuiolata, & pueri extra periculum, & uirgines tutæ, & festas agens ferias ob communem felicitatem ciuitas. Quis est igitur horum omnium causa? quis illa sustulit, ista præbuit? Etenim si me quisquam est hoc honore dignior, illi hac mercede cedo, ac præmio istoc abstineo. Sin uero solus ego cuncta pe regi, audens, periclitans, adoriens, interimens, puniens, alterum in altero ulciscens: quid mea calumniaris officia? quid ingratum erga me populum facis? At ipsum non occidisti tyrannum: lex autem tyrānicidæ præmium statuit. Interest ergo quicquam, dic mihi, an ipsum perimas, an mortis ei causam præbeas? Ego certe nihil puto, nēpe hoc solum legislator spectauit, libertatem & popularem statum, ac sceleratorū amolitionem, istud honorauit, istud gratia dignum censuit, quod factum à me non esse non queas dicere. Si enim illum occidi, quo occiso iste non potuit uiuere, ipse nimirū mactaui. Cædes mea manus illius erat. Ne nimium ergo curiose de mortis modo disputes, neque examines quomodo interîit: sed an amplius non sit, an per me est, quod amplius ille non est. Quandoquidem hoc quoq; mihi uideris excussurus, & sycophantam in benemerentes acturus, si quis non ense, sed lapide, ligno ue, aut alio quopiam modo peremisset. Quid uero si tyrannum fame obsessum, ad mortis necessitatē adegissem? etiam ne tum requireres meamet manu peractam cædem? alioqui deesse adhuc aliquid mihi ad legem implendam diceres? atq; id grauiore supplicio interfecto maleficō?

malefico? Vnum solum examina, istud interroga, in hoc curiosus inquire, quis facinorosorum supereſt? quis iniuriæ metus imminet? quæ uestigia calamitatum? Sin uero purgata sunt ac pacata omnia: sycophantæ est, modum rerum calumniantem, uelle præmio ipsis factis debito fraudare. Ego siquidem hoc quoque in legibus declaratum memini (nisi forsan ob longam seruitutem sim, quæ in illis dicuntur oblitus) causas mortis duas esse, siue quis ipse occiderit, seu si quis ipse quidem non occiderit, neque manu rem gesserit, coëgit tamen, atque occasionem necis dedit: æqualiter hunc etiam lex plectendum censet, atq; admodũ quidem iuste: nam præbitam interitus causam nihilo iudicauit ipso facto minorem, ac reliqua iam de modo necis quæstio superuacua est. Illum ergo qui sic occiderit, puniendum tanquam homicidam æquum censeas, absoluiq; nullo pacto uelis: qui uero eodem quo ille modo ciuitati benefecerit, indignũ benemeritis præmio duces? Neque enim istud possis dicere, me uidelicet id fecisse tantum: bonum autem exitum quendam temere nõ me id destinante, consequutũ. Quid ergo pertimuissem amplius, eo qui fortior erat interempto? Quid in uulnere gladium reliquissem, nisi idipsum omnino quod erat futurũ prædiuinassem? Nisi hoc fortasse dixeris, quod qui peremptus est, tyrannus nõ erat, neq; hoc nomen obtinebat, neq; multa uos ob id libenter si necaretur, præmia dedissetis: sed hoc nunquam dices. Ergo interempto tyranno, illi qui causam præbuit non reddes præmium? ô curiositatem, quomodo necatus est curas, quũ libertate fruaris, aut ab eo qui democratiam restituit, amplius aliquid postulas. Atqui lex (ut dicis) ipsum rerum caput examinat, media autem omnia ualere sinit, neq; ultra curiosius inquirit. Quid enim, qui in exilium tyrannum compulisset, non honorem iam tyrannicidæ tulisset? Imò ac ualde quidem iuste, nam & ille libertatem pro seruitute præstitit. At quod à me factum est, non exilium, nec redintegrandæ rebellionis metus, sed omnino perfecta sublatio est, & generis illius uniuersi internicio, ac totius mali radicitus excisio. Ac nunc per deos omnia mihi ab initio in finem usque (si uidetur) excutite, an prætermissum quicquam ad implendam legem fuerit, & an quicquam mihi defuit, quod adesse tyrãnicidæ debuit. Ante omnia igitur animum adesse generosum decet, atq; Reip. studiosum, paratumq; pericula pro cõmuni commodo subire, ac propria morte multorum salutem redimere: ergo ad id mihi quicquam defuit? An animo fractus sum? an periculo prospiciens, per quæ mihi uadendum erat detractaui? non id dixeris. Mane ergo in hoc solo, ac me finge ex eo solo quod uolui, atque isto consilio fui,

etiam si nihil inde boni proueniſſet, tamen ob mentem ipſam aſſurgentem præmium tanquam benemerentem petere, quum tamen ego non potuerim, ſed alius me ſequutus tyrannum occiderit, abſonum (dic mihi) aut abſurdum eſſet tribuere, maximéque si dicerem, ô uiri, uolui, cupiui, aggreſſus sum, atque animi mei ſigna dedi: ſolus honore dignus ſum. Quid tum reſponſurus eſſes? Nunc uero non id dico, ſed & aſcendi & periclitatus ſum, atq; innumerabilia priuſquàm adoleſcentem peremeram feci. Neq; enim rem uſqueadeo facilem eſſe ſuſpicemini, cuſtodiam ſuperare, ac ſatellites opprimere, unumq; tot uiros auertere. Sed fermè maximum in tyrannicidio, atque ipſum rei caput illud eſt. Nam ipſe quidem tyrannus, non magnum opus eſt, neque magno negocio conficiendum, neque expugnatu difficile, ſed ea potius quæ muniunt ac tuentur tyrannidem, quæ qui uicerit, is omnia peregerit: nam reliquũ quidem parum eſt. Siquidem iſtud ad tyrannum uſque penetrare, nequaquam licuiſſet mihi, niſi cuſtodum qui eos cingunt, ac ſatellitum omniũ uictori, ac niſi eos omnes prius deuiciſſem: Nihil amplius adiſcio, ſed iis rurſus immoror. Cuſtodias ſuperaui, ſatellites inquam, tyrannum incuſtoditum, inermem, nudum reddidi. Ob hæc ne honore tibi dignus uideor? an adhuc à me cædem poſtulas? Atqui ſi cædem etiam quæris, nec iſtud quidem deeſt. Neq; enim incruẽtus ſum, ſed perpetraui magnam ac nobilem necem iuuenis florentis atque omnibus metuendi, per quem etiam ille tutus ab inſidijs erat, quo ſolo confidebat, qui multorum loco ſatellitum ſuffecit. Quid tum ergo, num præmio dignus ſum? num tantarũ rerum honore fraudabor? Quid enim ſi ſatellitem unũ, ſi miniſtrum quempiam tyranni peremiſſem? quid ſi ſeruum honoratiorem? an non magnũ etiam hoc tibi uideretur aſcendere, atque in media arce, in mediis armis aliquem ex amicis tyranni conficere? Nunc autem etiam illum qui peremptus eſt conſidera, filius erat tyranni, imò tyrannus grauior, ac dominus inclementior, ac tortor crudelior, extortor uiolentior. Tum, quod maximum fuit, hæres omnium atq; ſucceſſor: poſtremo, qui in longum poterat noſtras calamitates extendere. Vis ne hoc me ſolum feciſſe, tyrannum autem ipſum adhuc ereptum fuga uiuere? Munus ob iſta peto, quid dicitis? nõ dabitis? Non illum quoq; ſuſpexiſtis? non dominus? non grauis? non intolerandus erat? Nunc uero etiam caput ipſum intelligite. Quod enim iſte à me flagitat, id quàm optime fieri potuit, peregi, ac tyrannum alterius nece necaui, non uulgariter, neque uno ictu, quod illi poſt tot ſcelera maxime fuit optandum. Sed dolore multo prius exagitans, & in oculis oſtendens miſere proſtrata, quæ illi fuerant

illi fuerant chariſſima, filium quanquam malum, tamen ætate florentem, ac patri ſimilẽ, ſanguine ac tabo plenum. Hæc ſunt patrum uulnera, hi legitimorum tyrannicidarum gladij. Hæc tyrannis crudelibus digna mors, hoc ſupplicium ſceleribus tantis debitum. Nam illico mori, illico neſcire, nullum tale ſpectaculum cernere, nihil habet tyrannica pœna dignum. Non enim ignorabam (te appello) non inquam ignorabam, imò nec alius quiſquam quantum ille erga filium gerebat affectum, & quod poſt illum uiuere ne paululum quidem dignaretur. Atque omnes fortaſſe patres ſunt in filios eiuſmodi. At hic certe aliquid ſupra cæteros habebat, idq; merito, quippe qui illum ſolum uidebat ducem ſeruatoremque tyrannidis, ſolumque pericula patris præoccupantem, ac firmitatem imperio præſtantem. Vnde etiam quanquã nõ ob amorem, at ob deſperationem ſaltem ſtatim illum ſciebam moriturum, quum cogitaret inutilem ſibi uitam futuram, ſecuritate quam illi filius præbebat ablata. Omnibus igitur illum ſimul circunſepſi, natura, dolore, deſperatione, terrore, ac temporum etiam futurorum metu. His in illum cõmilitonibus uſus ſum, & ad ultimum illud conſilium coẽgi. Interijt nobis orbus, afflictus, dolens, lachrymans, luctum lugens, breuem quidem, ſed qui patri ſufficiat, & quod grauiſſimum eſt, ipſe à ſeipſo, quod mortis genus omnium eſt miſerrimum, multóque acerbius quàm ſi inferatur ab alio. Vbi mihi gladius eſt? num quis illum agnoſcat alius? num cuiuſquam alterius telum eſt? Quis illum in arcem duxit? ante tyrannum quis uſus eſt? quis illum tyranno miſit? O enſis mecum communicans, rerum à me bene geſtarum ſucceſſor, poſt tot diſcrimina, poſt tot mortes deſpicimur, & indigni præmio uidemur. Si enim ob iſtud ſolum hunc à uobis honorem peterem, ſi dicerem, ô uiri tyranno mortem cupienti, actum inermi forte deprehenſo, meus iſte ſubſeruiuit gladius, atq; operam ſuam ad conſequendam libertatem cõmodauit omnibus, honore ac præmio indignum putaſſetis? dominũ tam popularis rei non retaliaſſetis? nõ inter benefactores inſcripſiſſetis? non inter ſacra gladiũ ipſum repoſuiſſetis? non ſecundũ deum illum coluiſſetis? Nunc mecum cogitate, qualia tyrannũ ipſum ante mortem & feciſſe, & dixiſſe ſit ueriſimile, quũ filium perimerem, ac uulneribus multis in parte corporis conſpicua perfoderem, quo uidelicet genitor ureretur, atq; aſpectu primo ſtupeſceret, miſerabiliter exclamauit atq; inclamauit patrem, non ut auxiliator eſſet aut commilito, quippe qui iam ſenex erat atque inualidus, ſed domeſticorum malorum ſpectator. Ego illinc digredior, totius quidem tragœdiæ au-

tor. Reliqui uero hiſtrioni cadauer, & ſcenam, & enſem, ac cætera quæ fabulæ ſupererant. At ille quum adeſſet, ac uideret filium quem habebat unicum, uix reſpirantem, lacerum ac morte plenum, uulnera quoq; illa denſa ac multa & letalia gerentem, ſic exclamauit: O nate, ſublati ſumus, interempti ſumus, tyranni cæſi ſumus: ubi iſte interfector eſt? ad quid mihi parcit? cui me reſeruat malo per te iam fili præmortuũ? niſi me forte utpote ſenem contemnit, & lente me perimere decreuit, ac mortem mihi producat, ut necem mihi faciat longiorem. Et ſimul iſta dicens, enſem quærebat: ipſe autem erat inermis, ut qui omnem in filio ſpem repoſuerat. At ne is quidem defuit, iamdudum enim à me ante præparatus erat, atque ad facinus futurum relictus. Ergo ex corpore euellens, & ex uulnere gladium eximens, iamdudum me occidiſti, peremiſti, nunc uero mihi finem facito: O enſis, inquit, patri lugenti conſolator ueni, atque infelicem ſenis manum adiuua, iugula tyrannum, perime, ac luctu ſolue. Vtinam in te prior incidiſſem, utinam ordinem cædis incepiſſem, cecidiſſem quidem, at ut tyrannus tantum, at ultorem ſperans, nunc uero ut orbus, nũc uero ut etiã carnificis egens. Et hæc ſimul dicens, uulnus intulit tremulus, impotens, cupiens quidẽ, inualidus tamen ad facinoris miniſterium. Quot ſunt iſta ſupplicia? quot uulnera? quot mortes? quot tyrannicidia? quot præmia? Et tandem uidiſtis omnes iacentem iuuenem, opus neque paruum, neque facile, ſenem uero illi circunfuſum, cruorem utriuſque inhærentem, atque illam libertatis & uictoriæ parentẽ Libitinam, & noſtri enſis operam: enſem uero ipſum inter utrunque monſtratum, declarantem quàm non indignus domino ſit, teſtantemque quod mihi ſit fideliter obſequutus. Hoc ſi ergo feciſſem, obſcurius fuiſſet, nunc uero redditur ipſa nouitate ſplendidius. Qui tyrannidem ergo omnem ſuſtuli, ego ſum: opus autem in multos diſtributum eſt, quemadmodum in fabula. Atque egi primas quidem partes ego, ſecundas uero filius, tertias tyrannus ipſe, enſis autem ſubſeruiuit omnibus.

LVCIANI TYRANNICIDAE, THOMA MORO INTERPRETE, FINIS.

Declamatio

DECLAMATIO THŌ

MAE MORI LVCIANICAE RESPONDENS.

On putauerā iudices, ei, qui (id quod ego nunc facio) publicam cauſam ſuſcepiſſet agendam, opus fore, ut quur id facere inſtituerit, rationem reddat: Neque enim ullum fore periculum, ne id malicia potius aggreſſus, quàm pietate uideatur, quum hoc certiſſimum præbeat magnæ integritatis argumentum, quod aliorum omnium commodis elegerit ſuo priuato labore conſulere. Quod quanquam omnes iſtiuſmodi cauſarum patronos merito poſſe exiſtimem ab omni calūmniæ ſuſpicione defendere, me tamen omnium meritiſſime, qui ut omnibus proſim, non ſolum hunc mihi laborem deſumpſi, ſed inimicicias etiam cum eo uiro contraxi, qui ſe tyrannos quoq; iactat occidiſſe. Sed quoniam nihil tam recte cœptum eſſe uideo, quod non improborum uellicet ac deprauet iniquitas, & quoſdam iam nunc muſſitantes audio, qui iſtius oratione perſuaſi, hoc meū officium in peiorem partem rapiunt, ſtatui iudices, uobis huius actionis meæ cauſas exponere, ne quis induſtriæ meæ malignus interpres eā dolori, odio, uel inuidiæ conetur aſſcribere. Ac primum, quid eſt quur tyranni mortem dolere puter? nam id iſte mihi nuper obiecit, probationē uero nullam attulit, dixiſſe tantū contentus, & credi ſibi ſine argumēto, ſine teſte poſtulat: imò, inquit, niſi doleres, niſi tyranni mortē ulciſci cuperes, mecū non contenderes. Ergo eo ſolo, lugere me tyranni mortem probas, quod tibi ob eius necem, præmiū iniuſte petenti, ego me iuſte oppoſui? Vis uidere quàm nihil dicis? Si te tyrannū occidiſſe probes, ego tecum litigare, nec ſi uelim poſſem, nec ſi poſſem uelim. Nunc uero quid aliud contra te dicturus ſum, quàm quod illū non occidiſti? Si tu interfeciſſes, nihil quererer, imò laudarē, admirarer, ac præmiū primus decernerē, nunc uero ideo tibi cōtradico, ideo tibi honorē denego, ideo aduerſor, ideo queror, qa tyrānū nō occidiſti. Num igit occiſum ꝑtinus dolere uideor? Oſtendiſſe potius iudices debuit, me tyrāno fuiſſe uel ſanguine cōiunctū, uel affinitate propinquū, uel beneficijs deuinctū, uel ſcelerum cōmunione fœderatū. At iſtorū quicq̄ ne fingere quidē potuit: ergo ſi neq; cognat⁹ illi, neq; affinis fui, ſi mea opera nunc̄q; in cuiuſc̄q; iniuriam uſus eſt, ſi ab illo beneficij nihil in me collatū eſt, ſi me acerba ſeruitute cū cæteris ſimul oppreſſit, ſi me illius interitus libertati uobiſcū unà reſtituit, qd cauſæ eſt ut illius mortem

lius mortem meæ salutis ac libertatis auspicium doleam? At odij certe tantundem causæ est. Nam quid egit quod odium in illum prouocaret meum? Primo tyranni filium interfecit: postea uero tyranno sibi manus inferente, iste præmium tanquam tyrānicida petijt: quorum alterum, puta quod iuuenem peremit, quāquam idipsum parum consulte, parumq; ex communi commodo fecerat, nisi dij nobis fuissent propitij, fecit ille tamen animo (quantum ego certe suspicor) non malo. Alterum uero, nempe quod præmium postulat quum non meruerit, ut nunc sunt hominum ingenia, non miror, & ignosco certe, modo possit auferre. Neutrum istorum odium in illum meum cōcitat. Extra hæc nihil unquam fecit, quod ad me ullo modo pertineat: ergo tam iniquus sim, ut hominē uix tandem satis aut de facie, aut fama notum, qui me nec re offenderat, nec uerbo læserat, gratis odio persequerer? Restat inuidiæ diluenda suspicio, quæ talis est, ut nullo malo carere uelim libentius. Nam quum omnia uitia sint suapte natura pernicioſa, nullum tamen est liuore pestilentius: quodq; pectus, cui semel insederit grauioribus tormentis exagitet. Nempe alterius fortunam, suum infortunium ducere, secundis aliorum rebus æstuare, alienis laudibus uti, aliena felicitate torqueri, an non summa miseria, non extrema dementia est? Itaque si à quoquam alio uitio iudices absum, ab hoc certe longissime absum. Cuius unquā fortunas impetij? Cuius res bene gestas eleuaui? Cuius laudibus unquam detraxi? Cuius famam labe respersi? Certe ab huius uitij suspicione si me mediocris ista fortuna mea non asserit, quæ non tam inops est, ut aliorum opibus ac præmijs inuideam, si me anteacta uita non uindicat: quæ non usqueadeo est rerum bene gestarum indiga, ut aliena debeam laude tabescere. At ipsa me herde causa prorsus absoluit, quæ talis est, ut potius omnium ueniam, quàm cuiusquam mereatur inuidiam. Quæso iudices, quod tandem odij signum, quod inuidiæ documentum præ me fero? Non prouoco, non irascor, non accuso, urbem tantū in ius uocatam ab illo defendo. Sed quur sedentibus ergo cæteris, ac tacentibus uniuersis, atque in his multis & clarissimis uiris, & autoritate præstantibus, & multo ad dicendum instructioribus, ego potissimum surgo, & petenti præmia contradico? Illi ipsi profecto quin mecum sentiant non dubito: & quin ex his plerique sint, qui hoc ipsum officium, nisi ego iam suscepissem, libenter fuerint obituri: neque tamen ideo culpandus sum, quod me pro patria primus obtulerim. Quicquid est, alieni silentij causas non debeo: me certe ad dicendum cum Reipublicæ causa, tum deorum immortalium respectus incitabat: nempe quum uiderem satis tenues

ærarij

ærarij nostri prouentus, & præsentem pecuniam nimis exiguam, tum instare multas necessarij sumptus occasiones, non ferebam uti ciuitas hoc insuper non necessario sumptu mulctaretur. Tyrannicidij præmium quantum sit non ignoratis, aomerito quidem: quod enim pretium satis grande sit, quo agri, foci, fortunæ, liberi, coniuges, salus, ac libertas omnium, postremo ipsæ deorum aræ atq; templa redimuntur? Quod quo maius atq; urbi onerosius est, eo magis à nobis prospiciendum est ne temere collocetur. Satis iudices, satis impensæ ac sumptus immi net, satis effundendū est, ut ærarium nostrum tam profunde non iste etiam cui nihil debemus, exhauriat. Præterea quum hoc tyrānicidium sola deorum clementia prouenerit, qui toties inclamati calamitatum tandem nostrarum miserti, crudelissimi nos iugo tyranni soluere, ac libertati reddere uoluerunt, non ferendum putaui ut ciuitas honorem gratiamq; diis merentibus ablatam, homini nō merenti tribueret. Totum autem hoc negocij fortunæ deorumq; benignitati deberi, huic nihil gratiæ, apertissimis argumentis docebo: quod dum facio, quæso iudices diligenter attendite. Tria sunt quorū iste quodlibet sufficere sibi ad hunc honorem consequendum putat, uel quod tyranni peremit filium, uel quod tyrannū tentauit occidere, uel quod pater filij nece commotus, ense quem iste reliquerat mortem sibi conscíuit. Ergo illius adolescentis cædes tyrannicidium uidetur? Quid ni? nempe & ille (inquit) tyrannus erat. Quis id credat iudices, urbem unam duobus suffecisse tyrannis? duos tyrannos inuicem cōcordes eadem incoluisse mœnia? unius urbis ambitu potuisse contineri, quorum alterutri uix uel orbis uniuersus suffecerit? Quisquis id credendum duxerit, is mihi parum uidetur tyrannicam considerare naturam: nam legitimæ quoq; potestates, ac non solum legibus gubernantes, sed etiam legibus obtemperantes, & tyrannide tanto interuallo mitiores, ambitione tamen ita uincuntur, ut nec uel intimorum amicorum uitæ parcant, potiusquàm eos habeant imperij sui consortes. Quis tyrannum credat natura ferum ac uiolentum imperij sui, cuius ardore hominum leges protriuerit, deorum contempserit, uitam neglexerit, socium quenquam admittere? Quin brutorum quoq; pleraq; fermè quæ (quod tyrannorū proprium est) rapto uiuunt, quibus solius pabuli cura impressit aliqua tyrannicæ naturæ uestigia, in proprios fœtus sæuiūt, potiusquàm socios illos uenationis accipiant. Et hominem tyrannum putamus, quem fastus inflat, ambitio stimulat, cupiditas urget, gloria sollicitat, suam cum quoq; posse cōmunicare tyrānidem? At iste nō solum duos tyrannos facit, uerum etiam adolescentem plusq; tyrannum uult uideri: nam ci-

uibus

uibus atroces (inquit) iniurias fecit,cæde,rapina,ſtupro, omnibus denique ſcelerum formis inſignis. Nomine quidem abſtinuit, cæterum re ipſa tyrannidis caput erat, ac parente plus potuit,eũ ut uolebat rexit. At longe contrà ſe res habet iudices:nimirum impotens ſemper ac formidoloſa res tyrannis eſt. Neque filius profecto patrem tuliſſet ſi poſſet, neq; filio tantum permiſiſſet pater ut poſſet. Nemo tyrannis eſt hærede ſuſpectior,qui eo maiorem parenti metum incuit,quo magis ferocem eius indolem ac tyrannicos mores expreſſerit. Continebat ergo filij ſui cupiditates,atq; adoleſcenti ſtringebat potius quàm laxabat habenas, ne uiribus nimium inualeſcens iuuenis, imperij auidus, atque opibus inſolens,nec ſibi iam imperans, tandem ne parenti quidem parceret,quin iam Saturno ſuperi Iouem præferrent. Nam ſi iniurias interdum fecit,quid aliud quàm ſe parenti ſatellitem præbuit? ex quibus quotus quiſq; eſt,qui non graſſetur,nuptias uiolet, domos compilet,phana diſpoliet, obuios cædat,atque optimum quenq; trucidet? Sed quoniam unus eſt, cuius potentia atque umbra freti, tam ſcelerata graſſantur audacia,pœnas alioqui facinorum ſuorum uel illi, uel publicis legibus daturi, ipſi quidem latrones, homicidæ, fures, adulteri. Solus autem unus ille ſcelerum princeps, ſub cuius nomine omnes impune deliteſcunt,tyrannus eſt. At ille adoleſcens ſi quando patrabat aliquid atrocius,patrem ſemper ſic imperaſſe dicebat, neque ego quin imperarit dubito. Nam filius quanquam ea indole fuit, ut parentem aliquando uideretur (ſi ad tantam peruenisſet ætatem) flagitijs ac ſceleribus æquaturus,tamen in hac adoleſcentia præ illius crudelitate ac fæuitia quibus iam à puero ſemper aſſuetus inſenuerat, rudis adhuc miles,ac uix tyro fuit,neq; ferè magnum quicquam,niſi à patre iuſſus atq; edoctus agebat. Sed ſiue non niſi iuſſus illa faciebat, ſiue ipſe etiam iniuſſus audebat, tamen quum tanquam iuſſus egerit, quum neq; tyranni nomen uſurpatit,neq; ſe pro tyranno geſſerit,ſed patri ſe parere ſignificarit,& auſorum ſuorum cauſas in illum retulerit, quum aliũ ſe potentiorem eſſe confeſſus ſit, cuius uiribus fideret, à quo omnis eius penderet impunitas:furem ſi uelis,aut ſacrilegum, uel ſi quod aliud nomen mauis,appelles:at is profecto non eſt,in quo fieri tyrãnicidium poteſt. Quod ſi illum omnia ſolum potuiſſe,ac te ipſa tyrannum fuiſſe contendas, & (quod paulo ante iactabas) illico eius morte liberam fuiſſe rempublicam, fingamus obſecro adhuc parentẽ uiuere,ſed non fugatum tamen,quod neſcio quur ipſe finxiſti,quippe quem nec ipſe fugaueras,neq; quur ei fugiendum eſſet effeceras. Filio enim tantum per inſidias adempto,reliquis uiribus integris, nõ uideo

quur

quut patri magis desperandum, aut fugiendum fuerit, quàm si aut filius ei natus non fuisset, aut peste correptus obijsset. Patrem ergo fingamus (ut dixi) uiuentem, ac filio quidem unico orbatum, sed satellitum tamen caterua cinctum, cædem filij lachrymantem: sed interfectori minantem, atq; omnia suppliciorum genera destinantem, in forum uultu tristi quidem, sed tamẽ truci procurrere, & prolato quem tu reliquisti gladio, ingentia polliceri præmia, si quis eius ensis dominum prodiderit: hic tu foro iam ab illo, atq; eius satellitibus occupato, & in caput tuum quæstione iam haberi cœpta, in publicum fortis Tyrannicida procurre, & in medios globos irruẽs Tyrannum te occidisse proclamita, libertatem omnibus denũcia, ac Tyrannicidij præmium postula. Quid fugis? Quid latebras quæris? Quid Tyrannicida metuis? An non libera est respublica? An non Tyrannus occisus est? Neque ergo is quem peremisti Tyrannus erat. Sed quidam potius Tyranni satelles, neq; eius morte ciuitas libertati restituta est, quod solum paulo ante dicebas huius legis spectasse latorem. At hæredem (inquit) occidi. Quid mihi hæredes nominat? Quid in Tyrannide leges memorat? Legũ ista nomina sunt. Iuris est ista successio. An Pyratæ filium si demortui patris locũ impleuerit, hæredem quisq; dixerit? Intestatus semper Tyrannus moritur, quippe legibus ab illo captiuis, quæ solæ ratũ facere testamentum possunt. Proinde qui defuncti locum Tyranni subit, hæres non est, sed nouus Tyrannus. Non enim succedit, sed inuadit. At illi nunc paruissemus. Istud qui constat? Ego contra Tyranno mortuo populum ilico liberum esse dico. Alioqui frustra lex Tyrannicidæ præmium statuit, si alterius morte in alterius potestatem recidimus. Sed longe secus iudices, defuncto enim quolibet casu Tyranno, populus iam tum liber dum amici luctu occupantur, dum stupent eius morte satellites, ilico sese in libertatem asseruisset, neque plus filius aduersus populi uires tum ualuisset, q̃ nunc potest quisq̃, uel ex amicis Tyranni potẽtissimus, aut genere quisquis ei fuit post filiũ proximus, ad quem, si successionis nomen, atq; hæreditatis audiendum est, tam nunc Tyrannis pertinet, q̃ ad filium pertinuisset. Qui satellitem igitur, qui amicum, qui cognatum, qui filium Tyrãni peremerit: frustra tyrannicidium iactauerit. Tyrannus ipse solus est, cuius necem tanto præmio respublica mercatur. Sed uolui, (inquit) pertentaui, periclitatus sum, quod negari ne possit, filio tyranni perempto, spe futuræ tyrannidis extincta, præclarum animi mei documentum reliqui, uel hoc solum sufficere mihi ad hunc honorem puto. Hic uide obsecro q̃

nihil maliuole,quàm ſimpliciter agam tecum omnia, & ex re tua to-
tum hoc negociũ minime ſuſpitioſus interpreter. Nam ſi alius hanc a-
geret cauſam,nec tamẽ ex inimicis tuis,ſed ex acrioribus iſtis actoribus
quiſpiã qui locos omnes excutiũt,& ſuſpitionibus urgẽt, ac moleſte ni-
miũ premunt,ſic Hercules hũc tractaret locũ,ut te nec id tentaſſe unq́
nec deſtinaſſe contenderet. Quod ſi tu uociferarereris mirari te quenq́
tam inſigni eſſe impudentia, ut talia dicere occiſo in ipſo conatu tyrãni
filio audeat, hic ille protinus quaſi fieri non potuerit (inquit) ut non
patriam liberaturus, quod non præſtitiſti, non Tyrannum occiſurus,
quem non attigiſti: ſed ipſum potius iuuenem quem trucidaſti per-
empturus, aſcenderis:illa tam tibi priuatim, aliquam ulturus ac reta-
liaturus iniuriam. Hic ſi inſtaret, urgeret, premeret, ac certas aliquas
probationes illius animi tui ac propoſiti flagitaret, uides (ut opinor)
in quantas trahereris anguſtias. Sed ego tecum hoc pacto non agam,
quippe qui in rebus (cuiuſmodi iſta eſt) uehementer obſcuris, aſſueui
ſemper in meliorem partem eſſe prodiuior. Permitto itaq́ tibi, ut iſta
feciſſe animo in Remp. propenſo uidearis. Voluiſti ergo, ac tentaſti
prorſus auferre Tyrannidem. Hoccine tibi uidetur iſto præmio com-
penſandum? Primum quod uoluiſti,quis non uidet quàm ſit exigu-
um? Nam hac ratione omnes tyrannicidij præmium peteremus. Quis
enim tam frigido in Remp.animo fuerit, ut Tyrãnum crudeliſſimum
non libenter auferre uoluerit? Tentando uero quid aliud declaraſti,
quàm quod eſſe Tyrannicida uoluiſti? Quod te præterea periculis ex-
poſuiſti,an id præmium meruerit ullum, poſtea uidebimus: quod au-
tem iſtud non meruit, ſpero uobis iudices eſſe uel ſola legis recitatio-
ne perſpicuum. Quæ quum præmium niſi Tyrannicidæ non ſtatuat,
qui uero Tyrannum non ceciderit, eſſe Tyrannicida non poſſit: quan
tumlibet quiſpiam tentauerit, quantiſcunq́ ſeſe periculis expoſuerit,
fruſtra Tyranncidij præmium:niſi cæſo Tyranno, petierit. Nam ei
qui dum conatur occidere, in exilium compulerit,præmium quidem:
ſed neq́ tantum, neq́ tanq́ Tyrannicidæ decernam. Etenim ſi mor
bo quopiam laborans denunciem:quicunq́ me ſanauerit,ei recupera-
ta ualitudine, tria me talenta daturum,ueniat aliquis ſpe mercedis in-
ductus, qui mei curam ſuſcipiat:deinde medicamentis quibuſdam ad
hibitis, ubi fruſtra ſe conari ſenſerit: artem ſuam morbo uictam con-
feſſus, me iam deploratum relinquat:aliqua tamen moleſtiæ parte le-
uatum, ſanitatis illi mercedem, quia non ſanauit, non debeo: rurſus
quia profuit, inanem prorſus à me dimittere haud æquum eſt. At ſi
poſt

post mille pharmaca, nihilo tamen melius habentem destituat: præmij nihil meretur, qui nihil iuuit: gratiæ uero tantundem ferè: qui qđ mederi tentauit, sui gratia, non mei fecit. Quod si insigniter Medicæ artis ignarus, rem tamen aggredi fuerit ausus, atq; aliquantisper misere uenenis adfectum postea dimittat: quum iam non modo nihil opis tulit, sed plurimum doloris addidit: etiam si sese gratis obtulerit: utrū amore dignus est, quod me suo labore tam diu nulla præmij spe tam officiose uexauit? an summo potius odio, quod temere sese meo periculo ei negocio, cuius erat imperitus, immiscuit? Huic rei Iudices haud multum mihi uidetur præsens causa dissimilis. Lex enim Tyrannicidam conducere uehemēter alicunde studet: eiq; præmium certum, Tyranno cæso, pollicetur. Sed Tyrannicidam quum dicit Iudices, hominem quærit artificem: non manu tantum fortem, sed pectore quoque multo magis ualentem, consilio potius cꝫ uiribus præstantem: qui insidias tendere, laqueos abscondere, occasiones captare nouerit. Ergo hanc prouinciam siquis huiusmodi susceperit: qui Tyrannum ipsum arte ex insidijs adoriatur, adorsum opprimat, oppressum interimat: nec re cœpta semel, nisi perfecta desistat: hic Tyrānicidij præmium audacter postulet. Sin id quidem non potuerit, quod autem proximum est & confine, fecerit: Tyrannum uidelicet uel in exilium abegerit, uel ad deditionem condonata uita coëgerit, uel ad deponendam Tyrannidem certa conditione compulerit: hunc ego præmio dignum, neq; nullo quidem, neq; tamen Tyrannicidæ iudico. At si quis manu potens, mentis inops, illarum penitus ignarus artium, quibus instructum esse Tyrannicidam oportet: qui rem uiribus egere tantum, ac non consilio putet, qui deniq; Aiaci multo sit, cꝫ Vlyssi similior. Sed Aiaci tamen iam abiudicatis armis insanienti, armenta hominum loco trucidanti. Si huiusmodi, inquam, quispiam rem tantam conficiendam sibi desumpserit: tum nec insidias collocans, nec tempus eligens, nec occasionem expectans: impetu quodam proruat, nec ab ipso tamen Tyranno incipiat, sed in satellites eius insiliat, dato interim illi sibi cauendi loco. Tum subducto Tyranno: re temere cœpta, stulte gesta, per ignauiam relicta, ac penitus infecta: sola sibi fuga, abiecto etiā gladio, consulat. Postea uero uel defuncto, uel interfecto Tyranno, in publicum prodeat: præmium tancꝫ Tyrannicida postulet, atque huiusmodi utatur oratione. Volui Iudices, ausus sum, tentaui, periclitatus sum. Vtrum Iudices illi Tyrannicidij præmium decerneretis, quia Tyrannum tētauit occidere? an malā potius gratiam haberetis, ac dignū

etiam supplicio duceretis, quod sua temeritate non se solum frustra periculis obiecerat, sed urbem etiam uniuersam in summum discrimen una præcipitauerat: utpote qui Tyrannum stulte irritando fecerit, & ciuibus inuestiorem, & aduersus insidias cautiorem? Videtis ergo Iudices quemadmodum id quod iste uel solum satis esse cõfidebat, usq; adeo nihil adiuuat, ut etiam nonnihil officiat. Quamobrem si neque is, quem peremit, Tyrannus fuit: nec satis Tyranni filium occidisse fuit: tentasse uero temere, plus q; frustra fuit, reliquum est, ut ultimum illud, Tyranni uidelicet ipsius mortem, excutiamus: quam iste sibi nos debere disputat. Hoc totius negocij caput est, hoc si uobis iste persuaserit, causæ nihil est quin uicerit. Contráque si ego hanc partem euicero, atq; sacram hanc, quod aiunt, anchoram illi præcidero, nonne ilico necesse est fluctuet, ac naufragio pereat? Idcirco Iudices hic etiam atq; etiam obsecro: ut quàm maxime sitis attenti, dum Tyranni cædem doceo, ex qua tota ista pendet controuersia, nihil ad istum quicquam pertinere. Totum ergo hunc locum Iudices sic ab isto tractatũ esse meministis, ut qui uobis persuadere cuperet, uti credere tis eum iam tum quum filium perimeret, parentem quod postea fecit, præscisse facturum. Sciebam, inquit, satis esse filium occidere, sciebam patrem ilico sese post mortem filij perempturum. Imò sciebas certe, quum sic hanc causam ageres, opus esse tibi ut illa præscisse uidereris. Alioqui frustra te præmium Tyrannicidij petiturum: si neq; ipse Tyrannum peremisses, neq; id saltem fecisses, unde illi scires exitium imminere. Eam ob rem Iudices exitum eius facti tam certum uideri uoluit, ut uobis etiam audientibus dixerit, ob idipsum sese à Tyranno manum abstinuisse, eumque sibijpsi pariter & istius gladio reliquisse: quem alioqui, ut ait, facile potuisset occidere, fecisseq; , nisi de exitu securus scilicet, tunc de industria peperciisset, ut paulo post miserius interiret. Hic igitur quid faciam? quò me potissimum uertam? unde argumenta conquiram, quibus hunc probem non esse rerum futurarum præscium? Quin illum percontemur potius, ac rationes aliquas exigamus, quibus ille nobis fidem rei tam longe supra fidem faciat, unde hanc tam mirabilem diuinandi peritiam nactus sit, utrum ne homine quopiam docente didicerit, an numine potius inspirante conceperit. Dicigitur nobis Tiresia, quonam probamento facies, uti constet comprehensam esse tibi rerum futurarum scientiam? defossum alicubi thesaurum effode, cogitationes nostras euolue, abstrusum aliquid atque occultatum erue, quod miremur omnes: nempe eiusdem artis esse puto,

& quæ

& quæ præsentia latent edicere,& quæ sunt futura prædicere. Aut si tu futuris dūtaxat uales, aliqua nunc edissere aliquot post hoc annis: aut si libet, sæculis potius euentura: quæ quum ex tuo præscripto cecide-rint omnia, tum demum redito, & futura te præscisse dicito. Interim profecto ægre, quantum suspicor, obtinebis: ut quod te nesciente fiebat, id præscisse credaris anteq; fieret. Quod si tum, quum filium interimeres, ignorabas patrem sese, quod postea fecit, occisurum: quur tu nunc eius cædis præmium postulas, quam nisi uelis impudenter esse mendax, fateare necesse est, te ignorante, atq; adeo ne cogitante quidem, perpetratam esse? Sed ideo se fortasse putat huius etiam necis autorem: quoniam illa cædes quā fecit, istius quoq;, tametsi præter spem, causa tamē aliquo modo fuit. Qua in re uos longe alia Iudices opinor esse sententia. Neq; enim si Tyrannum casu quisq; aut mente captus occidisset, ei Tyrannicidij præmium decerneretis. Quid ita? Nempe quod inscius uterq; atq; imprudens occidisset, quanq; istius causa est aliquanto, ut mihi uidetur, inferior. Nam si alteruter illorum præmiū peteret, tametsi peteret qui peremisset ignarus: atq; ideo frustra peteret, peteret tamen qui peremisset: nunc uero & isto nesciente, & non ab ipso peremptus est. At nihil ego, inquit, neq; casu, neq; imprudens feci: sed filium consultò trucidaui, atq; ita patri uolens ac prudens mortis causam præbui: qui, ni ego filium occidissem, adhuc Tyrannus uiueret. Age accedam etiā propius. Si tu Tyrannum aggressus ut perimeres: deinde uictus ab eo, proiecto etiam gladio, fugeres, atque is equo te persequutus, equo collapso, præceps in gladium tuum tam oppor-tune caderet, ut eodem transfigeretur, an nō hic posses eadem omnia dicere, uoluisse te uidelicet, ac uolentem aggressum esse: uolentem igi tur prudētemq; causas ei mortis attulisse? nā nisi tu illum fuisses ador-tus, ille non fuisset occisus. Sed nónne uides: ut eadem opera, uel ma-gis fuga tua gloriari liceat, & ignauiæ tuæ præmium petere? Nam ni-si tu fugisses, ille non cecidisset: nisi tu gladium turpiter abiecisses, nec transfixus ille fuisset. Postremo hac ratione ignauos etiam Tyrannici-das esse liceat. Quemadmodum licet uolens adortus esses ut interime-res: tamen postq; re infecta fugisses, quod postea factum esset, tuum non iudicaretur: licet id factum non fuisset, nisi tu aliquid ante fecisses, ita etiamsi Tyrannum perempturus ascendisti, filiumq;, dum patrem quæris, occidisti: tamen cum pergere ac perficere quod incœperas, uel ti more non ausus sis, uel negligentia nolueris, uel casu non potueris: sed re prorsus infecta redieris, quicquid inde postea te inscio atque in-

ſperante prouenerit, id à te profectum eſſe ne dixeris. Siquidem quic̃quid tuum dici poteſt, ibi deſijt, ubi tu deſtitiſti. At nec iſtud fortaſſis ei quod ipſe fecit ſimile eſſe concedet. Sed mihi hoc pacto rurſus opponet. Is quem tu proponis, non ea mente Tyrannum aggreſſus eſt: ut ſe poſtea uicto ac fugiente, ille uictor dum perſequeretur, occumberet. Ideóque quod non propoſuit, merito ſuum uocare non poteſt. At ego eo propoſito peremi filium: ut pater ſeſe dolore commotus occideret: atque id facturum animo meo percepi. Videtis Iudices, ut nobis illa diuinatione ſua rurſus occurrit? Quæremus igitur ab eo, quonam pacto præſenſerit? præſciuerit ne? an coniecerit? Si ſe præſciuiſſe reſpondeat, neminem credo ei crediturum: ſin coniecíſſe, interim neſciſſe ſe fatetur: ſed opinatum eſſe tantum, hoc eſt, dubitaſſe, incertum fuiſſe: poſtremo quid aliud c̃ꝫ ignoraſſe? Sed uideamus tamen quibus ſignis, c̃ꝫ perſpicuis argumentis, rem tam inopinabilem ita collegerit euenturam, ut quod alius nemo ſperare potuiſſet, id ille ſibi tanquam certum atq; inopinabile propoſuerit. Noueram inquit, quàm miſere deperibat filium. Ita ne id tandem adeo te certum ac ſecurum reddidit: ut necem eius non tanc̃ꝫ forte ſecuturam, ſed neceſſario futuram deſtinares? Scio iudices, haud mediocres illos affectus eſſe, quos erga liberos parentum pectoribus inſeuit natura, neq; tamen aut tantos, aut cuic̃ꝫ tam exploratos crediderim: ut promittere ſibi ac ſpondere audeat, id quod iſte ſe feciſſe narrat, interempto filio patrem ultroneum ei comitem futurum. Nam quotuſquiſq; ex his, quorum filij & unici, & chariſſimi quotidie uel morbo cadunt, uel dolo pereunt, uel bello occumbunt, uel caſu intereunt, uſqueadeo mœrore conſternatur, ut ſibi mortem ſua ſponte conſciſcat? Sed amori, inquit, etiam deſperatio nõ minor occaſio deſiderandæ mortis acceſſit. Quamobrem obſecro, an tu quum filium perimeres, reliquos unà ſatellites omnes occidiſti? non dices, opinor, ſtragem te tantam feciſſe. Cæteros igitur adhuc retinebat: opum ſatis, uirium ſatis habebat. Quapropter uno adempto, quũ tot adhuc eſſent incolumes: quorum omnium intererat maxime hunc incolumem eſſe, quur ei uſqueadeo deſperandum fuit, ut non ab urbe, ſed ex orbe feſtinandum fuit. An uſc̃ꝫ gentium uiuere quenc̃ꝫ hodie ſuſpicemur, qui id feciſſet, quod Tyrannus iſte fecit. Quid de alijs quærimus? quin te potius interrogemus, quẽ ueriſimile eſt de te conjecturam hanc feciſſe, & Tyrannum ex animo tuo ſpectaſſe. Si tibi ergo filius perimeretur, atq; inſuper imminere uideretur nonnullum & fortunæ ſimul & uitæ periculum: num potius eligeres te comitem filio dare,

dare, quàm mortem illius ulciſci. An temet ipſe ne ab aliis occidereris, occideres? Certe, ut pro te quoque reſpondeamus, non faceres. Quomodo ergo in mentem tibi uenire potuit: ut quod nec alij fecerunt, nec quiſquam feciſſet, nec tute facturus eſſes, id Tyrannum cogitares facturum? At planè, inquit, cogitabam: alioqui cur ibi gladium meũ reliquiſſem. Recte nimirum ignauiæ tuæ nos admones. Nam cum hoc dicit Iudices: nonne id uobis uidetur dicere, præſenſi certe: alioqui cur inde fugiſſem? quid enim aliud eſt: alioqui cur gladium ibi reliquiſſem, quàm alioqui cur inde abiecto gladio turpiter me in pedes dediſſem. Nam quid opus fuit gladium Tyranno relinquere: Ne deeſſet ei ſcilicet, quo periret? Itane qui omnium gladios timet, ipſe gladio caret. Qui quicquid habet, gladio peperit, gladio poſſidet, gladio tuetur, ei gladius unquam abfuerit. O nouum prodigium Iudices, Tyrannus ſine gladio. Neque illi gladius defuit, nec iſte gladiũ ei reliquit, ſed abiecit: nec futurum quod euenit, uel leuiſſima coniectura præuidit. Sed poſteaquam in arcẽ temere (neſcio quomodo) perrepſiſſet, atque ibi adoleſcentem (ut eſt iuuenta ſemper incautior) ſolum, ſecurum, ac nihil minus expectantem, de improuiſo adortus oppreſſiſſet: ac potuiſſet fortaſſe progreſſus, ulterius eadem opera Tyrannum ſuſtuliſſe: illico hominem timor inuaſit, metuentem ne uoce uel gemitu morientis audito, iam tum proditus concurrentibus Tyranni ſatellitibus, caperetur. Iam ante oculos eius obuerſabantur uincula, carcer, tormenta, ac mortes mille, mille ſupplicia: quorum imaginatione uana perterritus, iam ſtrepitum omnem, omnem ſonitum, ac poſtremo ſuam ipſius umbram expaueſcens: tam nunc repente timidus, cũ ante temerarius, ex arce ſe proripuit: nec ſecum gladium ſaltem tollere auſus eſt: ſeu ne eſſet fuga tardior, ſeu ne cum enſe deprehenſus, inſidiatus fuiſſe Tyranno diceretur: quo nunc perempto recurrit inſolens, & tanc̃ ipſe occiderit, Tyrannicidij præmium poſtulat. Age ergo Tyrannum ipſum non quæro an peremeris: hoc tantum quæro, an peremiſſe potueris. Si non potueris: ergo occaſionem non expectaſti, locum idoneum non elegiſti, tempus opportunum non captaſti: ſed temere, ſine conſilio, ſine ratione, præceps incepiſti, quod perficere non ualuiſti. Nec illum ergo te iactes occidiſſe, quem te fateris nec potuiſſe. Sin potueris: magnæ profecto uel inertiæ, uel ignauiæ fuit, quod nõ feceris. Imò, inquit, potui: ſed de induſtria ſuperſedi. Satis iam feceram, filium occideram: patrem dolori ſuo, & gladio meo reliqui, quo eum

ſeſe peremptũrum præuidi. O inuerecũdum, ſi iſta mentiris. O inſanum, ſi non mentiris, ſi tam incredibilia finxiſti, miramur impudentiam, ſi tam abſurda cogitaſti, miramur amentiam. Tu ne adeo eras inſanus, ut quum uno ictu potueris, & uitam tuam, & Reipub. ſalutem in tuto collocare, malueris omnia dubijs fortunæ caſibus exponere, & tibi futurum promittere, quod ſanus auderet nemo ſperare? Quod ſi Tyrannus id uoluiſſet, quod tute haud dubie feciſſes, & quod illum quoque facturum longe ueriſimilius quàm quod fecit fuit: conclamaſſet ſatellites, coëgiſſet ſicarios, armaſſet carnifices, ac prolato filij cadauere, & natura crudelis, & tam atroci ſpectaculo irritatus, iram ac furorem illum effudiſſet, primum in te, per quem filius occiſus, deinde in urbem uniuerſam, propter quam occiſus eſt, quæ ſi contigiſſent (ut tua dementia propemodum contigerant) neque tu miſer hodie uiueres, qui hoc præmium peteres, neque nos Rempub. ullã à qua peti poſſet haberemus. Sed dij immortales, Iudices, uota precesque noſtras recordati ſunt: Dij ſeruitutis noſtræ mala miſerati ſunt: Dij nobis in ſummis atque extremis periculis auxiliati ſunt. Qui quũ ſemper huic urbi ſuccurrere ſtatuiſſent, id potiſſimum tempus elegerunt, quo maxime nobis beneficium ſuum commendare poſſent. Nam Tyrannus quanquàm ſemper erat moleſtus uiuente filio, tamen eo nomine minus grauis incumbebat ciuibus, ne miſeram penitus atque exhauſtam urbẽ filio relinqueret. At eo trucidato propter quod ante pepercerat, cui dubium eſſe poteſt, quin funditus omnia direpturus fuerit? Poſtquam ergo Reſpub. iſtius primum temeritate, deinde ignauia in extremum illud periculum corruiſſet, ſuperi tempus iã ueniſſe rati, quo perpetuam nobis inſculperẽt fauoris ſui memoriam, omnia mala quæ tam prope ceruicibus noſtris imminebant, ſubito in ipſum Tyranni caput auerterũt, idq; tam celeriter, ut citius nos periculo liberatos eſſe, quàm in periculo fuiſſe cognouerimus, ne nos interim ſaltem potuiſſet diſcriminis tanti metus urgere. Quis Tyrannum putaſſet, Iudices, reperto filij ſui cadauere, in ſeſe potius quàm in hanc urbem gladium fuiſſe uerſurum, niſi noſtri ſtudio ſuperi in propriam illum perniciem immiſſis ei Furijs, agitaſſent? Itaque iam nũc uidere mihi uideor micantes latronis oculos, obducta ſupercilia, contractam frontem, genas pallentes, dentes ſtridentes, labra tumentia. Denique qualem Pentheum deſcribunt Poëtæ, toto ore, toto uultu, ſuæ prodentem mentis inſaniam. Quum primum ingreſſus filium reperiret occiſum, quid illum feciſſe, quid clamaſſe ſuſpicemur?

quid

quid aliud q̄ ut impium atque dementem ſpurciſſimo rictu inſana in ſuperos euomuiſſe conuicia? O Deorum iram, ò numinum inuidiam! Video cælites odij ueſtri ſigna: uideo liuoris atri ueſtigia. Nihil uobis uiuit iniquius, nihil ambitioſius, nihil inuidentius. Soli imperare, ſoli regnare uultis, nec ſatis propria felicitate contenti, ſemper aliena tabeſcitis. Quur non mecum in certamen deſcenditis? Quur ignauum inſidiatorem filio ſummiſiſtis? Ille quiſquis erat, cum Tyranno in certamen etiam ingredi non auſus eſt: hoc certe ſaltem gaudeo, quod nemo ſe poterit Tyrannicidam dicere, nemo Tyrannicidij præmium petere. Nemo enim Tyrannum occidet hodie, niſi Tyrannus. Tyrannus ego hodie uel Dijs inuitis moriar. Huiuſmodi ergo deliria quum blateraſſet, in gladium tandem amens ac furioſus incubuit. Tyrannus igitur Iudices iſtius gladio, imò nec iſtius, quippe quem ante abiecerat, manu quidem ſuapte, ſed ſola Deorum opera perfoſſus iacet. At nunc iſte ſibi cuius ibi nullæ partes erant, primas uendicat. Itaque qui me ſycophantem uocabas: uide obſecro, uter noſtrum huic uitio propior eſt, ego ne, qui tecum hodie pro Rep. ſuperiſque dimicans, præmium tamen nec uictor poſtulo: an tu potius, qui deſertor ac fugitiuus, contendis tamen alijs, atq; his quidem Dijs uincẽtibus ipſe triumphare? Deſine, deſine aliena uirtute partã tibi arrogare uictoriam. Deſine Deorum in hanc urbem tam clarum obſcurare beneficium. Deſine Deorum laudibus obſiſtere, & ab hac temeraria petitione deſiſte. Quod ſi iſte Iudices moleſtus eſſe perrexerit, uos tamen ipſam rẽ æquis lancibus expendite: Nam iſte quid aliud, q̄ Tyrannum ut ſibi caueret admonuit? Dij ne cauere ſibi poſſet, ne in ſidijs amplius opus eſſet, effecerunt. Iſte quid aliud q̄ gladio ſuo Tyrannum in nos omnes armauit? Dij gladium illum à nobis in Tyranni iugulum retorſerunt. Iſte quid aliud deniq;, q̄ uniuerſam urbem in ſummum periculum demen tia ſua coniecit? Dij corrigentes iſtius inſaniam, diſcrimen illud ſubito in proſperrimam ſecuritatem conuerterunt. Vos ergo Iudices per deos immortales obteſtor: per deos huius clariſſimæ libertatis, huius inſperatæ felicitatis autores, ne quod nobis deorum omnium conſilio ac uirtute ſucceſſit, id uos unius hominis amentiæ referri ſinatis acceptum: néue hãc urbem unq̄ in deos liberatores tã ingratam eſſe, néue patiamini ut ſalutem ſuã debere ſe potius humanæ temeritati q̄ deorũ benignitati fateat, quos ita demũ ſperare licet futuros ſemp. huic urbi propitios, ſi nos eorũ quæ cõtulêre memores, eos (uti æquũ eſt) beneficiorũ ſuorũ recognoſcamus autores. Alioqui ſi nos (qd' abſit) ingrati, quæ ab illis

profecta

profecta ſunt, in alios referamus, gratiāq; ſuperis debitā impēdamus hominibus: uiciſſim hercle metuendū eſt: ne dij quoq; ſuum erga nos fauorē imminuant: ac Reip. noſtræ curā, ut indignæ quæ ab illis cureť, abijciant. Quamobrē ut aliquando finē dicendi faciā: quādoquidem iſte peccauit officio: & bono animo male fecit: dij uero eius peccatum in commoda noſtra uerterunt: ac dij quidem coëgerunt: ſed ſe tamen Tyrannus interfecit: tum præmium qui coëgere non petunt, petere autem qui peremit non poteſt: uos ſententijs ueſtris Iudices & huic ueniam, & ſuperis gratiam decernite: & urbem ab huius præmij debito, quo eam liberam eſſe dij uoluerunt, abſoluite.

Dixi.

DECLAMATIONIS THOMAE MORI ADVERSVS TYRANNICIDAM FINIS.



BASILEAE APVD IOANNEM FROBENIVM
MENSE AVGVSTO AN. M. D XXI.



297.
295.
294.
291.
289.
287.
285.
283.
281.
279.
277.
275.
273.
271.
269.
267.
265
263.
261.
259
257.
255
253.
251.
249.
247
245
243
240
239
237.
235.
233
231.
229.
227
225.
223.
221.
219.
217.
215.
213
211
209
207.
205.
203.
201
199
199

BIBLIOTHEQUE NATIONALE IMPRIMES